ACTA UNIVERSITATIS LUNDENSIS.

LUNDS UNIVERSITETS ÅRS-SKRIFT.

TOM. XIV.

1877—78.

PHILOSOPHI, SPRÅKVETENSKAP OCH HISTORIA.

LUND, 1877—78.
FR. BERLINGS BOKTRYCKERI OCH STILGJUTERI.
DISTRIBUERAS GENOM C. W. K. GLEERUPS FÖRLAGSBOKHANDEL I LUND.

Tom. XIV utgifves i 2:ne Afdelningar: I. Philosophi, Språkvetenskap och Historia.
II. Mathematik och Naturvetenskap.

ACTA UNIVERSITATIS LUNDENSIS.

LUNDS UNIVERSITETS ÅRS-SKRIFT.


TOM. XIV.

1877—78.

LUND, 1877—78.

FR. BERLINGS BOKTRYCKERI OCH STILGJUTERI.

DISTRIBUERAS GENOM C. W. K. GLEERUPS FÖRLAGSBOKHANDEL I LUND.


BRITISH MUSEUM

LUNDS UNIVERSITETS ÅRS-SKRIFT.

TOM. XIV.

FÖR LÄSÅRET 1877—78.

I.

AFDELNINGEN FÖR PHILOSOPHI, SPRÅKVETENSKAP OCH HISTORIA.

Innehåll:

(Afdelningen för Philosophi, Språkvetenskap och Historia.)

De Geminarum Vocum Latinarum Differentiis

capita

scr.

CARL M. ZANDER.

Cap. I.

Quæ ratio discretionis latinæ arte tractandæ institui debeat, breviter disputatur.

Quamvis in infinita et non satis explicata re versanti mihi forsitan necesse futurum sit non numquam, ut vis ejus rei definiatur, quæ ad ipsam orationis humanæ naturam et cognitionem referuntur, breviter attingere; tamen quia non comparandi cognatas linguas, sed latinæ gradus et progressus cognoscendi rationem hoc libello sequor, hoc mihi unum propositum est, locum illum etymologiæ latinae, qui est de discretione, tractanti, ut, quæ latina sint, quæ in latinis litteris et monumentis, potissimum spectem. Ut autem grammatici (vel "philologi" quem nunc dicunt) de infinita et communi aliqua re quæ unius alicujus linguæ studio continetur disserentis est sermonum humanorum historia quadam ex parte niti; sic, nisi rei explicatio prolatos paulo longius ultra unam illam linguam fines disputationis desideraverit, ad comparationem linguarum non debebit decurrere. De qua re vere Heerdegen (Unters. zur lat. Semasiologie Erlang. 1875) "den Philologen kann es an und für sich wenig kümmern, ob und inwiefern das was er von einer individuellen Grammatik geltend macht gleiche oder modificirte oder gar keine Geltung haben darf für die Grammatiken anderer, zunächst stammverwandter Sprachen." Neque vero jam collecto e loco et quasi regione latius extenta aut angustioribus terminis sæpta vel ex scriptore uno vel ex pluribus examinato exposito pleno exemplorum numero omnis ad græcam vel ad latinam linguam pertinens quæstio tota definietur. Quamquam illud studium, quod in ipsis rebus minutissimis conquirendis et examinandis summa diligentia

6

versatur, et laudabile est et necessarium, in eoque genere et copia illa rerum et subtilitas artis, quæ magnæ sunt laudes veteris et ab antiquis nobis traditi grammaticæ studii, imprimis exstant. Sed ars postquam aetatibus ordinare singula et ad historiæ rationem dirigere et, quibus gradibus quo ordine ex antiquioribus exemplis apta sint posteriora, perspicere studet, latiorem habet campum, quo excurrat. Cum ad positionem nominum explicandam historia opus esse, quia nisi descendendo ad nos non pervenerint, recte dicit Varro in libro octavo (§. 6), tum, quoniam sunt quædam certa genera *processuum*, quibus vocabula rebus imposita in hæc plurima discrimina abierunt, hoc a Varrone dictum in eos processus aeque cadere nemo non intellegit. Atque inter hos processus magnum locum optinet *discretio* [1]) formarum et significationum. Ad eam penitus cognoscendam non satis est exempla colligere interpretari disponere, sed etiam origines, quoad ejus fieri poterit, indagandæ sunt et persequenda investigatione itinera. Hoc quam magni momenti sit, ipsa ea, quæ apud antiquos græcos et latinos grammaticos de discretione sunt, declarant; qui multum tribuerunt huic rei, quam non parvam ad discrimina et declinatus verborum vim habere ostendunt; sed ejus rei vis ac natura iis explorata non erat, sumebatur tantummodo, ut ad eam tanquam positam causam aliquot appellandi et voculandi differentias revocarent. Quippe aetates linguarum scientia et pervestigatione non satis complexi sunt; quæ discretionis essent, quæ non essent exempla discernere non semper poterant, nedum ad disputationem de originibus causisque eorum ingrederentur.

Ubi quis vocabula non in singulos sonos vel elementa, tanquam resectis membris, dissolvit, sed, quasi corpora, quæ, anima per omnes partes æquabiliter fusa, vigent, significatione prædita et quodammodo animata consideravit, multo magis apparet, cum populo suo quamque linguam et natam esse et adolescere senescere vivere denique et mori. Sequitur quod mirum in modum multi obliviscuntur, nisi sermone et scriptis hominum ejusdem gentis nullius esse linguæ veram et perfectam cognitionem. Discretiones quidem vocum et significationum ab differentiis in singulorum hominum vel appellatione litterarum vel usu vocabulorum positis, quarum plurimæ minutæ et subtilissimæ sunt, ut in aures mentesue eorum, qui audiunt, non intrent, omnes proficiscuntur; — earum tamen summa quædam ut in quoque homine percipitur ita efficit ut suum quisque loquendi morem sequi videatur; — nonnullæ majores certioresque sensim fiunt, et quidem plerumque longo temporum decursu, ut novæ formæ vocum exsistant vel eadem

---

[1]) Quam discretionem dicam, v. infra p. 22 et q. sq.

vel nova significatione. Atque etiam in litteris et monumentis vivæ vocis variantia, quæ quidem usu confirmata est atque ad aliquot homines propagata, expressa sui multa habet vestigia, quamobrem etiam in lingua ab usu communi cujusdam gentis intermissa, ut in Latina, hanc rem cernimus. Ita, quomodo gradatim hujus generis quædam exstiterint differentiæ observare possis, et hanc quidem eorum quæ litteris consignata sunt observationem inprimis habet, unde proficiscatur, quo referatur omnis de discretione disputatio; etenim hæ differentiæ quarum itinera tanquam e propinquo animo sequaris, ad totum genus illustrandum plus quam illae valent, quarum cum origo ab ultima antiquitate repetenda sit, in obscuritate quadam versantur.

Jam satis attulisse videor, cur hoc genus disputationum et ad historiæ rationem redigendum esse et in eorum quæ litteris tradita sint pervestigatione (vel, ut nostræ ætatis more loquar, in philologia speciali) maxime ponendum existimem. Quod Scherer dicit, maxima quædam assecuturum esse, qui de tota vi discretionis, quam plurimarum complectens linguarum comparationem, quæsiverit [1]), vereor ne nondum tempus sit, ejusmodi quæstionem instituere. Primum enim separatim quid cujusque linguæ in hoc genere sit proprium, quid cum ceteris commune quærendum est; ea autem omnia examinare vix unius hominis videtur esse. Quod si quis passim carptam et collectam e variis linguis hujus rei exempla in genera digesserit, aliquid adjuvabit fortasse rei cognitionem, afferet fortasse multa ad rem illustrandam utilia; sed ea dissipata dispersa divulsa erunt et manca, ipse multis locis vagabitur et errabit. Neque enim eadem est in omnibus linguis hujus rei aut circumscripta quædam explicatio. Nam ut significationis et vocis discretæ concursum, in qua quæstione nunc maxime versamur — eam autem Scherer l. c. p. X et alibi discretionem, quamquam aliter ac nos intellegimus — h. l. commemoremus; semitarum linguæ, intrinsecus immutatis vocibus, discrimina mentis expressa quadam imitatione verbis referunt; quamobrem genus illud, in quo discretionem vocis propter mentis discrimina factam putes — quam Benfeyus Gött. Nachr. N:o 21, 1877 vocat "grammaticam divisionem" (grammatische Spaltung) — in illis linguis latissime patet, in nostris linguis præ illa immutationum copia ac varietate vix apparet. Quamvis enim, quoniam cum in omnibus linguis tum in semiticis his provectis et a pristina effectione remotis ætatibus soni verborum non habendi sunt imagines re-

---

[1]) Scherer, zur Gesch. der Deutschen Sprache. Berlin 1868 p. 290: "*Differenzirung* ein Process, der in aller Sprachgeschichte eine der wichtigsten Rollen spielt und dessen Betrachtung im allgemeinsten Zusammenhange die tiefsten Aufschlüsse gewähren würde."

rum, ne in semiticis quidem, nisi quæ in sensu cujusque positæ sint *mentis,* non *rerum* discrimina, his internis declinationibus exprimi, sine ulla dubitatione putaverim — ea autem usu crescere et ipsam rerum notationem temperare posse, quis neget? — sed tamen videmus, quantum sit hoc: in semitarum linguis mansit effectrix illa imitatio et per ordines quosdam hujuscemodi declinationum quæ significationum ordinibus (*συζυγίαις*) respondent serpsit, ex quibus, qualis sit, pellucet; in nostris pauca jam exsistunt, sive reliquiæ dici debent, vetustate torpentia, sive postmodo deinceps novata, dispersa quædam semina. Et profecto, quod ad has nostras linguas attinet, vel ambiguitas rei vel aliæ et magis celebratæ quæstiones hanc de formæ ad vim vocis ratione obscuraverunt. Sed hoc ultro jam apparet, quod non modo ad tollenda nonnulla, quæ de hac re falso opinati sunt grammatici, pertineat, sed etiam ad subtiliorem rei cognitionem inventum sit vel potius certius et copiosius demonstratum — nam ipsi antiqui sceptici cum alii tum Sex. Empiricus de ea re acute disputavit, — nulla naturæ societate in his quidem linguis, quæ jam ad maturitatem pervenerint, vim et formam vocis esse conjuncta, sola mentis vi memoriter conexa una comprehendi. Cum autem, quæ STEINTHALIUS, summus ille sermonis investigator, disseruit in libro qui inscribitur Psychologie und Sprachwissenschaft Berol. 1871, de universa sermonum humanorum progressione per tris ætates, unam onomatopoeticam, alteram, cum voces universo et genuino charactere impressæ fuerint, tertiam cum usu loquendi voces novam speciem induant, omnium autem ætatum exempla in omni lingua simul exstare, veritati rerum consentanea esse puto, tum ei facile concesserim superesse in his nobis cognitis linguis nonnulla primæ illius ætatis, non admodum multa illa quidem, sed quæ facile inveniantur. Et nescio an MADVIGIUS in egregiis illis de origine et natura sermonis libris de plurimis rebus subtilissime et verissime disputaverit, onomatopoeticam vim nimis angustis regionibus incluserit (cf. Madv. über Wesen und Leben der Sprache Kl. gram. Schriften p. 69). Neque tamen illam opinionem eorum qui potestates et sonos verborum natura conjuncta esse vel cognatione quadam nexa sumunt, non reiciendam esse censeo; tametsi et alios antiquos philosophos et præcipue Stoicos nobilitatis suæ habet auctores, his recentioribus ætatibus multi et doctissimi viri, ut ROUSSEAUUS, HERDER, DOEDERLINIUS (Lateinische Wortbildung L. 1839), qui fere totus pendet a Stoicis; JAC. GRIMM (über den Ursprung der Sprache p. 128 sqq. et aliis l.), HUMBOLDTIUS (cf. Einleit. zur Kawi-Sprache p. 95 p. 98 sqq.) MERKEL (Laletik L. 1866), SCHERER (qui l. c. p. 37 eam rem pro certa ponit, quod nondum sit arte tractata, explicationem desiderat). Sed nemo eorum, qui

quidem omnino valere illud in talibus linguis quales hæ in litteris vel in sermone versentur non solum dixerit, verum etiam exemplis demonstrare studuerit, levia et vana atque etiam absurda non opinatus est. Nam si qua res sonis quibusdam alicujus verbi vel nonnullorum verborum alicujus linguæ subjecta sit, eandem rem iis sonis omnino esse subiciendam statuunt. Sed contra eos jam Madvigius, ut solet, subtilissime. Exempli causa nomino POGGELIUM das Verhältniss zwischen Form u. Bedeutung Münster 1833, qui ut demonstraret inesse in vocibus humanis naturalem et reconditam quandam vim, cujus sensus esset animis penitus insitus, pro exemplis adhibuit p. 30 deminutiva germanica, quorum mollis et remissa quædam sit figura, constare enim ex i "levissima et lepidissima vocali et l et r ad eam rem non minus aptis." "L ist derjenige Consonant, welcher unter allen die kürzeste Dauer hat — Er ist das Werk des schnellsten Zungenschlags, wenn die übrigen Consonanten alle — eine grosse Breite erhalten. Auch k ist der kürzeste unter den Gaumenbuchstaben und das verwandte ch ist durch Abmilderung des harten k fast zu einem Vokale verhaucht," etc. Idem p. 80 de natura vocalium: "a, o, u, e, i folgen nach der genannten Ordnung auf einander so: a wird am tiefsten hervorgebracht, i am äusserlichsten. Die im a liegende sensuelle Bewegung ist innerlicher und ernster als die, welche in o, u, e und i liegt." Sed relinquamus has ineptias, quibus quid levius jactari potest, quid absurdius? De latina lingua separatim HAASIUS egit, illam doctrinam secutus, cujus alios auctores nominat in libro qui inscr. Vorlesungen üb. Lat. Sprachwissenschaft L. 1874 p. 49; et cum pp. 75 et quæ sequuntur exemplis ostendere conatus est, veram esse illam rationem, ipse exemplo est nihil proficere qui effigiem rerum auribus quærere studeat.

Quod si tum qualitas tum quantitas vel magnitudo vel pondus rei verbo appellandi discriminibus notari potest [1]), semiticæ utrumque, hæ indogermanicæ, si a reduplicatione discesseris, rarissime illud sæpius hoc interna declinatione sequuntur. De quibus CORSSENUS quamquam perbreviter et non satis Ausspr. [2] I, 626; II, 34 hanc rem attigit, tamen hoc recte, missis omnibus de "qualitativa"

---

[1]) Utriusque rei exempla affert EDV. KÖNIG Gedanke Laut u. Accent Weimar 1874 p. 25: unum "quantitatis" hebraicum *gaçaç* (cædere) *kasam* (resecare) *gasas* (tondere); "quantitatis et qvalitatis "hanc vocem arabicam, quæ a *Caspario* gramm. §. 66 aucta est *gargara* (gargarizare) onomatopoeticam. Sed his onomatopoeticis et conduplicatis prorsus congruunt semitica et indoeuropæa linguarum familiæ. Cnfr. etiam arab. *vesvesa* et *susu o* (indoeur. svar) *zelzela* (movet) indoeur. *karkara* lat. *querquerus* proprie qui huc illuc agitatur. Alia vero sunt semitarum ex eo genere *qualitatis discrimina* e. g. passivæ conjugationes u-(o)-a.

aut "symbolica" vi vocis in latina lingua perplexis disputationibus, ita sentit, hanc voci vim tribuendam esse, ut rei pondus vocis intentione majore majus, minore minus exprimatur; nam *aucta vel intenta vocali rem gravius efferri* [1]); cur *attenuatæ* essent et *imminutæ voces*, non modo eam fuisse causam quod ad commoditatem dirigeretur eorum qui loquerentur litterarum appellatio, ut leviora corpora vocabulorum facilius exirent, sed etiam *quod formæ quæ animo continerentur, pro ut mentis agitatione retractatæ atque expolitæ essent, ita materiam vocis magis magisque subigerent.*

Neque vero species eadem in hac quæ in illa familia hujus discretionis est, nam in illa non solum *vocalium* mutabilium et variarum ordines discrimina sententiæ certis legibus imitantur, verum etiam *consonarum* potestates sunt quædam vel fortiores vel leniores ad eandem rem usui; at contra de nostris linguis cum negat Schleicher Compend. [4] p. 158 ad grammaticas rationes referre quidquam, intentior an remissior sit, denique qualis exeat *consona* vox, *omnino* recte videtur judicare. Nam iterativa et intensiva verba germanica, quorum internam et quasi "symbolice" discrimina quædam sententiæ exsequentem declinationem esse vult Gerlandus Iterativa und Intensiva L. 1869, ipsorum sonorum momentis, quæ litteræ ad litteras vicinas habent, et debent et possunt explicari. Sed longum est de his verbis cur ita sentiam hoc loco exponere, et minus necessarium, quippe de quibus jam ab aliis grammaticis linguarum investigatoribus copiose sit disputatum. Sane vehementer erraverunt qui hoc genus eodem modo quo conjugatio facta sit illa *piel* exstitisse putaverunt. Multa sunt et insignia et notissima discrimina quæ h. l. attingere non necesse est. Si quis igitur ex sola consuetudine linguarum semitarum quam rationem habeat vox ad significationem constituerit, non plane idem dicet fortasse, quod ille qui in solis indogermanicis versabitur. Quid enim caussæ fuisse arbitramur, — ut a recentioris ætatis memoria exempla sumamus — quamobrem vir ille acutissimus Rénanus in libro de origine orationum humanarum (sur l'origine du language, Paris 1864, capp. VI et V) sonos interpretaretur imagines quasdam rerum ("l'onomatopée"), nisi quod in Judæis in aliisque Semitarum partibus quasi tabernaculum studiorum suorum grammaticorum collocavit? Quo factum est, ut de horum ipsorum sermone anguste et prave judicaret. Quid vero Westphalius? Nonne ab harum linguarum profectus

[1]) Certe non omnes vocalium intentiones a sensu loquentium ductæ sunt. Joh. quidem Schmidtius utraque parte libri quem de vocalibus indogermanicis conscripsit ad vicinarum litterarum affectus referri quæ sint ex hoc genere demonstrare studuit, et permulta quidem demonstravit.

comparatione (cf. Westphalii philosophisch-historische Grammatik d. deutschen Sprache. Jena 1869 pp. XIII et 19) statuit sonis verborum non sua natura, sed ut diversi diversis relati essent, ita "symbolicam" datam esse vim a distinctione ductam? Nollem dixisset a distinctione; potius a similitudine et analogia, quæ ubique in sermone dominatur, sed credo illud, vim suam cuique vocali usu tribui posse de illis linguis si non verissime, at cum quadam veritatis specie dici; certe ad indogermanicas linguas etiam minus ea ratio quadrat.

Sed ut hujus indoeuropææ familiæ linguis contineamur, hoc etiam discretionis genere variis modis discrepant inter se; nam alia alio deflexit, ita sua cujusque propria et certa nata sunt discrimina. Ut *accentus* in græca lingua et sanscrita magnam et variam distinctionum peperit copiam; in latina, quatenus quidem litteris et monumentis exstat, multo minus ad eam rem valuit, quippe ibi angustioribus legibus est circumscriptus; nisi contentione quadam antiquioris accentus et posterioris fuit nonnullorum verborum varietas. Sed de ea re infra mentionem faciemus. Jam vero quod *aucta* vel *intenta vocali* potuerunt interdum significationes distingui, harum linguarum commune est illud quidem, *sive ipsa notio rei immutata et quasi temperata est, sive usus grammaticus* notione in sua sede manente, *variatus;* sed ad usum in aliis aliter intentio illa translata est. Ac primum, ut de iis quorum ipsa vis quæ radici subest, discreta simul habet vocalis intentionem, commemorem, verbales et in græca lingua et in latina cognatæ significationes nulla re nisi aucta vocali interdum distinguuntur sic: verba *μέδομαι* consulo alicui, de aliqua re provideo: *μήδομαι* excogito; *πέ-πλυ-κα* lui: *πέ-πλευ-κα* navi, navigavi (scr. plu plavati utramque et formam stirpis et significationem voce complectitur); at *ψά-(υ)-ω* frico lævigo: *ψαίω* (pro *ψαιϝω*) contero, comminuo, num recte Savelsbergius Umbrische Studien Berolin. 1872 p. 128 dubito, vix enim *α* latiore enuntiatione mutatum est in *αι,* ut *ε* in *ει: θε-: τέ-θει-κα.* Fickius Bezzenb. Beitr. 1878 p. 208 fortasse recte componit hæc duo: *ἔσ-τί* est: *ἧσ-ται* sedet; *κλύζω* (**κλύ-jω*) luo: *κλαίω* (*κλάϝ-jω*) fleo; scr. dicitur *vac-mi* (vak) loquor: *vāç-ē* (vāk) vociferor, cett. — lat. *fluo: fleo* (pr. *fleuo *flevo perf. flēv-i infin. flēre pro *flēv-ĕre, cf. decrērunt pro decreverunt); *sci-n-do scĭd-i* pro *sce-scĭd-i: cædo* pro **scædo, ce-cīd-ι* pro **sce-scīd-i; luere: lavĕre;* — deinde nomina ut scr. *apas* opus: *āpas* opus quod ad deorum cultum pertinet, religio; isl. *aðal,* natura (proprie genus): *óðal* prædium avitum (ó = ā); anglos. *broð* anglice broth antg. *prod* jus: isl. *brauð* anglos. *breáð,* antg. *prōt* panis; gr. *γέρας*

honor: *γῆρας* senectus [1]); *ἔθος* mos: *ἦθος* mores, jam ab Aristotele collata; *λῖμος* fames: *λοῖμος* pestis, de quo Curt Grz [4] 368 dubitanter; *ὕδη* cantus: *αὐδή* vox; *στίχος* ordo versus series: *στοῖχος* quod et illas res et lineam significat; *ὀπή* vindöga: *ὠπή* obtutus oculorum, aspectus; *πόσις* portio (prim. forma **πα-τι-ς*): *πᾶσις* possessio (pr. f. **πᾰ-τι-ς*, scr. pā-tis) *λύσις* solutio: *Λῦσις* n. pr. Latina autem, quæ pro certis ponere audeam, [2]) exempla vix ulla habeo. Sed de iis infra uberius. Deinde adjectiva eodem modo variant *λυκό-(φως)* pallidus: *λευκό-ς* albus; latine *tŏtus* (scr. tati): *tōtus; fortasse rŭdis* pro **crŭdis* **crŭdus: crūdus*. Tum alterum substantivum est, alterum adjectivi vim retinuit: scr. *áç-va* lat. eq-uu-s sic dictus ob celeritatem (prim. f. *ak-va*): scr. *āç-ú* adj. subst. græc. *ὠκ-ύ-ς* adj. lat. *ăcu*-(pedius); fortasse lat. *squălus* piscis quidam ("Meersaufisch" Georges): *squālus* sordidus, in eodem sunt numero; scr. *bahú* gr. *παχύ-ς* crassus: scr. *bāhu* gr. *πῆχυ-ς* brachium sic dictum ob musculosam crassitudinem, cf. Homeri illud *χειρὶ παχείῃ*; hæc autem lat. *fătuus,* "proprie loquax tum hebes stultus *Corss.* I, 42 et *Fătuus* antiquum cognomen Fauni vaticinantis, Preller Röm. Myth. 388, fem. *Fātua*, (cf. fātu-ari) sintne eadem ratione conjuncta valde dubium est. Fortasse *αἶσα* intenta vox est, proprie dicta quasi quæ pariter omnibus impendeat, feminin. adj. q. e. *ἴσος* (aliter Clemmius Curt. Stud. III, p. 304). Videmus igitur quas contulimus linguas hac re satis convenire. Et hoc omnium linguarum indoeuropæarum commune est quod vocalis perfecti producitur. Sed illo genere, in quo notio ipsa stirpis non mutatur, grammatici autem usus discrimina in intenta voce posita sunt, magis discrepant. Nam cum in sanscrita lingua a substantivis adjectiva possessiva vel quibus aliquis aliqua re præditus esse vel alicujus esse dicatur, ab adjectivis substantiva qualitatis, a substantivis substantiva, ut pars vel qualitas rei designetur, intentione illa aut sola aut addita simul figura ducantur, ut *Nishada,* regnum quoddam indicum: *Nāishada* ejus regni rex; *Bhīma: Bhāimi* filia *Bhīmī; purusha* homo: *pāurusha* n. quod hominis est; *vicitra* varius: *vāicitrija* varietas; *samān* similis: *sāmānja* quod commune est, nulla neque græca neque italica hujuscemodi, quod sciam, inveniuntur. Nam *Stătius* osc. *Staatiis,* ne quis a participio q. e. *stătus* dictum putet, stirpis duplex forma est et correpta et producta, cf. *stătim* et *stātim, stător* et *stātor,* lat. *stătivus* et osc. *stāíf* [3]).

---

[1]) *γέρας* quoque antiquitus senectutem adsignificasse apparet ex adjectivo *γεραῖος* i. e. senex reverendus, cf. *γηραῖος.*

[2]) Nam pauca illa sunt vetustate vel corruptione dubia, quæ fortasse ad hoc genus referenda sunt: *rătis: crātis, cous* Varro LL. V, 135: *cavus; glis* Gloss. Isid: *glūs.*

[3]) Ne *Heirennis* -- *ēns Hērenniu* quidem, osc. nom., lat. *Herennius* proxime conjunctum

Universa vero syllabarum intentione hoc differunt latina lingua et græca a sanscrita — et quidem grave est id discrimen — quod in sanscrita lingua illius rei est late disseminata et firma analogia et quæ per posteriores ætates manserit, ut etiam compositæ voces ambæ intendantur, sic: *suhrd* amicus: *sâuhârdam* amicitia; in græca et latina est antiquioris ætatis, post constitit illa analogia, ut non ultra progrederetur.

Ceteras vocalium divisiones ("vokalspaltung") hodie constat, sive earum causas in ipsarum vocalium instabili natura, sive in affectionibus vicinis consonis aut vocalibus aut accentu importatis esse credimus, non ab hominum consiliis quibusdam, quasi mentis discrimina voce exprimere voluerint, initia ducere. Atque et hac re similes sunt linguæ indoeuropææ, et vocalium varietas postquam nata est, ad varia significationum discrimina notanda sensim et subinde est adhibita. Sed illam rem aliter alia lingua ad usum accommodavit. Nam cum germanicæ linguæ maxima utuntur in declinatione verborum vocalium varietate, cujus rei primam causam esse accentum variantem Holzmannus et Verner demonstrarunt, — qua varietate græca lingua non omnino caret — latina lingua per omnia tempora verbi easdem fere retinet vocales. Nisi ea est variantia, quod et in perfecto et in præsenti sæpe intenduntur et conduplicatorum præteritorum gravatæ syllabæ extenuari possunt: *cado: cecĭdi; cædo: cecīdi*, cujus antiquior accentus videtur fuisse *cécīdi*.

Hæc commemoravi ut exemplis illustrarem ipsas eas sonorum varietates, quæ sint communes harum linguarum, aliter ab aliis populis in usum translatas esse. Quamquam hæc res, credo, vulgarior est quam quæ longam mentionem desideret.

Satis attulisse videor cur non tam comparatio quam singularum linguarum diligens et subtilis cognitio ad eam rem quam nunc quærimus sit adhibenda. Nam tota hæc quæstio, quomodo sint soni vocum et significationes conjuncta et quæ sunt illius generis, in usu suo cujusque linguæ versatur, ut in eam cadant quæ dicuntur a Curtio Etymol. [4] pag. 25 de necessitate ei qui de ejusmodi quæstionibus agat imposita unam aliquam linguam præcipue et speciatim cognoscendi.

II. Quod autem Madvigius in libro, qui inscribitur Kl. Grammatische Schriften L. 1875 de omnibus quæstionibus etymologicis dicit: "Nicht das Einzelne ist wichtig und nicht für das Einzelne, sondern alle Einzelnheiten für das Ganze," illud haud scio an non ita dixerit, ut rebus singulis nihil tribueret. Nam sin-

est cum stirpe her — (cf. Herentatiís), etsi ab eodem fonte ductum est, sed ad *hēres-ēdis* referendum (cf. Enderis Osk. Formenlehre 1871 p. 32) et dictum pro Hēredniu, ut exstant et *Perkens* et *Perkedneis*.

gula illa, quoniam aut sunt necessariæ partes linguæ aut in progressu linguæ suum quodque locum obtinet, æque digna esse, quæ cognoscantur, quis non videt? Sed tamen nisi quis omnem vim alicujus rei penitus cognoverit et scientia complexus erit, ut, quomodo singulæ partes inter se aptæ sint et conexæ, perspiciat, finibusque suis quamque rem possit describere, singularum rerum scientia et manca erit neque maximi existimanda. Et rursus universæ rei cognitio, nisi singulis pervestigatis, incerta erit et vaga. Quamobrem cum de quavis re tum de discretione disputatio, si via ac ratione est processura, ne sit nihil nisi collecti undique et dispersi quidam flosculi scientiæ, quam plurima exempla complectatur pervestigatione necesse est. Sed hoc in discretione tractanda sequi difficilius forsitan videatur quam quod quisquam perficiat. Tam enim late patet in omni sermone hæc formarum et significationum varietas, ut videatur nemo quæcumque ad hoc genus referuntur cognitione posse complecti. Accedit quod multæ sunt voces discretæ de quibus quærere et longum sit et ambiguitate rei tortuosum: cum ambiguum est, sint discretæ voces necne, sive difficile est discernere, sitne quæ primo aspectu videatur discretio vocis, et non affectio cujus sit caussa in litteris syllabisve quæ post interciderint; sive aliquando quæritur, utrum sint ejusdem vocis formæ geminæ an voces origine separatæ. Jam vero quæcunque lingua in usu est, a singulis hominibus loquentibus et appellandis vocibus et significationibus subiciendis innumerabilibus modis variatur, hujus autem variantiæ vel minimus numerus litteris innotuit. Qui tandem fieri poterit ut umquam cum ullius linguæ tum præsertim latinæ, de qua nihil nisi litteris et monumentis dispersis et iis non integris sciamus, quæ fuerit hæc variantia, non dico sic persequamur disputatione, ut nihil relinquatur, sed omnino constituamus? At enim ad hoc respondeas: varietates in historia linguæ alicujus nullo loco numerari, nisi quæ expressæ usu et fixæ sint, harum autem longe maximum numerum litteris notum esse. Et haud scio an ita vere dicatur. Sed utut est, certe de hac re poterit disputare nemo quin multa a romanis usurpata prætereat. Sed illa difficultas forsitan videatur esse major. Quoniam si quis de formis geminis quarum sint significationes discretæ, quæque linguæ alicujus et ætatis sint, copiosius est disputaturus, quæ verba voce, quæ usu, quæ et voce et usu discreta sint, singillatim et diligenter erit ei investigandum, suis quodque temporibus et usus frequentia definiendum; num quisquam poterit efficere ut quæcumque insunt in monumentis latinitatis, quamvis sint tenues, voces scribendi varietates commentatione congestas habeat et compositas, præsertim cum multæ varietates in libris manuscriptis incertæ sint, ut, de unoquoque loco arte critica adhibita agatur se-

paratim, necesse esse videatur? Adde quod qui e multis libris omnes ejusmodi varietates colligere instituerit, jejunus erit et operam perdet, si quidem vix assequetur, ut nihil relinquat; atque etiam inter ea quæ afferet multa erunt moleste repetita et minime necessaria, quæ a Corssenio, Ritschelio, Buechelero, Brambachio, aliis et grammaticis et librorum antiquorum editoribus jam sint allata. Sed percommodum est, quod putidam istam adhibere diligentiam supersedere licet. Hoc vero præcipue necesse est eorum quæ sunt et voce variata et significatione discreta — quoniam de iis maxime quæritur —, plenam, quoad ejus fieri potest, præsertim si sunt aut antiquioris aut florentis latinitatis, et cumulatam colligi copiam.

Verumtamen quæ sint discreta solis formis, quæ etiam significandi differentiis distincta, perspicere cum magni intersit ejus qui de hac re disputat, ut quæ ratio sit formæ discretæ ad significationis discrimina cognoscatur; optabile est quæ voce discreta sint sine significandi distinctione, accuratius exponi, inprimis quæ sint in inscriptionibus atque etiam librorum manuscriptorum multa, quæ quidem et certa sint aut non nimis incerta, et non solum scribendo sed etiam enuntiando variata et usu loquendi stabilita, non temporaria et fluxa. Neque vero ex aliorum libris omnia ejusmodi, nisi aliter accipienda videbuntur, iterari opus erit. Sed tametsi his suis et propriis terminis rem definias, nescio an desperandum sit posse quemquam illa omnia commentatione complecti. Criticæ autem rei accuratam illam dicendi copiam et necessariam ad unum aliquem scriptorem percensendum, aut si quis in singulas voces vel figuras aut in singula vocum vel figurarum genera inquirit, non facile quisquam in hac commentatione de generali et tam late patenti re desiderabit. Mihi vero nunc primum propositum est, ut de universo genere quæram; si quæ deerunt, quæstionibus ad singula pertinentibus post explere, quæ universe significabuntur, explicare et perpolire institui. Ac ne capita rei longis singularum rerum quæstionibus obscurentur, huic generali specialem addam partem, qua de nonnullis discriminibus, quæ majoris sint momenti, aut difficiliores necdum satis cognitæ videantur, copiosius quæratur.

III. Quoniam omnis etymologiæ quæstio a sonorum vel vocum cognitione debet proficisci, primum quæ sint causæ cur discreta sint voce verba quæramus necesse est. Sed facile et cito videmus, sonorum cognitis naturis et mutationibus omnem rationem formarum divisarum reddi non posse. Nam etsi consuetudines quasdam appellandi in vocibus mutandis omnis sermo sequitur, vel, ut dicere solent hujus ætatis grammatici, ad quasdam leges phoneticas dirigitur — tamen

hæc res non nimis est tenenda; nam et conduplicatæ interdum gravius mutatæ sunt quam quod usitatis illis sonorum momentis, quibus sensim commutantur voces, fieri potuerit, et peregrinæ voces in vulgarem sermonem populi sic nonnunquam transferebantur, ut mirum in modum defiguratæ sint, ut *Περσεφόνη*: lat. *Prosepnais* (gen.), *Proserpina; γνώμων: groma*, et nullas leges phoneticas sequi videantur, nisi quod nullus scilicet sonus inducitur a sermonis proprietate alienus, — sed etsi leges suas quisque sermo phoneticas omnino servat, tamen cognitis illis legibus, quomodo factæ sint illæ discretiones, videbimus, cur factæ sint, non videbimus. Ut quæ latine dicta sunt a *simitus* et *simitur* et *simitu*, a **majos major* et *majus*, secundum quas consuetudines vel tamquam leges phoneticas dicta sint, ipsorum sonorum latinorum ad artem revocatis studiis explicari potest, cur autem discreta sint, ac non utrumque dictum aut *major simitur* aut *majus simitus*, non item. Ne hoc quidem cur *ξοῦθος* primariam formam mutaverit, *ξανθός* retinuerit, sic ratio reddi poterit, etsi jamdiu subtiliter disputatur, quomodo ea mutatio et in quibus facta sit. Et græce quia dicitur et *μοί* et majore cum sono vocis et sententiæ vi *ἐμοί*, hujus productæ formæ causam in mentibus eorum qui loquuntur, non in ipsa sonorum natura positam esse, apertum est. Hic etiam dialectorum vis apparet, nam e variis locis varias formas sermo asciscit.[1]) Ut has differentias: *fader*, *moder*, *broder: far*, *mor*, *bror* effecit dialectorum varietas. Nam rustici sermonis est d inter vocales tollere. Sed sermo urbanus et litteris accommodatus cur illas contractas formas ascivit, alias ejusdem dialecti ut *spa'r* (spader), *fo'r* (foder), *vä'r* (väder), *lä'r* (läder) non ascivit? Credo quia contractis illis consanguineitatis vocabulis grata quædam inest familiaritas, longiora autem illa habebant majorem vim ac dignitatem, ita sermo locupletatus est optima distinctione; at aliæ res quarum erant vocabula eodem modo variata, illi distinctioni aptæ non erant. Sic factum est ut sermo urbanus singulas eorum formas adhiberet. Multarum autem discretionum vix ulla dici poterit causa nisi fors et casus. Nam *quæso* et *quæro* non tam distinguendi studiis discreta esse arbitror, quam quod primaria et secundaria forma, cum in sua utraque significatione fixa esset, verba duo videbantur esse; facilius factum est ut id quod sæpius usurpabatur magis immutaretur. Et analogia in hoc genere valde dominatur. Et huc pertinet quod quæ significatione formarum magis conjuncta sunt, similitudinem melius retinent, ut *provideo* et *providens*, quæ

---

[1]) Quamquam ea res ad latinarum formarum varietatem quantum pertinuerit, non facile est accurate describere.

autem usu magis differunt facilius forma discernuntur, ut *providens: prudens.* Sed de his rebus infra plura.

Apparet, cum ipsius formarum geminationis et variantiæ causas tum legum phoneticarum usum variis rebus et in casu temporumque vi et in sensu eorum qui loquuntur positis, contineri, quas causas indagare, si modo licet, magni interest. Sed occurrunt sane hoc loco difficiles quæstiones, ut illa, quatenus valeant leges phoneticæ, quam rem breviter attigit Curtius commentatione illa quæ inscribitur über Tragweite der Lautgesetze in actis reg. soc. sc. Lips. t. XXII, et de iis, quæ inter leges phoneticas licentia quadam vagantur. Ut in eas res cum fructu aliquo aliquis inquirat, usus et significatio est consideranda. Sententiæ autem et formæ esse mutuam quandam vim jam vidimus (cf. quæ dixi discr. [1] 1875 p. 32). Num omnibus data sit ea vis, qualis ea vocis et significationis sit conjunctio et convenientia, quid afferat ad notionem momenti forma vocis, quid ad formam notio, hæ omnes quæstiones, nisi excussis singulis, ad liquidum perduci non poterunt.

At dubitaverit quispiam, num illæ quæstiones cum bona spe eventus umquam possint institui. An recte Osthoffius in libro, qui inscribitur "zur Geschichte des schwachen deutschen Adjectivums" Jena 1876 p. 32 in liberioribus illis omnique lege solutis sermonis partibus, quæ linguarum studiosis observandæ sint, sed quarum nulla possit ab illis ratio reddi, has discretiones esse numerandas censet? Sed de hac re nihil nisi omni vi ejus cognita decerni poterit. Quod si singulis examinatis et universo genere pervestigato, verum esse invenietur nullam esse certam legem discretionis casumque in omnia hujus generis dominari; si quis ita in rem inquisiverit, hoc magnum efficiet ut demonstret, quod levi et incerta conjectura sumptum sit, verum esse. Tum nihil ei qui in hac re versabitur grammatico relinquetur nisi ut quæ sint ex hoc genere observet. Quamquam id opus minime detrectari oportet, nam observare primum est in omni historia.

Sed enim est quod dubites, verene illud illis verbis dixerit Osthoffius, interesse hoc inter ea quæ sint in sermone: alterum genus legibus consentaneum, alterum in casu et in licentia sola positum esse. Neque enim ipsius sermonis naturæ conveniens est ita distinguere. Nam quæcunque conformantur in linguis et a libertate profecta sunt et rationi consentanea; quo efficitur omnia sermonis ratione conjuncta esse, ut arte concludi et possint et debeant. Ut in omnibus sermonis partibus elucet eadem vis, qua continentur, et norma ad quam diriguntur, ita magna licentia atque etiam maxima audacia. Nobis autem qui nisi

universa quædam ratione invenire non possimus, sæpe difficile est, si modo fieri potest, res singulas causasque earum, quomodo sint aliæ ex aliis aptæ, penitus perspicere. Verum tamen studia via ac ratione instituta artium multas graves hujus generis difficultates jam superaverunt et post superabunt. Ut in grammaticis studiis, quæ fuit inter analogiam et anomaliam controversia, antiquitus mota, quæ tolli non poterat, cum verba ad præscriptam formulam dirigi, aut consilia ex arbitrio assumpta omnibus, quæ insunt in linguis, subicere placebat grammaticis, eam hæc linguarum subtilior cognitio tantum non diremit. Tamen restant nonnulla, quæ videntur non posse ratione explicari. Atque in eo numero hæ sunt inprimis res quas nunc attigimus. Quod si de potestatibus verborum explicandis disputantes etiam viri doctissimi et acutissimi, ut nuper Fr. Haasius — qui sane pravam viam ingressus est et ad universam quandam rationem quam non tam sermonis progressione et historia considerata et ætatibus composita invenerat quam e philosophorum umbraculis petiverat, omnes partes orationis retulit — sed si illi multis rebus titubant et minus id quod volunt consequuntur non admodum mirum; nam quæ res in hoc genere versantur et fluxæ sunt, ut neque in eodem statu manere soleant nec facile certa ac circumscripta definitione contineantur, et origines earum in singulorum hominum mentibus reconditæ sunt — difficile est autem arte et scientia in penetralia sensuum humanorum inspicere —, tot denique concurrunt et in rebus externis et in mentibus eorum, qui loquuntur, positæ causæ, quibus illa effecta sunt, ut sane magnum consecuturus sit qui aliquid ex his obscuritatibus in lucem protulerit. Et Madvigius quidem cum de omnibus etymologiæ tum de quæstionibus, quibus quomodo verba ad suas potestates pervenerint (cf. l. c. p. 355) quæritur, sic dicit (l. c. p. 354): man weisz und fühlt jetzt dasz alles in der Sprache eine natürliche Veranlassung hat. Aber wie man diese Natürlichkeit bisweilen mit erdichteten Naturgesetzen verwechselt, so vergisst man, dasz die Entdeckung der ganz speciellen Veranlassung, die in dem einzelnen Foll gewirkt hat von geringer oder keiner Bedeutung ist, wo das Resultat sowohl klar als sicher ist, und man verkennt überhaupt, indem man selbst die Freiheit gewonnen hat, in hohem Grad das Spiel der Freiheit und wenn man will Zufälligkeit in der Behandlnng von Motiven und Mitteln." Jure sane reprehendit, quod nonnulli in omnium rerum ratione reddenda se jactent. Nihil est profecto odiosius eo qui grammaticas res habet campum, ubi exili subtilitate inanibusque argutiis vagetur. Sed quod negat idem, si constet aliquid factum esse, quidquam referre cur factum sit quærere, inde aliquid detrahi oportet, certe quia omnis ars est non modo

summa quædam rerum quæ aliquo studio continentur, sed etiam series contextusque earum quodam modo compositus, grammatica ars non potest sola singularum rerum cognitione definiri, sed etiam quomodo sit res ex re apta persequatur necesse est. Nemo igitur grammaticus, si præsertim de re non prius arte extricata aget, in observationibus minutis et dispersis poterit consistere. Optime Madvigius iis qui easdem in sermonem atque in res inanimatas et ratione carentes leges valere volunt, libertatem vere humanam opposuit; recte idem, multa in linguis fortuita esse. Sed nihil ipsum est fortuitum, quamvis ita videatur ei qui seriem nexumque causarum unde effectum sit aliquid non cernat; multa sane semper erunt nobis fortuita, quoniam ratio singulas res omnes non potest complecti, sed genus illud quod in casu collocatum est angustioribus in dies a scientia terminis circumscribitur. Ut vocum mutationes veteribus illis qui de schematis et de affectionibus disputabant pæne omnes erant in casu atque arbitrio positæ, hodie constat leges certas in eas valere. Quod si rem aliquam totam penitus cognoscere non licet, at ex parte progressionem ejus persequi licet. Quod sane pro lucro habendum est, nam sic regio illa ubi fors dominatur magis magisque imminuitur.

IV. Et profecto nullo modo fieri potest, ut vera sit eorum quæ in linguis continentur cognitio nisi itinera singularum rerum et progressus historiæ ratione comprehendas, sin autem aliquis præscriptam quandam formulam sequetur verendum est, ne omnia quæ propria sint rei non invenias, neve aliena multa inferantur. Sed tamen cum ab suis quæque scientia initiis proficiscatur, tum in historia linguarum nullis quæstionibus, quamvis in definitis rebus versentur, non subsunt universa quædam, quæ nisi erunt diligenter et ab omni parte considerata, vix quisquam effugiet, ne quid prave de singulis rebus judicet. [1]) Et quidem quid sit *analogia,* quid *discretio* (*διαστολή*) diligenter examinare ad historiam verborum et figurarum penitus cognoscendam plurimi interest. Atque apud

---

[1]) Cf. Curtius Act. soc. reg. sc. Sox. t. XXII, p. 2 "die Verschiedenheit der Meinungen beruht hier nicht selten, wie ich glaube, auf der verschiedenen Auffassung gewisser allgemeinen Begriffe, die jeder als von vornherein feststehend betrachtet, während sie einer Feststellung noch sehr bedürfen. Um solchen Dissensus zu überwinden bedarf es neben den immer sorgfältigeren und vollständigeren Durcharbeiten des Stoffes im einzelnen auch gelegentlich einer Betrachtung und Erwägung eben jener Begriffe, die wir beständig bei der Einzelforschung anwenden. Klarheit über diese ist mir von jeher als eine der dringendsten Nothwendigkeiten erschienen. Wissenschaftliche Forschung würde in der That in ein bloszes Experimentiren ausarten, wollte sie es versäumen sich der Begriffe klar bewuszt zu werden, mit denen sie operirt."

antiquos in studiis linguarum magnum locum tenent analogia et discretio; hac vero ætate, etsi a multis negleguntur, magis etiam apparet, magnam et reconditam esse earum vim, et nova lux allata est his quæstionibus.[1] Tamen utraque res et maxime discretio nondum est satis explicata; quamquam a multis sumpta et varie adhibita. Et sunt grammatici quorum animis obscura illa res ita semper obversata sit, ut in omnibus sermonis partibus eam cernere viderentur. Ut Scherer et Ludvigius, quamquam suam uterque rationem sequitur, tamen ea re similes sunt quod ab eo fonte prope omnem variam quæ facta est verbis rerum designationem repetunt. Etiam Buchholtzius in Originibus priscæ linguæ latinæ I—III. Berol. 1876 magnam huic rei attribuit vim. Alii autem, inter quos numerandus est Corssenus, credo, quia iis quæ de discretione tradebantur fidem non habebant, quod illi nimiam vim ei rei tribuerent et modum transirent, discretionem nunquam commemoraverunt.[2])

Vim autem arcanam quandam quæ in sermone versetur discretionem grammatici sæpe definiunt. Ita cum analogia componitur a Merguetio, qui in libro inscripto Ueb. den Einflusz der Analogie und Differenzirung. Regim. 1876 sic p. 6: "sie (discrimina declinationum) sind geschaffen durch die Macht zweier in der Sprache sehr ausgedehnter, herrschender, in ihrem Wesen aber bisher noch wenig beachteter und beobachteter Kräfte: Analogie und Differenzirung." At si demonstrari poterit — quod videtur facile demonstrari posse — discre-

---

[1]) Valde erret, si quis hanc discretionem, cujus cognitionem et speciem aperuerunt hæ rerum naturalium scientiæ, eandem esse atque διαστολήν seu distinctiones Alexandrinorum, existimet.

[2]) Illa etiam causa est cur non multum de discretione disputaverint grammatici, quod studia quæ in historia linguarum versantur gravissimis illis, unde ducantur necesse est omnes etymologorum disputationes, quæstionibus de sonis et de formis ipsis et de analogiis sive legibus phoneticis maxime data sunt. Quo factum est ut minus operæ ab etymologis conferretur ad cognitionem earum rerum quæ subsunt vocibus quibusque rebus interna fiat sermonis progressio. Quamquam etiam syntaxis comparativa virorum doctissimorum curis coepta est illustrari; minus tractata sunt ea quæ ad semasiologiam pertinent vel eam partem etymologiæ, ubi quæ sit ratio vocis ad significationem et quomodo significationes inter se conjunctæ sint quæritur. Ex iis qui de his rebus ad semasiologiam pertinentibus disputaverunt nomino Steinthalium, Toblerum, (v. Z. f. Völkerps. u. Spr.), Pottium, Bréalium, L. Gerberum (die Sprache als Kunst, Bromb. 1871), Abelium, qui in studiis suis copticis (Koptische Forschungen B. 1876) novam viam iniit, nam singulas rerum notationes, sive ad syntaxin, sive ad eum locum grammaticæ, qui est de declinationibus verborum, sive ad lexicorum copias pertinent, ut cum rebus conjunctas esse putat, ita per genera digerit. Minus mihi probatur ratio Goebeli, qui in Lexilogo suo L. 1877 immensam significationnm varietatem a flandi vel spirandi notione, quæ simul cum vita data sit hominibus, repetendam esse existimat.

tiones multas quidem concursu analogiarum importari, eadem re vera valuit in ejusmodi exempla vis analogiæ, ut aliquid obstare videatur, quominus discretionem vim interpretemur ab analogia separatam. Atque in ipso nomine vis cavendum erit, ne hæreamus. Nam si dicas causam verba discernendi in ipsa discretione vel vi discernendi positam, in orbem definitio quodammodo circumagetur. Quod si modo verum est, quod supra significavimus (p. 12), discretionis non unam et simplicem esse vim, sed plurimis causis vel in mentibus eorum, qui loquuntur vel in rebus vel in formis positis confici, certe omnino illud nomen minus aptum est; si hoc igitur modo res se habet, haud scio an SCHERER melius *processum* (l. c. p. 290 "ein Process") dixerit. Qui autem vi quadem sua in sermone ita versari discretionem, ut aliquid spectet ac sequatur — idque plurimi, in quorum numero est ipse SCHERER, putant — cum quæritur, qualis sit vel in qua re posita illa vis et illud studium, dissentiunt. Nam SCHERER in verbis ipsis insitam esse vim discernendi (l. c. p. 215) dicit. Et HERBERTO SPENCERO, qui in principiis philosophiæ germanice editis a Vettero Stuttg. 1875 p. 334 sqq. 351 sq. p. 380 sqq. p. 426 sq. nonnullis locis de sermone mentionem fecit, placet, universam illam et æternam vim, quæ totam eorum quæ sint in rerum natura finxerit varietatem et multitudinem, etiam in verbis inesse atque efficere, ut multiplicentur et distinguantur. Græci autem et Romani grammatici a consilio eorum, qui loquebantur, ut res distinguerent, profectas esse discretiones existimaverunt. Eorum opinionem secutus est LOBECKIUS, qui in Elementis Pathologiæ p. 10 discrimina significationum leni soni inclinatione instituta *commoditatis causa*, i. e. *consilio quodam loquentium*, mutatam vim ut mutata forma consequeretur, dicit. Hi cum in arbitrio posuerunt et nulla re nisi voluntatibus et consiliis distinguendi eorum qui loquuntur regi statuunt, discretiones eas faciunt, quæ arte non possint tractari. WESTPHALIUS etiam distinguendi rationem, sed ab antiquorum distinctionibus diversam in libro, qui inscribitur philosophisch-historische Grammatik der deutschen Sprache Jen. 1869 exposuit. Putat enim figuras quasdam quarum in sonis natura nulla propria vis inesset, ut discrimina quibus perciperentur genera formis redderentur, prima ætate exstitisse. Ab ipsa autem divina ratione, quæ in animis hominum sit, factas esse eas distinctiones, et his illam vim suam ostendisse; sermonem igitur esse artificium et sonis, qui ipsi nullam certam vim habeant et in omnes formas abire possint, tamquam materiæ impressam rerum effigiem sive *ἐκμαγεῖον*. Et tribus illis sonis, quæ sint *a i u*, distinctiones serie dialectica, quæ locis eorum quos in ore obtineant propioribus aut magis distantibus æquabiliter respondeant, repræ-

sentari. Præter illas ab ipsa vi rationis continuo profectas distinctiones *sermonem* posterioribus ætatibus alias, quibus *usus* sit, facere. Cf. Westph. l. c. p. 88—104. Sed apud nonnullos hujus ætatis scriptores aliquid reliqui est de antiqua sententia, tamen ut valde sit mutata; qui discriminandi formas et significationes studium esse, sed cujus non plane sint ii qui loquantur sibi ipsi conscii, aut vocum varietatem, quæ jam facta sit, in usum transferendi volunt. In eam sententiam disputant Merguetus et Angermannus, qui de "studio discriminandi" (Bemerkungen über den Differenzirungstrieb, auf dem Boden des Griechischen und Lateinischen Sprachwiss. Abhandl. v. G. Curtius phil. Gesch. L. 1874) libellum conscripsit [1]), ubi quemadmodum qui scribant scriptione vocum distinguere soleant formas ne confundantur — ut das: dass — sic enuntatione distinguere qui loquantur voces similes velle, aut ne confundantur, aut ut e singulis binæ fiant notatione, dicit. Vetus vero quæ erat opinio, discretiones ipsa eorum qui loquebantur voluntate factas esse, ita mutata est, ut ea quæ in studio discretionis posita sint sensim in verbis apparere et per gradus ad effectum adduci videantur. Illud autem studium sermoni attribuere solent grammatici, sive loquentium hominum ætates conjunctas (cf. Madv. l. c. p. 153 "die Sprache heisst der redende verstanden sein wollende Mensch") sive illi ipsam vim quandam innatam vel quasi ingenium ("språkande") vel rationem in ipsa lingua insitam et quæ in omnibus ejus par-

[1]) Cf. Merguet, l. c. p. 8: "Dass solche verschiedenartige Entwickelungen aber stattfanden, durch welche ein Theil der Participia sich immer weiter von der ursprünglichen Analogie entfernte, dies hat seinen letzten Grund wohl in dem Streben, die Möglichkeit zu differirender Entwicklung der einzelnen Participia, welche durch die verschiedene Formation der zu Grunde liegenden Tempora angebahnt war und durch verschiedene lautliche und etymologische Einwirkungen noch gesteigert wurde, zu benutzen, um diese Participia noch nachträglich formell deutlicher zu unterscheiden, als bei der unmittelbaren analogen Nachbildung geschehen war. Es musste das Verlangen danach um so dringender werden, da bei der mit der Zeit noch immer wachsenden Zahl solcher Nachbildungen mit demselben Typus (denn die ganze Reihe der Participia ist ja nicht gleichzeitig, sondern ganz allmählig durch immer weitere Anwendung derselben Formation entstanden zu denken) sich zuweilen so grosse Aehnlichkeit einstellen mochte dass die Gelegenheit zu deutlicherer formeller Unterscheidung durch nachträgliche Differenzirung durchaus erwünscht war." — et Angermann l. c. p. 4. "Offenbar beruhen beide Arten der Differenzierung, die begriffliche sowohl wie die formale auf dem Streben der Sprache nach Deutlichkeit, einem Streben, das ja z. B. bei der Gestaltung unserer so vielfach verwilderten neuhochdeutschen Orthographie von grosser Bedeutung gewesen ist. Man denke nur an Unterscheidungen wie *das* und *dass*, *wider* und *wieder*, *wol* und *wohl*. Aber im ersten Falle der Differenzirung macht sich daneben ein gewisser ökonomischer Zug der Sprache geltend, nämlich der Doppelformen zum Zweck grösserer Deutlichkeit nicht unbenutzt zu lassen."

tibus eluceat ("objektivt förnuft"), sive eum qui tamquum corpus vi sola naturæ vigeat ("naturorganism") sermonem constituunt. Neque enim ab historica ratione quam hodie sequuntur homines in studiis linguarum, alienum est quod putant, sensim fieri discretiones. Quia nunc constat plurima in sermone per gradus mutari, non tam facile quam ante adducti sunt, nunc adducuntur homines ut credant, voces repente singulorum hominum voluntatibus esse discriminatas. Illud quoque videtur futurum esse, ut vetus illa, cujus auctores nonnullos nominavi, sententia eorum, qui ad consilia referunt has differentias, iisque aliquid spectari putant, linguarum studiis, quibus, dum via ab viris summi ingenii et summa diligentia munita progrediuntur, accurate pervestigantur singula, in angustum deducatur. Neque vero ad arcanam et internam vim mutationes verborum referre, cujus sententiæ multi et magni sunt auctores, inter quos nomino HEYSIUM et RYDQVISTIUM nostrum et HAASIUM (is in hunc modum disputat libro qui inscribitur Vorles. z. Lat. Spr. I. Bedeutungslehre L. 1874) hodie multis placet. Nam quid valeat sonorum corruptio et coagmentatio ad verborum mutationes, ita hodie demonstrant grammatici, ut probare studeant hanc esse solam earum causam. Qui quamquam nimis fortasse in hac una re versantur, tamen non modo utile erat sed etiam necesse rem ad tempus quidem ita institui. Et quidem consecuti sunt, ut demonstrarent, intentionem vocalium, si non omnem at magna ex parte, aliasque sonorum mutationes, quas antiquiores illi interna quadam vi effectas putassent, causis in sonis ipsis positis allatas esse. Accedit quod etiam analogias in sermone multas esse et secundum eas analogias significationes cum significationibus formas cum formis conexas esse hoc proximo tempore demonstrari coeptum est.

Quamobrem DELBRÜCKIUS in Ephem. Jen. N:o 25 1875 "Es fragt sich, inquit, ob, wenn man in die Stelle der bisher üblichen mehr oder minder teleologischen Auffassung die historische setzt, sich der Begriff Differenzirungstrieb noch halten lässt". Et causa data aliqua forte exstitisse discretiones atque a consiliis hominum sejunctas esse statuit OSTHOFFIUS, qui in libro sic inscripto Forsch. im Geb. d. indog. nom. Stammbildung II, Jena 1876 p. 34 dicit discretionum initia fortuita analogia propagari et confirmari. Et ego in commentatione de divisis significationibus a. 1875 edita p. 33 sic de his rebus judicavi: "apparet igitur sensim et casu quodam accidisse, non certa lege aut ordine ea discrimina olim constituta esse," et de analogia ibid. p. 2. Quamquam ego ab OSTHOFFIO hoc dissentio quod discretiones omnino tam fortuitas esse nego ut non aliquid de causis earum erui possit. Neque apud illum neque apud quemquam alium de

discretione quid sit statuendum accurate quæritur, neque exemplorum copia diligenter perpensa verum esse quod posuerat, quisquam probavit. Hic igitur *analogiam* maximam vim habere vult; SCHROEDER (cujus liber sic inscribitur: über die formelle Unterscheidung der Redetheile im Gr. u. Latein. L. 1874) a *dissimilitudine* (h. e. quæ cernatur cum absit analogia) [1]) ortum discretionis repetit. Neque tamen, etsi recentissima hæc studia priorum sententias aliqua ex parte minus valere documento esse jure dicas, illæ fortasse omnino tolli possunt. Neque enim quidquam de ea re pro certo dicere licebit, nisi spectatis et ponderatis singulis exemplis et universa re arte tractata, vera sit necne, aut si qua vera sit, quatenus valeat cujusque sententia, aliquis perspexerit. Nam cum plures sint sententiæ de hac re allatæ, fortasse in omnibus aut in nonnullis aliquid veri inest.

Ex his igitur quæ jam breviter percurrimus apparet, de hac re quæ maxime a nobis quæritur, quæ ratio sit formæ variatæ ad significationis distinctionem inter viros doctos magnam esse controversiam, nam qui formas variatas esse ut distinguerentur significationes existimaverunt *simul* ambas factas esse illas res statuisse est manifestum. Alii autem existimant, formas primum discretas tum im varios usus collatas, sic M. BRÉAL, Parisiensis, v. ill., qui de geminis formis latinorum paucis egit (com. qu. inscr. "Les doublets latins" [2]), JOH. SCHMIDTIUS (zur Gesch. d. indog. Vokalismus J. 1871 I, 39; II, 353), SCHERER, alii. SCHROEDERO autem placet [3]) primum significationes divisas, inde factum esse, ut formæ discernerentur. At gravius videtur quod L. GEIGER, vir in his rebus magnæ auctoritatis, quia nulla re nisi casu significationes vocum discretarum distinguantur, omnino hoc ad artem revocari posse negat. Is enim in libro qui inscribitur Urspr. u. Entw. d. menschl. Sprache u. Vernunft. I. Stuttgart 1868, formas

---

[1]) Cf. SCHROEDER l. c. p. 59: "Ehe noch die Form verstümmelt ist, kann schon durch die *veränderte grammat. Function* die Erinnerung an den ursprünglichen Charakter der Bildung ganz aus dem Sprachbewusstsein verschwunden sein. . . . . . *Nicht* in *der Absicht*, die Redetheile zu scheiden, wird die *Form differenzirt;* sondern *weil* zuerst ein und dasselbe Wort *bald diese*, *bald jene Function* erhält, gewöhnt sich das Sprachbewusstsein, beide als 2 verschiedene Wörter anzusehen und zu empfinden, und demgemäss geht auch *die formelle Weiterentwicklung* jedes derselben *ihren eigenen Gang*, *daher die Differenz*.

[2]) Mém. de la soc. de ling. Paris. 1868 pag. 162—170, ubi ille pag. 163 sic: Il est intéressant d'observer comment ces mots, obéissant à une loi presque constante dans l'histoire du langage, ont pris des acceptions distinctes. Toutes les fois qu'une langue dispose de deux exemplaires quelque peu différents du même mot, elle est tentée de profiter de ce double emploi pour attacher à chacun une nuance de signification particulière.

[3]) Cf. l. c. et hoc q s. ib.: "Die noch hinzutretende formelle Differenzirung müssen wir als *Folge* dieser im Sprachbewusstsein bereits vorgenmenen Scheidung betrachten."

discretas a variandi sonos studio profectas (dissimilationsprocess pag. 224, 225) "ne eodem modo semper voces sonarent." Significationum autem discretiones fortuitas esse. Mutatas significationes formarum differentiis ne minima quidem societate conjungi, nam in vocibus appellandis naturali quadam vi duci homines, non sua voluntate impelli (p. 160); res autem verbis designare hominis proprium esse; sic verborum significationes natura a sonis sejuncta esse. Formas autem discretas considerare eo non parvi interesse dicit, quod documento sint, non mutatis significationibus formas variari. Et id quidem non injuria dixit; sed illud in nonnulla cadit verba, in omnia non cadit.[1]) Multi videntur sane hanc Geigeri sententiam complecti. Etenim necio an hæc causa sit cur dispersas distinctiones nonnumquam commemoraverint grammatici, nemo autem de universa re nisi brevissimis et paucis commentariolis egit. Nimis autem videtur Geiger sejunxisse formas et significationes, nam primum, ut res, quæ verbis subsunt, i. e. notationes, ita formæ verborum sunt opera vere humana et præ se ferunt ingenuam mentis humanæ vim, et effectrix illa hominis vis multis discrimina mentis verbis expressit. Deinde quod significationem ad formam verborum quidquam momenti afferre negat, minus accurate de multis judicasse eum, fortasse infra exemplis ostendere potero. Quid? analogia qua sunt formæ verborum cum significationibus colligatæ, nonne est vis animi? Sed de his rebus infra amplius.

V. Non modo autem ad linguæ sed etiam ad grammaticæ latinæ historiam pertinet hic locus, qui est de discretione. Et quoniam de latina discretione quæro, etiam quæ de hac re disputaverint et Græci, quos secuti sunt Romani, et Romani ipsi, mihi erit quærendum.

Magnam igitur esse rem, apparet; commemoravi autem, quæ sint superandæ difficultates, non ut habeam quod, si quid erravero, aut hæsitavero, aut si quid deerit, excusem; sed ut et aliis et mihi, quæ sint sequenda, planum fiat.

---

[1]) De universa hac quæstione sic idem p. 426 "*Laut* und *Bagriffsvariation*, die fast unbegrenzte Möglichkeit von Lautverbindungen in ihrem Verhältniss zu dem theils unmerklich schwankenden, theils ebenso proteusartig wandelbaren Begriffe, welche die Wissenschaft auf ein Meer von Ungewissheiten zu verlocken droht."

Cap. II.

Discretionis formæ summatim exponuntur.

Intermortua nativa illa vocum effectione postquam excessit ætas prima elementorum sermonis novatrix, duplici via incrementum suum quæque lingua cepit, ut vel *componendis* veteribus elementis vel *immutandis forma* et *potestate* nova pararet. Hoc autem alterum genus totum ad *discretionem* referri hoc libro demonstrabimus. Sic duo genera et latissime patentia habebimus, alterum compositionis ("composition och suffixbildning"), alterum immutationis, quoniam universe statuere licet, varietatem et formarum et appellationum in linguis non modo *compositione* vocum et conjunctione vocis cum accessionibus, quæ nunc suffixa dicuntur, sed etiam *discretione* contineri et geminarum formarum, quæ e singulis natæ sunt, et eorum verborum quæ confusa voce aut potestate fuerunt, aut videntur, nisi progressio sermonis quodammodo esset retardata, fuisse futura. Illud genus, adsumpta extrinsecus nova materia efficitur, hoc in ipsorum verborum vi ac natura est positum incrementum, sive voces in varias formas dividuntur, sive significationum differentiæ, primo voce non distinctæ, formarum discrimine insigniuntur. [1])

Discretionem autem dicimus, quam vulgo *"differentiering."* [2]) Hoc igitur nomine et sonorum et significationum sic comparata discrimina comprehendimus.

---

[1]) In commentatione a. 1875 edita, cum id agerem, ut rem illam huic consimilem quomodo voces positione cognatæ ad sententias diversas usu essent diductæ illustrarem exemplis, hanc quoque rem, cujus universam speciem nunc institui adumbrare, paucis attigeram.

[2]) *Dissimilation* Tobler Ztschr. f. Völkerps. u. Sprachw. I. p. 353. Pott. *"Temperirung;"* Geiger. Urspr. und Entw. d. Menschl. Sprache u. Vernunft, Stuttg. 1868, I, p. 426: *Laut- und Begriffsvariation.* De eadem re Charisius ap. Nonium *"discindendi"* verbo utitur. Putschius autem Keiliusque illum secutus p. 94 *"discidunt"* Nonii mutaverunt in *"distinguunt,"* sed illa mutatio gravior est, et, cum aliquid dubitationis habeat sane, illud Nonii fortasse legendum est *"dividunt."* *"Discretio"* autem ut a Prisciano II, 14 H. significationis distinctio nominata est, sic dici potest appellationis variantia, qua *"discerni"* dicuntur nomina ab Ammiano Marc. XXV. 5 "antesignani quosdam clamare *Jovianum* audientes eadem multo magis sonabant, gentilitate enim prope perciti nominis, quod una littera discernebat, *Julianum* re-

Et nostri tum soni divisionem, quam hoc tempore dicunt ("delning", "spaltung") vel variantiam, tum significationis distinctam varietatem, tum harum rerum concursum vel fixa in diversis potestatibus appellandi discrimina ita nominant.

Cujus verbi vis ab aliis scientiis ad studium linguarum his proximis annis translata est. Atque in historia naturali discretio ("differentiering") dicitur cum si ex uno principio exstiterunt plura, tum primigenia species si divisa est in formarum varietatem, propterea quod singuli vel singula ejusdem generis alibi in alia vita oriuntur, pubescunt, senescunt, denique quod fieri potest, ut suo quæque in genere, pro vitæ conditione, aliter aliis temporibus affecta sint. Sed ad hanc rerum externarum vim, si futura est discretio, accedat necesse est illa ipsius naturæ indoles, quæ inclinatione sua in partes feratur diversas ("divergens"). Et ea est hujus rei progressio, ut indidem profectæ formæ, ut minimarum differentiarum creverit summa, ita magis magisque a pristina proximitate removeantur. Quamobrem, etsi non desunt quæ quasi uno impeto e pristino statu evolasse et in novam quandam formam erupisse videantur, hoc tamen, fieri per gradus temporum et a minoribus atque obscurioribus differentiis proficisci et per majores et magis distinctas procedere, discretionis plerumque proprium est.

Cum autem linguæ nonnulla habeant corporibus, quæ temperatione naturæ vigent moventurque, similia, tum divisionem per varias dialectos linguarum ad hanc rem SCHLEICHER [1]) jure rettulit.

Apparet autem hanc discretionem, qua dialectorum et linguarum formatur multitudo, initio quidem nihil aliud esse quam summam discretionum specialium, quæ in elementis sermonis versantur, et quidem præsertim nasci solitam, si causæ quædam aliqua ætate effecerant, ut hujuscemodi differentiæ plurimæ exsisterent, latissime per omnes partes linguæ serperent ac luxuriarentur, ita denique crescerent, ut voces et appellationes gravius mutandi vim haberent.

---

creatum arbitrati sunt deduci". Atque ut ab Ovidio septem *discretus* in Ostia dicitur Nilus, ut ex uno flumina fiant plura, sic voces et figuræ vocum discernuntur. *Differentiam* appellat Quintilianus I: 7, 5 "illa quoque servata est a multis differentia, ut, ad, cum esset præpositio, d litteram, cum autem conjunctio, t acciperet." Item Priscianus VII, 30. Vocum *discrimina*. Quint. I: 5, 25. *Distinctionem* ib. 27, et alii, eam quidem his nom. q. Gr. *διαστολήν*.

[1]) SCHL. Compend. [4] p. 4: "Durch verschidene entwickelung auf verschidenen punkten des gebietes einer und derselben sprache spaltet sich im Verlaufe der zweiten periode — eine und die selbe sprache in merere sprachen (mundarten dialecte); dieser *process der differenzierung* kann sich merlach widerholen. Et JOHANNES SCHMIDT, quam de linguis cognatis exposuit rationem "Sprachdifferenzierung" (zur Gesch. des Indog. Vokalismus, Weimar 1871 et 1875 II, p. 183), vel. "dialektische Differenzierung", (ib. p. 186) nominat; cf. ejusd. "Die verwandtschaftsverhältnisse der Indog. Spr. Weimar 1872.

Jam vero intra suos cujusque linguæ vel dialecti fines ejus rei si non tanta, at non parva vis exstat; minima nimirum in linguis, quæ expolitæ litteris et quodammodo stabilitæ sunt, sed omni tamen ætate, dum vivit per ora suæ gentis lingua, et sonos et formas vocum et significationes hac variandi et discernendi lege sæpe videmus teneri.

I. Ac primum ex sonis singulis plures fiunt. Ut jure VERNER in Kuhni Ann. Nov. Ser. III: 2. 1875 ita ("differenzierung") appellat, quod cum ex. gr. e principali *t* factum esset *þ*, hæc littera divisa est mutato accenta in duas has *þ* et *d* linguarum germanicarum, ut goth. *þiuda* umbr. *tutu* populus; scand. *endi*, scr. *antja* finis. Eodem modo p. 113 "die differenzirung des *s* zu *s* und *z* (r)" [1]) E græca lingua exempli gratia digammum commemoro, quod vel incorruptum mansit, præcipue in dialectis dorica et æolica, vel interiit, jam compensatum, jam sine illa compensatione vel in vocalem *υ* (*ō*? CURT., *ī*? CHRIST. Lautlehre p. 193 seqq.) vel in consonas labiales *β* *φ* (*μ*? *π*? in gutturalem *γ*? Curt. Grz [4] p. 584; in *ϱ*? Curt. Grz [4] p. 447) vel in spiritum asperum mutatum est. Cf. SAVELSBERG, de Digammo ejusque immutationibus Berol. 1868 (qui tamen quod digammum in *σ* mutatum censet, non facile crediderim id fieri potuisse) et CURTII Grzüge [4] p. 549 sqq. Atque etiam in lingua latina *v* in duo vel potius fortasse tris sonos, unum vocalem, alterum, qui proximus vocali est, simpliciter labialem, tertium labio-dentalem divisa est. Cf. *amb-ig-ŭu-s: sanguī-s, tenŭ-i-s: tenuī-a, relic-ŭu-s: reliquu-s.* Ut in linguis germanicis ita in italicis *s* in *s* et *r* discretum. Sed longum est ceteras vel consonarum vel vocalium, quæ plures

[1]) Et ASCOLIUS, Vorlesungen über die vergleichende Lautlehre, übers. v. Bazzigher et Schweizer-Sidler Halle 1872, gutturalium gravia lateque patentia, quæ non modo gradus rationemque linguarum cognatarum, sed etiam ea quæ in quaque lingua sunt variata attingant, exempla attulit. Ut dentales, sibilantes, palates, labiales, quæ a principali *k* profectæ sint, omnes ad duas levissimas minimoque intervallo distantes illius soni mutationes, quæ sint k^i et k^v, in lingua principali indo-europæa factas, referri demonstrat. Sive sonus, qui tamquam parasitus adhæsisset, ad majorem vim auctus, primam vocis naturam commutasset, sive abjecto eo, illa esset redintegrata, varios ac diversos sonos in linguis exstitisse. Hanc igitur explicavit eo libro ASCOLIUS immixtam sonorum implicationem, ostenditque exemplis ad persuadendum aptis, esse quædam sonorum gutturalium momenta, ut ad corruptionem impellantur, aut interdum propius ad pristinam integritatem tamquam retro cedant. Sed cum universam hujus rei vim breviter comprehendit, appellavit (l. c. p. 77 et al.) "*evolutionem*", cujus sive cursum retro aliquis persequatur, adversum unum locum spectare omnia, sive progressum, se dividere. Aliam de hac re sententiam protulit FICKIUS, Spracheinh. d. Indog. Eur. p. 3 sq. qui discretionem quandam gutturalis soni in *c* et *k* in ipsa lingua primaria indoeuropæa factam esse vult. CORSSENIUS autem (Beitr. zur ital. Sprachkunde Berlin 1876) utrumque eorum nonnulla de latina gutturali non recte dixisse, demonstrat p. 48 sqq. cf. et. CURT. VII, 267 s.

etiam sunt, quoniam vocales magis quam consonæ obnoxiæ sunt mutationibus [1]), in his dialectis factas enumerare et minus ad nostrum propositum necessarium, præsertim cum nemo in harum linguarum historia mediocriter sit versatus quin hujus rei exempla facile inveniat multa.

Causæ autem plures effecerunt illas sonorum discretiones. Ac prima causa est in ipsa sonorum mutabili natura vel potius, si rem subtilius definias, in varia eorum qui loquuntur voces efferendi consuetudine, quæ temporum decursu mutatur, ut aliæ alia ætate valeant rationes. Ita suæ cujusque appellationis sunt quædam ætates: primum incrementum capit, tum est in fastigio, postremo consistit. Hujus generis est *divisio* illa *vocalium*, per omnes indo-europæas lingua latissime patens, quæ quomodo in latina lingua et in græca versetur, exposuit CURTIUS Ber. d. S. Ak. d. Wiss. t. XVI, 1864. Altera vero causa ex mutuis sonorum affectionibus est repetenda. Ut nonnullæ discretiones consonarum ad duas res proxima et insequenti vocali importatas: *i* vocali *mollitiem* ("mouillering") et u vocali labialem affectionem ("labialisering") quæ affectiones sæpe extra proprios fines analogia sunt prolata, referri debent. Denique quæcumque sonorum mutationes concursu quorundam sonorum ortæ sunt, ut vocales quædam ante quasdam consonas, consona ante quandam vocalem mutari dicitur, vocalis ad vocalem, consona ad consonam accommodari ("kombinatorisk ljudöfvergång") ex hoc genere sunt. Sed res omnibus nota. 3. Tum vero tota vis verbi in singulas partes dominatur, ut contrahantur corripiantur extenuentur. Voculatione autem universæ vocis illa vis maxime cernitur. Et in germanicarum mutationibus litter. "explosiv." gutturalium et dentalium quæ est discretio, eam ad accentus variantiam referri VERNER l. c. demonstravit. 4. Ad propagandas autem sonorum affectiones multum valet *analogia*, quæ non modo in forma, sed etiam in usu vocis convenientiam sequitur. Ut *ant* quæ primo fuerat una forma figuræ, ad varios usus translata in latina lingua *s* ultimum ubique retinuit, in græca participia præs., fut., aor. II *s* illud non habent, nisi pauca et quæ sint antiquioris generis ut *διδούς* (sic etiam *ὀδούς* BRUGMAN de nasali sonanti in Curt. Stud. IX); aoristi passiv. et aor. I activi retinuerunt. Sed quod hæc varietas ipsa soni na-

[1]) Cf. SIEVERS Grz. d. Lautphysiologie Leipzig 1876 p. 23: "Ausserdem ist noch zu beachten, dass ein Laut um so mannigfacher modificirt werden kann, je grösser und veränderungsfähiger das zu Resonanz dienende Stück des Ansatzrohres ist, d. h. je weiter rückwärts im Sprachorgan seine schallbildende Artikulation stattfindet. In erster Linie stehen also hier die Vokale (deren Unterschiede überhaupt blosz auf schallmodificirender Artikulation beruhen) dann folgen die Gutturale, Dentale und schliesslich die Labiale.

tura cognita non explicatur, nam nulla in sonorum natura est causa, quin hoc aut illud omnibus his exemplis fieri potuerit, ut nihil quicquam proficias, si aliam alio loco legem phoneticam (ut hujus ætatis utar vocabulo) sumas — eo magis apparet, nos cum de hac sonorum analogia mentionem facimus, non tam in sonorum discretione versari quam in *formarum*, forma autem est sonorum cum aliqua significatione colligatio. Ad hoc alterum igitur genus transeo.

II. Formæ vocum discretæ sunt cum variata appellatione factæ aut binæ, quod sæpius fit, aut, quod rarius, plures, ut *divus: dīus: deus; potis: pote: -pte: -pse; pennus: pinnus: pīnus; ὥς: ὥς: ὡς; ὀλενόκρανον: ὀλέκρανον: ὠλέκρανον.* In multis autem rebus consistit ea varietas.

1. In mutato spiritu, et primum quidem eo quo quasi inspirant primæ verbi litteræ qui loquuntur, et ante vocalem, ut *ἵστωρ: ἴστωρ; harena: arena,* ut jam patentem epiglottidem permeet libere spiritus (asper), jam e claustris clusæ evolet, quem lenem dicunt; et ante consonas primas verbi, si non plane eodem modo comparata, at similis variantia quarundam linguarum est. Nam cum epiglottis, si quis non loquens spiritum ducit, patere soleat, sin autem ad efferendam vocem, quæ a tenui et muta consona incipiat, os aptatum est, in illa consona patens maneat, in sonanti chordis vocalibus adpellanda consona tantummodo coartetur, tum etiam, ut vocalis exspirationem, sic consonarum explosionem præcedere potest compressio epiglottidis (cf. Sievers Lautphysiologie p. 83 et 92), ut inde collectus spiritus majore vi erumpat; sic oritur mox ante explosionem inflatus quidam vocis. Tum epiglottis aut continuo fit patula aut ita panditur ut tamen primo angustior sit. Si primo angustior, sonent chordæ vocales necesse est; facile autem inflata illa vox fit magis sonora, sive plena exspiratio ante veram explosionem exsistit. Sic prostheticæ illæ vocales in linguis romanicis, quæ dicuntur, et in græca videntur exstitisse. Quod dicit Curtius, Grz[4] p. 711 "Da ein solcher Vokal unwillkürlich aus der vor allen tönenden Consonanten inhärirenden Stimme entsteht, so ist seine besondere Klangfarbe eine sehr wandelbare," non cadit in ea exempla, quæ post prostheticam vocalem habent consonam quæ non "sonet." Neque enim, si sono chordarum vocalium caret consona, sonora illa prosthetica littera ex sono proprio consonæ potest orta esse. Quamobrem ea interpretatio videtur esse reicienda. Quoniam autem appellandi ratio illa jam adhibita est, jam non est, discretæ in illo genere formæ inveniuntur: *σφέ: ἄ-σφε; μοί: ἐμοί; λύγη: ἠλύγη; κέλλω: ὀκέλλω; θέλω: ἐθέλω,* alia, de quibus Lobeck. Path. Element. I: 68, 345, sæpe al. In latina autem lingua ea res non invenitur præter exempla illa postremæ latini-

tatis, de quibus copiose SCHUCHARDTUS: der Vokalismus des Vulgär-lateins. L. 1867 II, p. 337. Etiam in media voce variat inter vocalis spiritu hoc: *vehemens*, *veemens* (et *vemens*) Velius Longus p. 2229 P et 2234 [1]). Aut etiam fit ut inter consonas irrationales vocales vel potius inflatus vocis impetu quodam exspirationis anticipatæ nati in pleniorem vocalis vim crescant: ante liquidam (ex-)*probrare*: (im-)*properare*; inter alias cons. *gymnasium*: *guminasium*; *dictare*: (in-)*digitare*; osc. *sacra*: *σάκορο*. Post liquidam *fertis*: *feritis* Prob. 189 K. [2]) Deinde exspirandi litteras ("aspirationis") est varietas ut gr. *δέκομαι*: *δέχομαι*; *σπόγγος*: *σφόγγος*; *βρύκω*: *βρύχω*; lat. *pulcer* (antiquius): *pulcher* Cic. Or. 48, §§. 160, ubi et *pulcer et Cetegos triumpos Kartaginem* dicit obsoleta esse, *Matones*, *Otones*, *cæpiones*, *sepulcra*, *coronas*, *lacrimas* usitate dici, unde etiam cum aspiratione pronuntiata illa ætate esse ea vocabula apparet, quod aliunde compertum est. Et in nonnullis græcis: *ancora*, *Bosporus*, ubi aspiratione non utuntur Græci, *scida*, *coclea*, quorum aspirationem subinde tollebant Romani, usus variat, de quibus cf. Brambach, l. c. p. 290, ejusd. Hülfsbüchlein s. v.

2. In *vocalium* variata appellatione positarum discretionum sunt hæc genera.

Producta vel intenta et aucta [3]) vocali, ut scr. *pad pada* = *pād*, *pāda* (pes); *κόλον* = *κῶλον*; *ἕζομαι* = *ἕζομαι*; *ἴομεν* = *ἴομεν* (Hom.) *tŏtus* = *tōtus*; scr. *pulaka* = lat. *pūlex*; græc. *ὕραξ* = lat. *sōrex*; *lĭquor* = *līquor*.

Correpta ut *glōmus* = *glŏmus*; *lōcusta* = *lŏcusta*.

Latiore et crassiore facta voce, ut *villa* = *vella*, cf. Cic. de Or. III, 46 Varro R. R. I, 48.

---

[1]) Neque quæ BRAMBACHIUS "die Neugestaltung der lateinischen Orthographie" L. 1868 p. 286 cum illo, quod est vehemens, commemorat: *prehendo* (de-re-) *nihil*, *nil* in eadem causa sunt; numquam enim in his aspiratio mediæ vocis tollitur quin contrahantur vocales, neque *incoho*, *cohors*, in quibus transponi potest aspiratio, omnino abesse non potest. At fortasse *traho* et *veho* illius rei, quam supra commemoravi vera sunt exempla, nam et *traho veho* et *trao veo* dicta esse loco Probi inst. a. p. 185 K. colligas, cf. Bramb. l. c. p. 287.

[2]) Hanc rem, quæ svarabhakti scr. dicitur, græce *ἀνάπτυξις*, nimis angustis terminis videtur circumscripsisse Sievers Lautphys. p. 142. Nam sic ille: "Damit svarabhakti eintreten könne, musz die silbe mit zweigipflichem Accent (i. e. accentu circumflexo) gesprochen werden, jedenfalls darf sie nicht den Acut besitzen." Osca quidem lingua in syllabis quæ accentus ictu carent, anaptyxin adhibet, ut aragétud (argento) teremnáttens (terminaverunt) alia exempla vide ap. BRUPPACHER. Osk. Lautlehre Zür. 1869 p. 53 sqq. Neque vero nimis tribui debet opinioni eorum qui *ἀνάπτυξιν* liquidarum propriam esse dicunt, etsi frequentior est post liquidas; cf. *uncias* = *unicias*; *fascibus* = *fasicibus* SCHUCH II, 420.

[3]) Productionem et intentionem vocalium natura conjuncta esse existimo.

Quasi extenuata ut *conquærere* = *conquīrĕre; galbanus* = *galbinus; σκαμβός* — *σκιμβός; obstupesco* = *obstipesco; votare* = *vetare; tres* = *tris.*

Ita mutata ut vox facta sit gravior, ut umbr. *pafe* = *pufe*; scr. *trasara* = *trasura;* l. *lacuna* = *lucuna; irpex* = *urpex; volnus* = *vulnus.*

Simplice et longa vocali in diphthongum mutata: *cō-ti-s: cau-ti-s;* (*pūsus*) *pūsillus* pūsillus = *pausillus* Turp. 90 R, cett.

Diphthongo in simplicem mutata: *raudus* = *rodus.*

3. *Consonarum* autem variata pronuntiatione sunt genera geminarum formarum hæc.

Producta consona: *Duilius* = *Duellius; querēla* = *querella; mūcus* = *mūccus.*

Correpta consona, vocali autem pariter aucta: *divissio* = *divīsio; nummus* = *nūmus;* aut vi accentus ut *currulis* = *curulis.* Etiam fit ut vocalis consonam nasalem loco pellat, ut *σκίμπων σκίπων; λάμψομαι* Her.: *λήψομαι; quotiens* = *quoties; pinso* = *pīso.*

Mutata consona aut gravius, ut in diversum genus transferatur, ut *fordus* = *hordus; scloppus* = *stloppus; exanclare* = *exantlare;* umbr. *persklum* osc. *pestlom;* umbr. *ikuvina* tab. I, b[5] (quod sic pronuntiandum est: *iguvina*) = *ijuvina* ib.; *dacrima* = *lacrima;* aut levius, cum quæ natura sunt magis vicina inter se commutantur, ut sc. *kramas* = *klamas* (lassitudo); lat. *haru*(-spex) = *halu*(-cinor). Aut cum in eadem sede atque ordine manserunt illa quidem, sed immutata sunt paullum appellando, idque sæpe ita, ut consimilia aut assimilia sint proximis, ut cum semivocalis facta est vocalis, *milvus* = *miluus;* si quæ dentalis et explosiva fuerat, dentalis et spirans facta est: *estus* = *essus* (ēsus); si quæ dentalis et explosiva, dentalis et nasalis: *dispendite* = *dispennite;* si quæ nasalis et labialis, nasalis et gutturalis, *numquam* = *nunquam;* si quæ labialis et media, labialis et spirans, *sēbum* = *sēvum;* si eis quæ carent chordarum vocalium sono, additus est, ut *cerrones* = *gerrones; haut* = *haud;* et e contrario, iis quæ habent, ademptus est, ut *ob sub* = *op- sup-;* si alius sonus admixtus est, ut, labiali addito, *coquite* = *quoquite;* nasali *κίκιννος* = *cincinnus; frigultire* = *fringultire(?);* aut si quibus erat admixtus, ad integritatem restitutæ, — *quom* = *cum; equus* = *ecus;* et cum, tanquam vi quadam inertiæ, motus illi, qui ad appellandas litteras pertinent, non una consistunt, quo efficitur, ut cognata quædam littera quæ tanquam pars sit articulationis quam dicunt, addita videatur, ut pro *m, mp, hiems* = *hiemps.*

In singulis litteris enuntiandis positæ sunt hæ, de quibus huc usque mentionum fecimus, variæ formæ.

4. Universa vero vocabula variis afficiuntur mutationibus. Ita hæ facta sunt discretiones.

Imminuitur corpus vocis tanquam vetustate attritum, aut ut levior vox exeat, aut, quia conjunctio illa sonorum, quibus quodque vocabulum constat, tanquam materies usu subacta est et densior facta. His rebus efficitur ut syllabæ contrahantur, corripiantur, tollantur, litteræ et consonæ et vocales aphæresi, syncopa, elisione intereant, ut *σκῦτος = κῦτος; gnatus = natus; Vulpius = Ulpius; jambrices = ambrices; iste = ste* (Lachm. ad Lucr. p. 197, 232); *merces = merx; inquietus = inquies; eompositus = compostus; uvidus = ūdus; dehibeo = debeo; mixtus = mistus; lacte = lac; potis = pote.*

Deinde accentus vi multa hujus generis exsistunt. Et hoc quidem vel maxime apparet in lingua latina, ubi accentus ad formam vocis magnam vim habent, cf. *núnc iám = núnciam* Plaut. *fenestra = fenstra; immersti = immersisti; Saburra = Sabŭra.* At in græca lingua nihil admodum valet accentus ad ceteras vocis syllabas mutandas, cf. *ἐγώ = ἔγω-γε; ποιός = ποῖος; τέτανος = τετανός; φάνος = φανός; ὀργυιά = ὀρόγυια.* Quamobrem non temere putes multo majore exspirationis vi in latina quam in græca lingua syllabas quæ habebant intentionem majorem vocis esse pronuntiatas. Latinam autem illam varietatem formarum fere esse non eadem ætate ortarum nonnulli exstimant. Quod num ita sit infra explorabimus.

Tum *reduplicatione* variantia facta est formarum, ut *conia = ciconia; Mars* = osc. *Mamers.*

Postremum *metathesi* ejusdem vocis formæ geminantur. Metathesis autem est et proximarum litterarum, ut *καρδία = κραδίη; πιρκνός = πρεκνός; scerbilīta = scribilita*, et earum, quæ aliis litteris separantur, ut *flagrantia = fraglantia* Ribb. Fleck. Ann. 77, 191; *arcesso = accerso.*

Atque hanc discretarum in latina lingua formarum adumbratam speciem breviter sumus complexi, ut inde ab initio forma totius rei daretur. Hoc igitur loco universa genera designavi; nonnulla eorum varias vocum affectiones continent: nullas autem earum prætermisi, nisi ut iis simillimæ h. l. sint allatæ, nam si quis in his studiis versatus erit, ad quod genus quidque referat, non dubitabit. Cum latina hujus rei genera persequi instituissem, tamen et sanscrita et græca nonnulla, idque maxime eorum generum, quæ ita latina non sunt, ut

sint latina iis vicina et similia, aut quæ rara sunt in latina, in græca lingua frequentiora, exempla adscripsi.

Plurimarum quæ divisæ sunt formarum exempla ea attuli, quæ ambo simul eadem ætate in monumentis exstent. Illa autem quæ ejusdem ætatis non videntur esse, ipso genere ab his non differunt, quia nullæ sunt appellatione ita discretæ formæ, ut primaria simul cum secundaria ad tempus quidem retenta non sit.

III. Significationes discernuntur ('differenzirte Bedeutung').

1. Primum quæ *stirpe similes sunt* discernuntur significatione. Ut *item* pro *ita* apud Plautum est, apud posteriores discreta sunt, etsi *non item* modali significatione positum ab illo proxime abest. Et *propter* apud Lucretium, 1, 90; 316, sæpius, pro eo q. e. *prope*; posteriorum consuetudo magis distinctam illius vim ab hoc vocabulo fecit.

2. Deinde *geminæ formæ* quæ voce, sæpe etiam usu discretæ sunt. Et in plurimis earum de quibus mentionem fecimus formarum geminarum generibus ejus rei exempla inveniuntur. Ita quem ante secuti sumus ordinem nunc sequentes, et principalem formam priori loco ponentes, hæc commemoramus:

a. *ἁγνός* adj. castus: *ἄγνος* subst. vitex castus; *ὕδη* cantus: *αὐδή* vox; *aut: haut, haud* —

τλάς: Ἄτλας; με: ἐμέ —

ἀλγεινός: ἀλεγεινός; πλέθρον: πέλεθρον; κρύπτω: καλύπτω; — *κάρκαιροι· τραχεῖς* Hes.: *κάρχαιρος* dentibus aecr.; *ἔλπος· ἔλαιον στέαρ: ἔλφος· βούτυρον* Hes.; *-τα: -θα* Ahrens I, 153; I, 367; —

cecĭdi: cecīdi; vacmi: vāçē, de quibus jam p. 7 mentionem fecimus. —

μήν μέν; modō: modŏ; —

at: et; sa-tu-s: si-tu-s; festuca arundo: *fistuca* fustis; *-undu-s: -endu-s; sudus* adj.: *sudis* subst.; —

scăpus fabæ cett.: *scōpus* acini, *scōpæ* sarmenta; *salvus* (scr. *sarva* omnis): *sollus* (sollum osce totum et solidum Fest. 293, sollus pro solvus ut græce *ὅλος* pro *ὅλϝος*, cf. mollis pro molvis); *capio: cupio; mōto: mūto;* —

rūdus glarea: *raudus* massa æris; —

Claudius: Clodius; —

πάπας pater: *πάππος* avus; *coleus* testiculos: *culleus* saccus; *tulo* fero: *tollo;* —

sollus: sōlus (ad significationis transitum, cf. nostrum *all-ena* et Hor. Ep.

I: 5, 7 olus omne, i e. nihil nisi olus; et "omnia ponebant Tusco farrata catino" Juv., i. e. sola farrata); —

**interus* (cf *intra*): *ūterus; βένθος* profundum: *βυθός* etiam infimum mare; —

**ghilvus* (cf. germ. *gelb*) gilvus gilbus: *helvus: fulvus furvus; coquina: popina; καχλάζειν: παφλάζειν; σκαίρειν: σπαίρειν; -que* (us*que* uti*que*): *-pe* (nem*pe* quip*pe*); *dis: bis;* —

γράφω: γλάφω; cresco: glisco; — scr. *lok* videre: *loc* cogitare — *infestus* (pro **infenstus*): *infensus; pulto: pulso; λάβρος* rapax: *λάϝρος λάρος* gavia; —

curculio: gurgulio; at: ad; —

anticus localiter: *antiquus* temporaliter; —

liquidus: limpidus?; scr. *vad* loqui: *vand* laudare, honorare; —

b. *stlata* genus quoddam navigii: *latus* adj.; scr. *vabh* texere: *ubh* ligare; *ψάμαθος: ἄμαθος* (cf. Am. Hentze ad E 587) *Gnaivos* Gnæus: *nævus;* —

*-*ontio- -untio-; -oso-; providens: prudens; cohors: chors* speciatim de loco consæpto; *Sextius: Sestius*; —

tōti: tot; opificus adj.: *opifex* subst.; —

ὅμως: ὁμῶς; τετανός adj.: *τέτανος* subst.; — *Manilius: Manlius; puellus: pullus;* —.

c. *candēla: cicindēla* lampyris; —

d. *hirnea* vas fictile, quo latices conduntur: *hernia* ilium procidentia; — *scortum* pelliceum: *scrōtum* testiculorum; *fulvus: flāvus* (pro **flauvus*).

Videmus igitur hanc rem in toto sermone versari. Nam et ad sonos et ad voces universas vel formas et ad significationes quæ subsunt vocibus pertinet. Tertii autem generis, quod significationum differentiis continetur, duas vidimus esse partes. Una est eorum quæ significatione discreta sunt, voce non item, quippe quæ aliquid a principio differant forma vel positione [1]). Sed etsi re ipsa perpellor ut statuam, etiam quæ verba ipsa positione voce differunt, nonnumquam primo fuisse promiscua, post usu esse discriminata, tamen censeo esse tenendum, quod commentatione illa priore non tam declaravi quam significavi, nisi in verbis voce cognatis ac vicinis, et in quibus dissimilitudo stirpium aut figurarum ipsa nihil sua vi habeat certi discriminis — pro ejus autem rei exemplis attuli deminutiva, et quæ ad communem stirpem pronominalem adjectam habent

---

[1]) Hoc genus "*desynonymisation*" anglice appellatur a Coleridgio ap. Herb. Spencerum p. 426. Item *adaptatio* illa Ludwigii (cf. Alfr. Ludwig, der Infinitiv im Veda, Prag 1871 et ejusd. Agglutination oder Adaptation, Prag 1875) ad hoc genus videtur esse referenda.

hanc *-ce -c*, et alia — posse de discretis significationibus quæstionem, quæ quidem via ac ratione procedat, esse nullam.

Nam, si omnino futura est discretio, ante fuerit ætas cum res post discretæ sensibus eorum qui loquebantur non essent distinctæ necesse est. "Neque vero quæ nunquam fuerunt promiscua divisa aut sejuncta dici possunt" (discr. I, p. 5). Sed nunquam quæ magno et certo vocis discrimine distant eadem mentibus eorum qui loquebantur videri potuerunt. Quid? *βαίνειν* et *ἰέναι*, *ὁρᾶν* et *βλέπειν*, *meare* et *ire*, quamvis ejusmodi synonyma usu valde congruant, nobisque difficillimum sit quid alterum ab altero differat definire, nonne illos in quorum patrio sermone inerant illa vocabula, internoscere solitos esse censemus? Inhaeret sane in omnibus stirpibus vocum propria vis tanquam character indelebilis, qui numquam tolli possit.[1]). Neque enim is sum qui illis adstipuler qui promiscua primo in linguis fuisse omnia opinantur. Accedit quod hujuscemodi synonyma, quæ usu non admodum distinguuntur, primarias significationes habuisse satis distinctas, ut *duco puto judico reor opinor credo existimo censeo arbitror*, historia docet; ita apparet ea ad simillimas illas potestates consuetudine loquendi esse applicata, quod discretioni contrarium est. Et cur cum multotorum vocabulorum tum substantivorum ita sit obscurata genuina illa vis, ut vix appareat, hæc magna est causa. Nam Steinthalius (in libro q. i. Psychol. u. Spr. w. Berol. 1871 §. 562, quacum cf. § 580) docet, postquam vocis vis a qualitate ad ipsam rem, cujus sit ea qualitas, sit translata, ut non jam quale sit, sed quid sit aliquid, ea nominetur, i. e. ab adjectivo ad substantivi vim transiverit, non modo genuinam et propriam notionem quæ ab initio in eo nomine inhæreat, sed etiam alias de eo subjecto enuntiari; sic dici proprie mulieres græce *γυναῖκας*, ut parientes, sed de iisdem etiam hoc modo: *ἡ γυνὴ θηλάζει*, qua enuntiatione non tam pariens mulier intellegatur quam lactans.[2]) Eodem modo verbis ad varia subjecta et objecta applicatis aucta et mutata vis paulatim accrescit. Quamobrem non tantum characteri illi attribuerim, ut negem recte posse illud a Schol. Ven. ad I, 271 dictum esse, *ἄορ ξίφος φάσγανον* idem sonare; et sane illa la-

---

[1]) Curt. Grz.[4] p. 95; Grimm, Ursprung d. Spr. p. 124.

[2]) Stthl, l. c. p. 430: An das erste Glied der Reihe knüpft sich unmittelbar die Schwingung der Apperception, welche beide ursprünglich verbunden hatte. So ist es denn heute durchgängig und namentlich bei allen Substantivischen Stammwörtern nicht mehr als die Lautempfindung, welche ins Bewusstsein tritt: und der Anstoss eines mit Mundgeräuschen und Stimmtönen verbundenen Atemzuges vermag tausend in einander greifende Räder des geistigen Inhalts zugleich in Bewegung zu setzen."

tina *gladius ensis* usu sunt simillima, tamen non prorsus idem sonant, nam *ensis* poeticum quendam habet colorem, *gladius* communis sermonis est. Atque apparet quidem non facile voces ab initio diversas usu confundi posse; nam cum ad varias res vocabula singula sint translata, species illa usu ipso conformata significationis ("inre språkform") quæ subest voci, licet multa habeat aliis vocibus simillima, tamen vix una duarum erit et eadem ex omni parte similiter expressa. Ut etsi *ad* præsens et *in* præsens fere idem valent, tamen *ad* suam vim ab illo satis distinctam universe habere, quis non videt? Quid differat verbum q. e. *ajo* a *dicendi* verbo, non facile est plene et dilucide explicare, at et hoc multo latius patet quam illud, et in responsionibus ajo suam et propriam vim habet, et multum interest, interroget aliquis sic: *quid ais?* an sic: *quid dicis?* Facile autem, etsi primum aliud aliter dictum est, tamen subinde usu nonnumquam confunduntur si quæ sunt ejusdem rei et certæ et definitæ et sensibus perceptæ, quæ non sit cogitatione intellecta aut judicio, vocabula. Neque enim descriptionem rei, sed notationem sermo sequitur nomine, quamobrem, si rei definitæ duo sunt nomina, utrumque nomen refertur ad eandem aut non satis distinctam notionem. Nec pronominales stirpes, quæ solam demonstrationem, non definitionem rei habeant, non sæpe commutantur, ut in græca lingua (*sa- ta-*) **ὁ- το-**, scr. *a-* (et *a- na-* et *a- sma-* et *a- sja*) et *i* (et *i-ja* et *i-ma*), lat. *qui* et *quo*, gr. **κὲν ἄν**. Quod non modo vetustissimæ cujusdam ætatis est, sed etiam in posteriore latinitate accidit. Nam *si-c* et *i-ta* distincta esse a Tacito Floro Quintiliano Lactantio negat Dræger (de Syntaxi et eloc. Tac. p. 8); **ἔνδον** et **εἴσω** apud Homerum distinguuntur, a posterioribus non item. Aut etiam fit, ut alterum synonymum vocabulum vim propriam retineat, alterum cum illo commutetur, ut *vel* pro *aut* apud posteriores scriptores. De **ὁποῖος ὁπόσος** pro **ποῖος πόσος** posteriore græci sermonis ætate positis Lobeckius P. E. I, 69 n.; de nonnullis compositis pronominalibus stirpibus cum simplicibus confusis olim disputavi discr. I p. 34 sqq. Neque vero cum præpositionibus composita nonnulla a simplicibus dignosci possunt, ut **ἐπίουρος = οὖρος, μετάγγελος = ἄγγελος**, multa alia, de quibus ipse Aristarchus mentionem fecit (Lehrs Arist. p. 115), cf. quæ Apollonius de Syntaxi III, 321 (327) nominavit: **ἵζω: καθίζω; εὕδω: καθεύδω; ἕπο = ἐνέπω.**

Sed utique omnino tenendum esse utrumque hoc censeo: et suum cuique verbo ipso usu conformatum adhærescere solere *characterem*, quamvis nonnumquam, si stirpis propria vis voce manifesta non est, id quod vidimus fieri posse inprimis pronominibus nominibus particulis, ab aliis non plane distinguatur; neque ullam omnino stirpem, nisi cujus genuinam speciem obscuravit vetustas, vocabuli

quod principalem quandam et cognatarum vocum communem vim adsignificando exprimat, [1]) tam cum aliis posse confundi quin aliquid habeat suum et proprium.

Ut quod DOEDERLINIUS negat (synonym. s. v.) inter *protinus* et *continuo* sibi videri interesse quidquam, fortasse vere; certe facilius confunduntur quæ sunt ejusdem stirpis; [2]) quod autem de *affirmando* et *asseverando* idem ille, minus credo. *Ἱππότα* et *ἱππηλάτα* idem dicitur, at hoc magis expresse; *σκότιος παρθένιος* idem, sed non eodem modo Aristarchus L. p. 136; cf. de iis q. s. *μῆνις χόλος* p. 137.

Non igitur videtur esse consentaneum sumere primo communi esse potuisse vi, post discreta, nisi quæ sint ab eodem fonte ducta.

Præterea non tam certis significationibus immensa diversarum stirpium et figurarum multitudo discripta est, ut non magna pars usu fluctuet; nam vario motu aliæ propius feruntur, aliæ magis distrahuntur. Quam rem posse aliquando arte concludi, num recte statuerint TOBLER l. c. et CURTIUS Grz [4] p. 93, dubito. Sed id nihil ad hoc pertinet quod nunc quærimus; discretio enim proprie et præcipue eorum est quæ singula fuerunt aut promiscua.

Ac de his generibus hactenus; videamus nunc de causis geminationis formarum.

---

[1]) Connotative words appellat STUART MILL System of Logic, Lond. 1872, I, p. 31.

[2]) Cf. *δολόφρων* = *δολιόφρων*; *νυκτίβιος* = *νυκτερόβιος* (*ἀνδρόφρων* = *ἀνδρειόθυμος*). Lob. ad Phryn. 642.

Cap. III.

Quibus causis formarum geminatio effecta sit, quæritur.

Primum sunt formarum differentiæ quarum certam causam afferre possim nullam, nisi inconstantiam sonorum vel potius variam consuetudinem pronuntiandi ea quæ alia ætate aliisque locis aliter appellata sunt. [1]) Sua est enim natura non modo cujusque hominis, sed etiam cujusque ætatis, atque etiam eorum qui in eadem regione habitant suum et proprium quoddam esse solet. Inde variæ conjunctas litteras appellandi consuetudines. Facile sit an difficile litteram aliquam vel conjunctas aliquas litteras appellare, positum est in consuetudine. Jam dictum est (p. 2) varia variorum hominum pronuntiatione geminas exsistere voces. Atque id ita esse apparet, quia quæcumque in sermone mutata sunt, publico consensu valent, a singulis autem sunt initio profecta. Suus cujusque est loquendi mos, quo sermo ejus est tanquam coloratus. Vernaculæ autem linguæ res quæ significantur verbis videntur quasi penitus infixæ, ut qui sint ipsi soni non admodum sentiamus; cum vero peregrina lingua loquentem aliquem

[1]) Corssenus etsi jure impugnat (Ausspr. II, 235 Schuchardtii sententiam omnium vocalium mutatarum causam eam esse, quod vocales sua indole ad mutationes ferantur ('Verwandlungstrieb'), tamen quid ipse spectet non satis liquet, nam inter materialismum eorum, qui ad rerum naturam sermonem referunt et rationem psychologicam tanquam claudicat. Negat enim, quod soni sint res sensibus subjectæ, et omnes res et soni stabilitate quadam et diuturnitate ('Beharrungsvermögen') sint præditæ, donec vi fortiori et admota extrinsecus affectæ sint, voces mutari. At ab ipsa inconstantia, modo eam recte intellegas, sonorum mutationes multas profectas esse existimandas ego censeo. Hæ mutationes cum ceterarum rerum quæ in mundo sint mutationibus certis quibusdam legibus constrictis comparari non possunt. Non, ut canescunt capilli, aut ab arboribus decidunt folia, ita senescunt aut intereunt verba. Sermo est opus humanum; et vivi sentientisque hominis natura in eo elucet; vel potius et gentis alicujus et singularum ætatum et singulorum hominum qui in una habitant vicinia proprietates quasdam habet expressas; conspiratio autem harum proprietatum est quædam in linguis, et varii inde motus. Nam singulis illis naturis universa sermonis indoles temperatur et parvis discriminibus variatur. Quoniam vero quod ipsum per se vivit sentitque communibus naturæ legibus non continetur, sermo autem et gentis et singulorum hominum proprius est, quorum animi sua vi vigent, ne sermonis quidem mutationes legibus naturæ describi possunt.

audivimus, vocem ipsam magis sentimus. Atque Romæ cum hæc fuerint in singulorum hominum vocibus posita discrimina necesse sit, tum de iis Cic. de Or. II, 91 "Fufius nervos in dicendo C. Fimbriæ non adsequitur, oris pravitatem et verborum latitudinem imitatur;" de Or. III, 46 "Cotta noster, cujus tu illa lata, Sulpici, nonnumquam imitaris, ut Iota litteram tollas et E plenissimum dicas, non mihi oratores antiquos sed messores videtur imitari." Quamquam non multa hujus rei exempla ad nostram notitiam pervenerunt. Augustum dixisse *simus* pro *sumus* et *domos* genitivi casu singulari pro *domus*, commemorat Suetonius, Aug. c. 87, ut est, in rebus minutis curiosus, et, credo, quia de imperatore quicquid erat traditum, grave videbatur. At nescio an raro acciderit ut, quod primo unius hominis fuisset proprium, vulgare fieret. Neque enim latinum hujus rei exemplum ullum, quod in variata appellatione unius hominis primo constitisse affirmem, inveni. Sed singularia illa in linguis non modo singulorum hominum more continentur, sed etiam ad universas regiones pertinent. Ut illud Cottæ quod Cicero vituperat, sermonis rustici proprium fuisse auctores sunt et ipse Cicero in Bruto 74 et Varro R. R. I, 2; 48. Et M. Müller exposuit et linguas dialectis confici et temperari, et ad sermonem, qui in scribendo usui sit, mutandum aliquid momenti afferre dialectos. Hoc loco quis est, cui non in mentem veniat eruditus sermo germanorum, qui quam multa ex inferiore Germaniæ parte ascivit! Cujus rei ut unum exemplum commemorem, *Athem* superioris Germaniæ proprie est, *Odem*, quod significatione ab illo paulum differt, inferioris. Age, lingua Russorum, videmus, ut aliquam præ se ferat dialectorum varietatem. Externa commemoro: quid? noster patrius sermo quo ad scribendum utimur, nonne probabile est, fore ut cum aliquando dialecti nostræ rusticæ accurate erunt pervestigatæ, multis earum formis locupletatus esse inveniatur? Quamquam unam causam, cur exstiterint vocum differentiæ, in mixtis dialectis ponere, quod fecit M. Müller Vorles. II, 306, nescio an sit magnæ temeritatis, præsertim cum universa hæc res nondum sit ad liquidum perducta. A græcarum vero cognitione dialectorum pathologiam, vel illum locum grammaticæ græcæ qui de mutationibus est vocabulorum, profectum esse, demonstravit Wackernagelius libro de pathologiæ veterum initiis Basil. 1876. Putabant enim Trypho et Apollonius atque etiam Herodianus, quamquam hic ea re sibi non plane constat, si qua vox communi et legitimæ analogiæ repugnare videretur, ejus genuinam formam, quam natura (*φύσει*) habuisset, corruptione (*παραφθορᾷ*) esse affectam. Quamobrem Apollonius ipsi corruptioni similitudinem vel analogiam (*τὴν ὁμοιότητα τοῦ πάθους*) de adv. 545 adhibet, ad quam normam quæque affectio dirigatur. Ni-

mirum, ad dialectos referentes corruptionem verborum, videbant dialecti esse similia similiter suo more efferre. Fuisse autem simul cum urbano sermone Romanorum quendam plebejum, ejusque apud et comicos et Varronem et Vitruvium et Petronium, ut alios qui minoris momenti sunt prætermittam, et in inscriptionibus et in parietariis Pompejanis expressa apparere vestigia, quem postremo Afrorum [1]) christianorum litteris — de africanis fontibus cf. Moelleri de titulorum africanorum orthographia, Gryph. 1875, et Roenschii librum de Itala et Vulgata, Marburgi 1875 — floruisse, omnibus cognitum est. Postquam autem ingens et varia multitudo primo ab oppidis Italiæ, deinde, prolatis longius imperii et linguæ Romanorum finibus, etiam eorum, qui in provinciis latina lingua loquebantur, in urbem confluebat, non potuit fieri, quin alienis ab ipso urbano sermone et vocibus et formis vocum vulgus etiam in urbe uteretur. Quamobrem, etsi et generosi illi eruditique Romani, qui eloquentia et litteris sermonem patrium perpolierunt et confirmarunt, ut erant animo elato atque etiam in verbis honesti studioso, humiles plebis voces respuerunt, et disciplina artis integritas sermonis quodammodo defendebatur, ne in illam invaderent rusticitas et barbaries; tamen ne sic quidem fieri potuit, ut ipsa eruditorum oratio plebis sermone in vitæ usu communi omnino esset intacta. An censemus, si incerta est in quibusdam vocibus eruditi sermonis appellatio, plebejus autem iisdem rebus magis etiam est instabilis, ut aspirandis primis litteris, usu promiscuo terminationum, quæ sunt *us-* est *-is*, diphthongis contrahendis, ad variantiam urbani sermonis illud nullam habuisse vim?

Sed si vera et hujus rei et universi plebei sermonis futura est cognitio, non modo quæ sermonis plebei fuerint in appellandis vocibus propria, sed etiam quatenus indagare ea licebit, quæ quoque loco fuerint rustici sermonis proprietates et discrimina, item quæ sint proprie latina, quæ sint peregrina barbarie infuscata — nam hæc discernere plurimi interest ad linguæ latinæ historiam et cognitionem — accuratis quæstionibus erit excutiendum. Sed quoniam nondum quisquam hæc pervestigavit, et longam disputationem eæ quæstiones desiderant, hoc loco necesse est eas relinquere et in hac obscuritate ad tempus consistere. Neque vero cum geminarum formarum origines ducuntur a dialectorum varietate, sermo solus plebis intellegendus dialectus; etiam urbani sermonis fuerunt

[1]) Ex africanis fontibus latinæ linguæ cognitionem ita haurire nemo dubitet, ut eas adhibeat formas, quibus similes in vetustioribus et genuinæ latinitatis monumentis sint. Ita Afrorum voces documento erunt, quod multis exemplis confirmatur, vulgarem et plebejum magis quam litteris perpolitum sermonem servasse antiquitatem.

discrimina et varietas. Vim dialectorum et difficile sæpe est certis terminis regionum aut hominum circumscribere, neque eam quæ late diffusa sit semper licet interpretari.

Sed hæc quidem de ea quam cum singuli homines tum maxime dialecti habere dixi formas variandi vi. Illud autem etiam ad hanc rem valde pertinet quod certa quædam vox solet esse cujusque ætatis propria, quemadmodum igitur ætates ætatibus, sic appellandi consuetudines novæ prioribus succedunt aut miscentur variæ. Ut hodie in nostro sermone multæ ante duas consonas corripiuntur vocales, quæ a majoribus nostris productæ sunt, tamen nonnullorum vetus quantitas in urbano quidem sermone sæpe retinetur. Quod si aut posterioris ætatis aut dialecti vox aliqua ita consuetudine processit ut plurimum polleat analogia, ubique litteram aliquam vel litteras constanter mutat nonnumquam. Ex quo genere sunt germanicæ mutationes illæ litterarum explosivarum et **ῥωτακισμός** latinus, quo *s* genuinæ pæne omnes inter vocales inde ab antiquissimorum monumentorum ætate præter Arvale carmen et Saliare mutatæ sunt, ut pauca et dissipata quædam, ut *quæso, nasus* (*agaso? equiso?*) et nomina propria nonnulla ut *Papisius*, *Volusius,* de superiore sint appellatione relicta. In eodem numero est hæc posteriore ætate facta diphthongorum quæ sunt *ai ei oi* ad simplicium vocalium naturam translatio. Sed tantum abest ut omnes motus sonorum ex hoc sint genere, ut multæ litterarum mutationes ad partem solam eorum verborum, quorum communis est et pariter posita illa mutationis littera, pertineant; in aliis igitur est mutata, in aliis non item. Nam pleræque earum mutationum in nonnullis vocibus integram reliquerunt antiquitatem; quia non, quocumque potuerunt adhiberi, adhibitæ sunt. Etiam fit, ut phonetica lex, quam dicunt, tantummodo ad tempus in voces valeat, sic *s* et *m* extremum quod tollere appellando ante consonam soliti erant antiquiores, post restitutum est sermoni urbano; cf. Cic. Orator. § 161. Atque etiam si aliqua consuetudo enuntiandi usu invaluit, tamen non tantum semper pollet, ut vetustior forma obsolescat, sed illa simul cum hac sæpe mansit, ut **ξανθός: ξουθός** Curt.[4] 475; Schmidt l. c. II, 181; **κεμπός: κουφός** Schmidt ibid.; **πυρσός: πυῤῥός; θαρσεῖν: θαῤῥεῖν;** *galbanus: galbinus;* **Χαρμάδας: Χαρμίδες;** *equus: ecus* cett. Quorum exemplorum cum sit magnus numerus, alias fuisse geminas formas præter eas quæ nunc exstant statuendum est, præsertim cum antiquior sermo multas habeat quæ postea novis loco pulsæ et ab usu intermissæ sint. Ut in prisca latinitate sunt et *aliud* et *alid* Lucr. Lucil. 9, 30 M.; *prohibeo* et *probeo* Lucr. 3, 863. 1, 977. Hæc e binis singula ita fecit posteriorum sermo, ut formæ magis corruptæ ab

usu intermitterentur. Aut etiam principales posteriorum usu obsoletæ sunt, ut ex his quæ sunt *præhibeo: præbeo* (utrumque apud Plautum, sed præhibeo multo frequentius); *dehibeo: debeo.*

Jam vero si nihil in sermone nisi interdum dominante et ad universum genus pertinente analogia repente deformatur, sive, quoniam omnis sermonis progressio per gradus fit, non est mutatio phonetica quæ ab initiis minoribus profecta non sensim procedat; efficitur ut *in divisis vel discretis formis omnes sonorum ac vocum mutationes* primo consistant, et ut *nascentes affectiones litterarum*, cum repente nova veterem formam non possit loco pellere, *consequatur formarum geminatio.* Nam et absurdum est si quis simul in ore omnium, qui eadem lingua loquantur novam quandam appellationem exsistere posse putet, et perspicuum, a paucioribus ad plures homines quæcumque in linguis novata sunt transferri. [1]) Si quis progressum linguæ per ætates factum considerat et tanquam e longinquo oculis collustrat, ipsæ vicissitudines solæ cernuntur, quæ cum neque sint æquabiles neque per omnia pariter pertineant, mirum fortasse videbitur et cujus ratio nulla possit cogitari, quod leges phoneticæ in hæc valent, in illa, quæ sint ejusdem generis, non item. Sin autem geminatione formarum vocis transitus descripseris, cur ita res se habeat intellegas. Ita in *certatione quadam formarum geminarum* eas vocis vicissitudines positas esse atque aut, oppressa altera, *alteram jam veterem jam novam* formam usu prævaluisse, *aut simul ambas,* vel quasi sortitis vicibus divisis significationibus, vel promiscue, usurpari, invenias. Ex quo illud etiam apparet, cur prisci sermonis secundariæ, principales posterioris ætatis multæ sint propriæ. Nam et forma post usitata et alia eaque magis corrupta, quæ post obsolesceret, aliquot verba antiquiore ætate fuisse

---

[1]) Cf. commentationem meam de dicret. vocibus Lund. 1875 p. 2 et 4; Sievers, Lautph. Lips. 1876 p. 127 a. 1: "Die spontane Bildung neuer Lautformen geht selbst verständlich vom einzelnen Individuum oder von einer Reihe von Individuen aus, und erst durch Nachahmung werden diese Neuerungen allmählich auf die gesammte Sprachgenossenschaft übertragen, der diese Individuen angehören. Die vollständige Auseinandersetzung zwischen den alten und den neuen Formen, die in Collision treten, kann unter Umständen lange Zeit in Anspruch nehmen. Eine Zeit lang werden beide Formen wohl promiscue gebracht, auch werden sie wohl je nach der Stellung des Lautes in verschiedener Weise verwendet, bis schliesslich die neue Lautform die ältere ganz verdrängt." Sic ille verissime, sed, quod iis vocum mutationibus, quas spontaneas dicit, hanc formarum geminationem circumscripsit, ac non ad illas etiam, quæ vicinis sonis importata sunt ('kombinatorischer Lautwandel') pertinere censuit, admodum miror. Nam utriusque generis hoc esse commune, facile est exemplis demonstrare. Sed de hac re vide infra. Neque omnino statuere licet, quod placet Sieversio, antiquiorem posteriori formæ semper cedere; videmus enim nonnumquam fieri, ut posterior antiquiori.

multis exemplis confirmatur, nec dubium est quin idem de pluribus dici debeat; nec rursus si cujus vocis primo principalem post secundariam formam usurpatam esse invenimus, ea res omnino sic interpretanda est, quasi repente immutata forma in locum principalis successerit, sed ambæ ad tempus simul fuisse putandæ. [1]) Videmus igitur, non id formarum discretarum genus litteris appellatione discretis a nobis adjunctum esse, quod sola ratione quadam vel formula a nobis constituta contineatur, sed et magnum esse et sermonis naturæ proprium.

Jam illa discretio est vocum, si binæ vel plures appellandi consuctudines ('leges phoneticæ') in aliquam vocem valuerunt, ut non modo mutata sit, sed variis modis simul mutata, ut primaria vox græca illa ***ἐνθυς* fecit et *εὐθύς* et *ἰθύς;*** quæ primaria fuisset vox *vas-ma*, græce ***ϝες-μα*** variis vocis mutationibus sic esse multiplicatam: ***γῆ-μα· ἱμάτιον*** Hes. dor.: ***εἶ-μα*** att.: ***γέμ-ματα· ἱμάτια*** æol.: ***ἄ-εμ-μα· ἵμάτιον*** æol.: ***ἵμα-τα· ἵματια*** att.; et *vas-ta* gr. ***ϝεσ-το: βασ-τά· ὑποδήματα*** dor.; ***βέσ-τον· τὸ ἱμάτιον ὑπὸ Λακώνων: βέτ-τον; ἕσ-τα· ἐνδύματα: ἕσ-σόν· ἱμάτιον: γέσ-τα***, exposuit in Curt. Stud. t. X p. 73 Baunack; lat. **magios*, *magius* mutatum est in *magis* et in *majus; volit* (cf. *volim*) *velit: volet.*

II. Exposui de iis differentiis formarum, quæ in singulis litteris mutatis consistunt. Venio nunc ad illud genus ad quod quæ pertinent differentiæ in mutata etiam aliqua vocis parte quidem cernuntur, sed, si causas et originem earum consideraveris, quod nunc potissimum sequimur, ita a dialectis vel singulari loquendi consuetudine magna pars earum videtur esse profecta ut non tam ad litterarum quam ad *universi verbi mutationes* referri debeant. Eas dico, ad quas universa verbi mente in unum comprehensi vis quædam valuit.

Constat et apertum est, eorum mentibus, qui loquuntur, verba ita occurrere, non ut sonorum suorum quæque vox copulatio quædam, sed ut verbum unum et totum esse videatur.

Atque etiam cum aliquis incognitum vel peregrinum verbum audivit et sonos ejus prave imitatus est, causa deformitatis fere est non ea quod unam alteramve litteram non recte audierit, sed quod universam vocis speciem animo

---

[1]) Ut quia in sanscrita lingua a breve, cum adjecta est figura q. e. *-tram*, qua retentum est, qua in *i* mutatum, ut *vádhatra* n. telum: *vāditra* fides, conjectare licet, initio etiam dictum esse **vādatram,* nisi *vāditram* ad similitudinem eorum dictum est, quæ in *-itram* terminantur, ut *gāritram* ramalia; cf. Bopp. gramm. comp. [3] §§ 815 [b]. Eodem modo in lingua latina *i* mediæ vocis varie appellatum, ut *galbănus: galbinus; ῥάφανος: raphanus; μηχάνη: machina*, quamobrem fortasse ad tempus etiam **machana* dicta est; sed hoc dubium, nam vocum a peregrina in aliam linguam translatarum appellatio quodammodo est in arbitrio posita.

non plane percepit, quamobrem depravatæ illæ voces (de quibus supra p. 14 mentionem fecimus) ab omnibus legibus phoneticis videntur sæpe abhorrere. Deinde voces illæ tanquam originatione quadam a vulgari popularique sensu ducta ad vernaculam linguam accommodatæ, ut *ὀρείχαλκος: aurichalcum; Τραχίνη: Terracina* ex hac causa videntur esse natæ, quod species vocis animo percepta memoriam cognitæ alicujus vocis excitat sibique adjungit, tum eam 'associationem' idearum, os appellando exsequitur. Tum labuntur in vocibus interdum ii qui loquuntur, non modo si quis litteram unam alteramve prave reddit, sed etiam quod, cum universa vox menti obversetur, sonos aut prætereunt aut commutant homines (et hæc quidem inter causas *metathesis* est numeranda), aut, dum laborant ut tota vox simul ex ore exeat, in littera titubant et hæsitant aut verbum verbo imprudentia permutant, cujus rei exempla sunt Plauti Cist. II: 1, 47 sqq. et Martialis XI: 18, 27, ubi *παρονομασία* est.

Illud vero etiam genus ad formarum, non ad litterarum discretiones pertinet, differentiarum, quæ *adsimilatione* ortæ sunt aut *dissimilatione*, quam nunc dicunt; neque enim in singulis litteris, sed in junctione syllabarum consistunt, vel in verbis, quæ et suis initiis nascuntur et certa ratione considunt et membris sunt modificata. Cum omnium rerum, quæ continuatione trahuntur, est quoddam communibus infixum sensibus judicium, et varietatis aptæ, concinnæ, particulis membrisque distinctæ studium, tum in verbis id ostendunt homines, ut et nimiæ similitudinis satientur fastidio, ut ait Cicero, et nimis dissimilia sive aspera, hiulca, discrepantia repudient. Itaque ars a natura profecta, quæ in omnibus operibus humanis elucet, effecit, ut verba et apta fluerent et vicissitudinibus distinguerentur. Adsimilationis igitur causa non modo in studio molliter et facile voces proferendi, sed etiam in hac re est posita; dissimilationis hæc una est. Sed nec vetera facile tolluntur, ut novis omnino cedant, neque eandem in omnibus hominibus id studium habet vim, neque omnibus ingratis sonis animi æque offenduntur; et quidem in nonnullis variandis magna licentia usi sunt homines Romani formasque geminarunt; jam enim veteres retinuerunt jam mutarunt, non tam quod offensioni essent, quam quod vigebat in animis vis illa naturæ, et non modo quando necesse erat, sed etiam ut jucundiore sono delectarentur, tanquam suavitatis causa, ut ait Cicero, peccabant. Ita vocum differentiæ factæ sunt, ut adsimilatione: *com-: con; op: ob; sup: sub; at: ad;* quod non modo in junctis vocabulis, sed etiam cum soluta erat præpositio, factum esse et inscriptiones et codices, ut Bembinus Terentii, Palatini et Vaticanus Plauti exemplo sunt. Atque etiam usu hæc res fuit frequentior, quam quod scriptione appar-

eat. Nam ex loco illo Ciceronis q. e. Or. 154, Romanos ante *n.* dixisse *cun*, non *cum* colligitur. Plura hujus rei exempla Cic. Or. §§. 157 et 158. Quod autem illud jucundæ *varietatis* studium non constanter adhibebant, et *Palilia* dicebant et *Parilia;* cum l, *-ari*, cum r præcederet *-ali* dixisse eos, ut *molaris, australis*, exposuerunt et Pottius E. F. II: 97 et Corssenus Btr. 328.

Jam vero quoniam mens sermonem regit ibique tanquam in speculo cernitur, quemadmodum quæque res est a mente in unum collata, ita verbum efficitur complexione syllabarum. Itaque discrimen illud est inter bestiarum sonos non articulatos et qui infinite repetantur sine distinctione, et humanas voces certis finibus [1]) descriptas, apte conclusas membrisque distinctas. Ea conclusio et consummatio hanc incredibilem et immensam genuit in linguis verborum copiam. Quo magis perpolita est lingua, eo astrictior est in vocibus partium colligatio. Ferarum autem nationum et puerorum [2]) rudis sermo laxius articulatur iteratisque redundat. At eruditorum populorum linguæ, si magna vetustate tritæ sunt, in contrarium illud delabuntur, ut graviter contrahant voces imminuantque. Multæ mutationes, quæ fiunt sonis debilitandis corripiendis detrahendis hac re continentur. [3]) Si compositæ vocis partibus nihil jam separatim subjectum est, conteri

---

[1]) Cf. Carus, vergleichende Psychologie, Viennæ Austr. 1866; Claesson de Steinth. in disp. quæ inscribitur Om språkets ursprung p. 95.

[2]) Exempla de puerorum sermone sumpta attulit Sthl. l. c. p. 382 et aliis locis. Et vere judicavit, credo, Bleek in libro de Origine sermonis, qui liber germanice ab Hæckelio Wimariæ 1868 editus est, lenta et sesquipedalia esse etiam rerum usitatarum et simplicium nomina in linguis barbaris exponens, in vastioribus et laxioribus complexionibus syllabarum posita esse linguarum incunabula, nullam igitur linguam simplicissimis et brevissimis quibusdam radicibus, quod putant multi, adolevisse.

[3]) Voces quodammodo usu et mentis agitatione limari dicit Corssenus, cujus sententiam p. 6 attuli. Sed quod litteræ quæ est a in o mutationem ad hoc genus retulit, et quando a in o abierit, vocem debilitari putat, ab eo dissentio. Primum enim a litteræ in o transitus in contrariam atque a in e vel i mutatæ partem fertur. Nam e et i, quæ angustiori bucca efferuntur, non tam plene quam a sonant, sed id non cadit in o aut u, in quibus appellandis pars posterior linguæ tollitur et retro trahitur, labra rotundata comprimuntur; si a appellatur, laxior est labrorum forma et minus certa. Jam vero quod valde grave et productum est a facile in å mutari, prisca scandinavorum lingua hodieque dialecti rusticæ exempla multa exhibent. Denique vero in latina lingua cum nisi conjunctum cum gutturalibus labialibus nasalibus liquidis a in o non mutatum sit, statuamus necesse est, consonam proximam non modo adjuvasse illam mutationem quod existimare videtur Corss. l. c. p. 34, sed ejus causam fuisse principalem. Cum autem Schleicher, Curtius, M. Müller, Brücke ad commoditatis studium omnem corruptionem vocis referunt, nimiam huic uni rei vim nescio an attribuant. Tametsi enim, cur prorsus cesserit in ore litterarum appellatio, ut gutturales in palatales et dentales mutatæ sint, litteræ fortiores in litteras minore explosione, ut 'tenues' quæ dicuntur,

possunt, neque ideo quidquam de universa vocis vi detrahitur. Quoniam igitur harum differentiarum ea est caussa, quod universam speciem verbi, quæ in mentibus insidet, ore jam qui loquuntur subtilius exprimunt jam negligentius effingunt, apertum est, ad formarum discretionem eas referri. Si in singulis deinceps litteris appellantis vocem hominis mens versaretur, numquam fieri posset ut ulla tolleretur littera; quia vero universa species vocis menti obversatur et continuo est voce efferenda, ea ipsa causa est cur, — sive molestum est omnia exprimere, sive aliquis non satis lingua valet ad omnia simul reddenda, sive quod diversæ et plures sonorum imagines mente simul continentur, soni turbati sunt vel alius alio temperatus — una aliqua particula vocis universæ voci posthabeatur ac tanquam devoveatur. Inde apocope syncope aphæresis crasis assimilatio.

Omnes igitur hujus generis varietates appellandi dico vi universæ vocis effectas. Nam ea vis *jam major jam minor* exstitit, et paulatim et cum magna appellandi inconstantia vocum corpora fecit exiliora. Cujus rei inter multa quæ in Etrusca lingua sunt exempla hoc quod est apud Corssenum in libro de lingua Etruscorum L. 1875: *Elachsantre, Elachsntre, Elchsntre, Elsntre* (græc. *Ἀλέξανδρος*), unum commemoro, neque est enim difficile invenire alia.

Jam vero sequitur, ut de accentu mentionem faciamus, quippe ad quem hæc vocis universa natura valde pertineat. Quoniam autem et verba syllabis colligata sunt et oratio est verbis contexta, [1]) quæ complexio syllabarum syllabis vocabuli, verborum verbis sententiæ accinendis exprimitur, duo sunt genera accentus, unum vocabulorum, alterum sententiæ.

Omnes igitur syllabæ cum et sonent aliquo modo sive altius sive gravius et sive remissa voce sive fortiore spiritu efferantur suamque vim majorem aut minorem habeant, accentu præditæ sunt, eoque duplici: "chromatico" et "exspiratorio", quas nunc dicunt; latine ille acutus aut gravis aut circumflexus accentus dicitur; hic ictus vel spiritus vel impressionum vocis vel percussionum nomine designatur vel accentus productus et correptus sive longus et brevis a posterioribus appellatur. [2])

---

in medias, explosivæ in fricativas, eam causam afferre licet, tamen in sensu et consuetudine singulorum hominum positam esse illam commoditatem jure Sievers l. c. p. 126 dixit. Præterea sunt multi sonorum transitus quorum ea ratio reddi non potest.

[1]) Cf. Apollon. de Synt. I. β' 1: *ὃν τρόπον ἐκ τῶν συλλαβῶν αἱ λέξεις, οὕτως ἐκ τῆς καταλληλότητος τῶν νοητῶν ὁ αὐτοτελὴς λόγος.*

[2]) Servius de ult. syll. p. 1812 P. Marius Vict. p. 2476 P. parente natura syllaba omnis sub duorum accentuum sono ore mortalium promitur, correpto scilicet ac producto (At aliter Audax a. gr. Schoell. p. 180 videtur productum accentum dicere pro circumflexo; ut appellat

Jam ii accentus qui inter syllabas vi aut altitudine eminent quibusque vis quædam universæ vocis in singulas particulas exhibetur, hoc loco cum de geminatione formis mutatis facta agimus a nobis imprimis considerari debent. Etsi syllabarum accentus minores etiam considerandi sunt, sive aliquid iis inest ponderis, sive de syllaba, quomodo sit litteris comparata, non de verbo ipso quæritur; nam ad eam rem, acuatur an inflectatur, multum referre, nonnulli existimant.

Quatenus valeat accentus ad voces conformandas aut corrumpendas non facile est constituere. Sunt qui omnes illas vocum mutationes, quas proxime nominavimus et ad universæ vocis vim retulimus, accentu volunt importari. At id sic universe statuere non licet. Tenuiores et exiliores vocalium soni cum non modo in iis quæ accentus ictu carent, sed etiam in præditis accentu fortiori syllabis inveniantur, jure Corssenus de enunt. [2] II: 33 et Curt. in Kuhni. diar. IX, p. 323 negant eas mutationes in sola accentus vi esse positas. Cur autem contrahantur imminuantur tollantur vocales, causa in vi accentu profecto est magna. Ea est lex quædam compensationis ut quantum aliis additum sit syllabis aliis detrahatur. Et in Anglorum lingua ictu accentus oppressæ ceteræ syllabæ valde obscurantur, et, si non eadem, at certe similis vis in germanicis exstat. Sed num tantus fuerit ictus syllabarum in latina lingua, valde dubium est, in hac quidem italianorum lingua minor est quam in Anglorum lingua et in germanica. Neque vero de accentus vi in latina lingua pro certo quidquam adfirmare ausim, nisi, ut fortissime quæque syllaba enuntiari solet, ita maxime integritatem ejus, quamvis imminutæ aut sublatæ sint ceteræ, retineri. Quod de hac re Corssenus de en. [2] II, p. 895: "In der ganzen Welt der leibhaftigen und sinnenfälligen Dinge, inquit, überwiegt das stärkere Wesen über das schwächere — so muss auch der hohe und starke sprachliche Laut haltbarer und dauerhafter sein als der tiefe und matte," ita cum eo consentio, ut melius quæ majore ictu et spiritu efferantur retineri existimem, de altis vocibus magis dubitem. Nam græcas

'pressum' pro gravi). Ut σημεῖον pro προσῳδίᾳ ad tempus relata græce dicebatur, Mar. Vict. 43 K; ita accentus longus Charis. p. 35 K etiam pro signo longitudinis supra productam vocalem posito dictus videtur. Sed si productionem consequebatur vis quædam exspirationis, accentus longus erat etiam gravioris exspirationis. *Spiritum* vocat Diomedes 769 K; Cic. de Or. 3: 184; Nigidius ap. Gell. X: 4, 4: "*Vos* cum dicimus spiritum atque animam intendimus." (Alia autem sententia videtur dictus esse a Varrone ap. Serg. de acc. p. 525 K. Wilmanns de Varronis Stud. gramm. Berol. 1874 p. 181; ubi dicit vocem habere longitudinem altitudinem crassitudinem, crassitudinem autem in spiritu esse). *Percussiones* Cic. de Or. III: 182. *Impressiones* Cicero ib. § 185.

syllabas accentu acuto præditas intercidisse demonstravit l. c. CURTIUS, cujus sententiam CORSSENUS symb. et. 578 ab hac parte non labefactavit. Sed ille, ut vir Germanus, altitudinem vocis ab ictu non separavit. Sed quamquam in plurimis harum quæ nostra ætate usui sunt linguarum germanicarum et romanarum accentus altus et ictus in unam syllabam omnino concurrunt, ut in anglica, germanica, danica, italica, hispanica, tamen sunt quæ hac re ab illis differant. Ut svecanæ linguae et norvegicæ voces aliæ accentum in eadem syllaba qua ictum habent, aliæ non habent. Sic suethice dicitur vel acuto et ictu (i. e. accentu 'exspiratorio') in una syllaba ambobus collocatis *húset*, *répet*, vel, ut majorem vim habeat pænultima, altiorem sonum ultima *mångén*, *hvetét*, (quamquam enim etiam hōrum verborum ultima ictu non caret, tamen gravior est pænultima) eodem modo trisyllaba et sic: *häfvertar:* et *tjenárè*, *embétè*, in quo verbo ad finem versus intentio vocis decrescit, sonus autem in altitudinem, ut altior sit pænultima quam antepænultima, ultima vero etiam alta, paulatim erigitur. Et in lingua francica sæpissime ictus cum acuto ultimæ conjunctus est; tamen nonnumquam, cum ultima altiore voce efferatur, præcedens quædam syllaba plus ponderis habet ut *maisón admirablemént*, *Flammarión*, idque maxime apparet, si qua vox cum contentione et pondere dicitur; nam sæpissime accentus vocis in illa lingua accentibus sententiæ ita obscurantur ut vix appareant; in multisque vocibus appellandis certa sedes ictui data esse non videtur. In græca vero antiqua lingua, quamvis ictus sæpe cum accentibus conjunctus sit, tamen et poesis et rhetorum libri et grammaticorum præcepta documento sunt, ictus verborum ad vocis altitudinem non referri. Utrum in latina lingua ictus gravissimi verborum ab accentibus pendeant necne, jam videbimus. Sed quomodocumque res se habet, in ipsa rei natura nulla est causa, si modo fuerunt ictus graviores quarundam syllabarum latinarum, quin gravatis etiam syllabis potuerint imponi. Sed de illa quoque re dissentiunt grammatici, fuerint verborum græcorum et latinorum ictus vel accentus exspiratorii, necne. Nam in græcis verbis HADLEIUS in CURT. Stud. V: 412 statuere videtur nullum fuisse ictum vocis. Qui negat Dionysium, cum de rhythmo orationis disputaret, ulla re indicasse ullam syllabam præter ceteras spiritu elatam esse ("in alledem findet sich keine Andeutung dass irgend eine Silbe des Wortes durch stärkere Aussprache vor den übrigen regelmässig hervorgehoben wurde)." Nescio an Hadleius non sit suspicatus, posse non modo altitudine vocis, sed etiam aliis rebus intentionem eam vocis aut remissionem contineri, quod facile colligas, si contuleris quæ dicuntur in eadem

pagina et in proximis. Sed non recte de Dionysio judicasse Hadleium ex his verbis apparet Dionysii de compos. c. 14 p. 75 R *τὰ μὲν μακρὰ καὶ τῶν διχρόνων ὅσα μακρῶς λέγεται τεταμένον λαμβάνει καὶ διηνεκῆ τὸν αὐλὸν τοῦ πνεύματος. τὰ δὲ βραχέα, ἢ βραχέως λεγόμενα ἐξ ἀποκοπῆς τε καὶ μιᾷ πληγῇ πνεύματος καὶ τῆς ἀρτερίας ἐπὶ βραχὺ κινηθείσης ἐκφέρεται — κράτιστα μὲν τὰ μακρὰ καὶ τῶν διχρόνων ὅσα μηκύνεται κατὰ τὴν ἐκφοράν, ὅτι πολὺν ἠχεῖται χρόνον καὶ τοῦ πνεύματος οὐ κατακόπτει τὸν τόνον. χείρω δὲ τὰ βραχέως λεγόμενα, ὅτι μικρόφωνά τ' ἐστὶ καὶ σπαδονίζει τὸν ἦχον.* Dicit igitur cum longæ vocales producantur, flatum oris intendi (*τεταμένον τὸν αὐλόν*); breves autem vocales exili sono esse (*μικρόφωνα*), et levius commoveri iis appellandis organum vocis in faucibus (*τῆς ἀρτερίας ἐπὶ βραχὺ κινηθείσης*). Apparet igitur majore spiritus vel exspirationis vi longas quam breves vocales in græca lingua esse appellatas; quæ autem vocales majore spiritu efferuntur accentum exspiratorium habere dicuntur, unde efficitur longas in græea lingua vocales 'exspiratorium' accentum habuisse. Non igitur accentu, quo etiam brevissimæ et irrationales vocales acuantur, continetur in græca lingua vis exspirandi. Latinæ autem linguæ vocabula exspirationis vim in aliis syllabis habuisse majorem, in aliis minorem, negare videntur aut ignorare Weilius Benloewiusque qui in libro q. i. Théorie génerale de l'accentuation latine Paris. 1855 nulla re nisi soni altitudine accentum acutum latinorum interpretantur et, cur corripiantur et tollantur post acutam syllabam posteriores, solam eam afferunt causam quod acuta syllaba posteriores ita vincat tenore vocis, ut exiles fiant et evanidæ (p. 176) "En effet après avoir atteint le maximum d'élévation, la voix doit rapidement, et, pressée de revenir à son niveau ordinaire, prononcer d'une manière à la fois plus précipitée et plus sourde les dernières syllables), item Corssenus quamquam vim quandam exspirationis in acuto accentu inesse putat, tamen ad vocis commutationes altitudinem vocis valere existimat, qui de enunt. [2] II, p. 831 "der Hochton bindet und beschränkt die gesammte Tondauer des Wortes. Er thut dies, indem er einmal tieftonige lange Silben so übertönt, dass sie sich kürzen und zwar sowohl Endsilben als inlautende oder anlautende Silben in seiner unmittelbaren Nähe", et eodem ille modo de elisione et de syncope. At, cum agitur de lingua ab usu populi intermissa, tantam vim accentui illi dare, de cujus natura nihil fere nobis traditum sit ab antiquis optimæ ætatis grammaticis, nisi eum altiore fuisse sono vel, si postremis grammaticis credimus, paulo "plus sonuisse," videtur esse magnæ temeritatis. Nisi forte legitimæ et communi more receptæ pronuntiationis Romanæ — quod multorum quidem hominum vitium reprehendit

Qvintilianus XI: 3, 35 — fuit verba tota non exigi neque explanari, sed partem devorari atque destitui. Jam vero cum vim altitudinis in acuta syllaba supra modum augerent Weilius, Benloewius, Corssenus, factum est ut, quantum addidissent acutis, tanto graves syllabas diminuerent. Ut Corssenus de en [2] II, p. 829 in hanc sententiam disputat: "wenn es heisst Pomp. com. p. 126 K [1]): Ideo dictæ sunt illæ habere gravem accentum quod et pigrum et minus sonent, so erhellt, dass die tieftonige Silbe auch matt und schwach lautete." Sed de ea re non consentiunt latini grammatici. Aliter enim integræ et classicæ latinitatis docent auctores. Nam et Quintilianus, quem inter omnes constat et Corssenus ipse dicit esse testem latini sermonis locupletissimum, ea dicit ex quibus contrariam sententiam colligas, sic enim ille l. XI: 3, 42 "Nam vox, ut nervi, quo remissior, hoc gravior et *plenior*," et Varro p. 190 Wilm.: "acuta *exilior* et brevior et *omni modo minor* est quam gravis, ut est facile ex musica cognoscere, cujus imago prosodia; nam et in cithara omnique psalterio quo quæque chorda acutior eo exilior, et tibia tanto est voce acutiore quanto cavo angustiore, adeo ut corniculo aut *βομβυκίῳ* addito gravior reddatur, quod crassior exit in aëra — sic in loquentium legentiumque voce, ubi sunt prosodiæ velut quædam *διαστήματα*, acuta tenuior est quam gravis et brevis adeo, ut non longius quam per unam syllabam quin immo per unum tempus protrahatur, cum gravis quo uberior et tardior est, diutius in verbo moretur et junctim qvamvis in multis syllabis residat."

Sed quamvis Pompejus quem Corssenus nominat et Quintilianus Varroque contraria dicere videantur tamen et ille et hi nescio an vera disputaverint. Neque enim dubium est quin magnus numerus gravium syllabarum sono fuerint exili, aliæ, vel quod productæ sunt, vel quod radicem ipsam continent, plus ponderis habuerint. Sed quomodocumque res se habet, si quæritur cur quædam plus ponderis habeant, sive cur aliæ aliis syllabis sint integriores, qui de syllabarum mutua vi ita disseruerit ut magis ad exspirandi vim quam ad altitudinem accinendi ejus rei causam referat, cautius aget et prudentius. Primum enim nihil est altitudine vocis magis fluxum, nihil quod singulorum hominum usu magis varietur, nihil non modo in iis quæ non jam in usu aut viva voce suæ gentis versentur, sed ne in cognitis auditu quidem linguis et in nostrarum aurium judicium cadentibus ad definiendum magis lubricum. Rhythmus autem qui pro-

---

[1]) Omitto ceteros a Corsseno allatos locos, quibus cum de inclinatione, utrum sursum sit an deorsum, mentio fiat, nihil ad vim syllabæ definiendam faciant.

prius cujusque linguæ sit, quique in quaque voce, facilius constituitur, quoniam verba et suis temporum rationibus dispensata sunt et certis ictibus modificata. Latinæ vero et græcæ linguæ numeri valde insignes fuerunt et stabiles. Qvamobrem Qvintilianus IX: 4, 61. "Et in omni quidem corpore, inquit, toto, ut ita dixerim, tractu (compositio) numeris inserta est. Neque enim loqui possumus nisi e syllabis brevibus ac longis, ex quibus pedes fiunt," et § 79 dicit "omnem orationem pedibus consistere." Ac non modo græca sed etiam latina verba membris ita apta sunt et temperata, ut numerorum varietatem et pulchritudinem reddant. Deinde quamquam magnam vim habet accentus acutus ad integritatem syllabarum servandam, tamen cavendum est, ne nimis momenti ei rei attribuamus, quoniam et græca lingua et Litthauorum argumento sunt posse ipsas acutas vocales elidi et tolli. [1])

Quod attinet ad linguas germanicas et romanicas, quas dicunt, hæ in acuta syllaba non modo magnam sed etiam eam quæ in ceteras vocis syllabas dominetur, exspirationem habent, ut collatis iis non efficiatur, ipsam altitudinem vocis majorem quam intentionem exspirandi ad syllabas aut servandas aut producendas aut corripiendas aut elidendas vim afferre.

Illud autem Weilio Benloewioque et Corsseno prorsus adsentior proximam syllabam vi acutæ vel contractam vel correptam esse, ut tamen non modo in altitudine, sed etiam in spiritu positam esse eam vim arbitrer. Nam vere dixerunt ipsa accentus vi et *coplata* pro *copulata* et *postum* pro *positum* effectum esse (cf. Corss. de enunt. [2] II pp. 821 et 822). Sed quod idem etiam eas syllabas quæ remotiores sint ab acuto accentu, et interjecta syllaba vel syllabis ab eo separatæ, ipsa et sola vi acuti tenoris corruptas vel sublatas, ita eam ob causam *capitāle* mutatum esse in *capitāl* (l. c. p. 831), existimat, aliquid habet dubitationis. Nam etsi accentus etiam ad hanc rem fortasse adjuvavit, tamen, quoniam et, quanta fuerit elatio intentioque latini accentus, ignoramus, et jam p. 40 squ. exposui ipsa universæ vocis vi quæ hujus generis sunt mutationes im-

[1]) Dubito an non prorsus abhorreat ab acutis vocalibus tollendis latina lingua, etsi id fieri negat Corss. symbol. etym. p. 578. Nam sublatæ ab initio vocis acutæ *sto, ste, sta, sti, stos*, apud Plautum Pomponium Terentium Ciceronem Horatium Lachm. comm. Lucr. p. 197 pro *isto, iste, ista, isti, istos* exempla sunt. Quod ita esse factum videtur, ut primum in iis quæ graviori syllaba terminantur, tolleretur i, deinde ad eorum similitudinem etiam in ceteris. Et elisæ mediæ exempla inveniuntur quæ ejus sint ætatis cum legem illam accinendi quam antiquioris latinitatis fuisse nonnulli existimant, non jam valebat. Nam in parietariis pompejanis sunt hæc *felciter* pro *fēliciter* C. I. L. IV, [2] 993 x Z. et *architctulum* pro *architectulum* * 2000 Z.

portari, unitatem autem vocis accentu exhiberi, haud scio an verius secundam quandam hujus rei caussam in accentu fuisse conjectemus.

Fuisse autem in latina lingua non modo vocis elationem, sed etiam spiritus vim in quibusdam syllabis majorem, vel, ut hujus ætatis more loquar, non solum chromaticum, sed etiam exspiratorium accentum, et ex locis supra allatis et ex aliis colligitur. Ut Cicero de Or. III, §. 216 "voces ut chordæ sunt intentæ, quæ ad quemque tactum respondeant, acuta gravis, cita tarda, *magna parva*" (ultima hæc ad spiritum referuntur) cf. ib. §. 185. De hac re producendi et corripiendi verbis nonnumquam utuntur grammatici, ut non tam longitudine aut brevitate vocis, quam vi et intentione interpretari ea videantur. Sic Terentianus Maurus v. 380 et q. sqq. et v. 467 et q. sq., "*au* cum quantitate semper sit longum, tamen in his: aut áge, aut úbi, Aurúnci *αὐέρυσαν, αὐτάρ* corripi, in his autem: aúrum aúspicis *αὔριον* produci" (cf. Schoell. de acc. L. 1876 p. 30, 31). Marius Victor. a. gr. 35 K.: "producto et correpto, ex quis alter extenditur, alter contrahitur," cf. Mart. Capella III, p. 57 Eyss. Præterea nolo iterare ea quæ a Langeno in Philologi t. XXXI aut in Ann. Fleckeis. t. XXIX, aut quæ a Schoellio in libro de accentu latinæ linguæ diligentissime et subtilissime conscripto et in t. VI. Soc. phil. Ritschelii edito in hanc sententiam disputata sunt. Nam omnino diversa est meæ eorum opinio et a me valde dissentiunt. Cum acuto enim accentu ictum illum semper conjunctum esse existimant, quamobrem hoc imprimis agunt ut acuto accentui majorem, quam quæ sit ceterarum syllabarum, spiritus intentionem datam esse demonstrent, et quæ ab illis allata sunt omnino non admodum pertinent ad hanc meam sententiam.

Sequitur nunc ut mentionem faciamus de illo genere, cujus quæstio est a grammaticis in varias sententias distracta, verborum quæ immutata vel imminuta sunt elatis acuto accentu syllabis antecedentis syllabæ vi extenuatis correptis elisis, ut *festra* pro *fenestra immersti* pro *immersisti.* Atque Weilius Benloewiusque et Corssenus quia omnem contrahendi et corripiendi verba vim in acuta voce inesse putabant, in sententiam Reinhardti, qui in scriptione philologica, et Dietrici qui in I:o t. diarii Kuhniani hujus rei causam in accentu antiquioris ætatis, quem habuissent etiam eæ quæ a fine vocis essent syllabæ antepenultima remotiores, fuisse statuerat, ipsa sua ratione coacti et tamquam necessitate quadam delati sunt. Nam cum numerorum Plautinorum et Terentianorum cognitione et studio philologi summæ auctoritatis Scaliger, Bentleius Lindemannus, G. Hermannus adducti essent, ut suspicarentur, priscæ latinitatis fuisse etiam in syllabas quæ essent post antepenultimam accentum retrahere, sic

múlierem dictam esse, hi eam sententiam — quamquam metrorum in hac re ratio habenda non videtur Corsseno — adhibuerunt ne, cum explicarent cur contractæ et elisæ essent vocales quæ communi latina accinendi lege acui deberent, sibi ipsi non constarent. Sed in ea mihi ratione nonnulla suspecta sunt, et quæ obstare videantur ne summa ei fides habeatur. Primum quod grammatici latini ad unum omnes de antiquiore illo accentu sileant, et nativum qui intra trium syllabarum fines contineatur accentum iis videri, ut ab ipsa natura id institutum esse opinatus sit Cicero, illud grave esse et memorabile vere dicit Schoellius in libri c. p. 51. Corssenus autem de en. [2] II, p. 893 dicit silentium illud grammaticorum vix nihili momenti instar habere, nam incognita iis fuisse litterarum monumenta antiquissimæ ætatis cum lex illa valeret. At idem ille p. 906 dicit, — idque ei dicendum erat — ineunte litterarum latinarum ætate antiquiorem illam legem non tam fuisse obsoletam quin multa ejus exempla in priscis monumentis inveniantur. Quid igitur? grammatici doctissimi et ipsorum monumentorum priscique sermonis quo conscripta erant peritissimi eam rem plane ignorarunt? An Varronem et Verrium Flaccum, qui totam antiquitatem penitus tenerent, et quomodo antiqui illi locuti essent multis illustrarent exemplis, si fuisset antiquitus ea loquendi consuetudo, nullam ejus mentionem facturos fuisse censemus? Quid? quod, si statuas fuisse eam accinendi legem, sequitur non modo antiquissimæ latinitatis fuisse, sed etiam, si verborum latinorum accentum ea ratione interpreteris, et Plauti ætate et post eum diu linguam latinam in utrumque accentum tamquam vacillasse, exemplis evincitur. Quam rem Corssenus nimis angustis terminis circumscripsit, sed nimirum non negavit. Accedit quod etiam posterior latinitas, quatenus neque litteræ eruditioque neque disciplina grammaticorum obstitit, quominus corrumperetur, ipsas acutas mediæ vocis syllabas non semper retinuit, quin et corriperentur et tollerentur. Cujus rei infra afferemus exempla.

Hoc vero caput rei est, decernere, utrum 'exspiratorius' latinus accentus in 'chromatico' semper fuerit, necne. Nam in eo cardine vertitur tota de antiquiore accentu latinorum quæstio.

Quemadmodum enim illi, propterea quod junctam cum vocis fastigio in omnibus verbis exspirandi vim maximam existimabant, et ad acutum solum accentum referebant correptiones syllabarum et distractiones, fuisse antiquiorem et a fine longius reductum accentum statuerunt, ita si necessitatem illam summi ictus cum acuta voce jungendi sustuleris, vix ullus erit locus antiquiori illi accentui relictus. Nam si verum est, quod et re metrica Romanorum et iis quæ de rhythmis

prosæ orationis latinæ tradunt romani rhetores et grammatici efficitur, sæpissime ictum et altitudinem summam vocis in eadem syllaba ita fuisse ut non raro separarentur — sic cum accinendi legem suam fixam et stabilem semper observarent Romani, in jambicis vocabulis certationem quandam fuisse accentuum exspiratorii et chromatici, nam aut correpta est acutæ vocis vi ultima, aut longitudo si retinetur majorem vim habet, ut *méos;* [1]) ea autem quorum syllabis choriambus conficitur, in prima et in ultima syllaba habuisse ictum, ut *consíliis,* si syllabæ faciunt pæonem primum, aut in prima ut *indómita* aut sic: *indómita,* si proceleusmaticum aut pæonem quartum vel in utraque prima, ut *mulíerem* vel in secunda et tertia, ut *mulíerem,* si molossum, non modo pænultimæ, sed etiam antepænultimæ exspirandi vim dari posse ut *audívi,* et similiter judicandum esse de iis quæ quattuor productis constant, denique cur contractæ sint mediæ voces quarum longior videtur fuisse pænultima quam prima syllaba, ut *festra* pro *fenestra,* si sæpe hæc idonea causa afferri potest, quod vis positionis non tanta fuit in antiquiore, quanta in posteriore sermone, quamobrem sic metiri licet: *fĕnĕstra* ut *magĭstrátum* Amph. prol. 74, *adminĭstráret* Epid. III: 3, 37, si in eas quarum natura longa pænultima brevi et acuta antepænultima videtur esse correpta antiquiorem accinendi legem quæ tamen ipsa postremarum trium syllabarum finibus continebatur, valuisse existimamus; hæc igitur si ex antiquorum libris ex numerorumque latinorum ratione vere colliguntur, quin missam facimus illam de antiquiore et a fine magis remoto accentu opinionem, quæ non possit, si exspirationis vis et ad imminutionem vel contractionem et ad integritatem syllabarum magis quam vocis altitudo pertinet, consistere. [2]) Sed hæc quæstio

---

[1]) His enim signis ⩾ > › exspirandi vim denoto. Etiam insigne est quod, cum contracta sunt a comicis *meos, eos,* et quæ similia sunt, prior et acuta vocalis videtur esse posteriore exilior; quoniam enim Ritschelius demonstravit hanc contractionem esse eorum quorum i in e mutatum sit, probabile est prioris syllabæ vocalem in semivocalem mutatam esse et similem i consonanti sonum habuisse atque, similiter judicandum est de *suos, sui, suæ,* cet. Item in hoc: *deinde, dein,* i acuto accentu elatum in semiocalem mutatum est; qnamquam de hujus vocis accentu dissentiunt grammatici.

[2]) Hoc non dico quasi negem fuisse antiquissimæ latinitatis accentum ab accentu qui nobis cognitus est diversum. Id ita affirmare licet ut difficile sit quidquam de natura ejus constituere. Nam locus grammaticæ comparativæ qui est de accentu indogermanico adhuc in summa obscuritate est. Manifestum est h. loco agi de accentu latinitatis monumentis nobis servatæ. Antiquioris accentus, et non longius, quam est posterior a fine remoti, sed tamen ea re illi dissimilis quod non fuit ex longa pænultima aptus, vestigia pauca supersunt, ut *dederunt, dedrot,* cujus rei causa videtur fuisse in accentu antepænultimæ. Nam quoniam Græci dicebant πέπρᾱγα, cett., etiam Latinos ætate illa Græco-italica dixisse *dédĕrunt,* verisimile est.

tam gravis est et difficilis, ut longa et accurata disputatione ad eam solvendam opus sit.

Sed ut brevi complectar atque ad geminationem sive differentias formarum adhibeam quæ jam disputata sunt, sunt geminæ formæ imminutione et contractione vocum ortæ; ad quam rem pænultimæ longæ et antepænultimæ accentus tum plus minusve valuit, tum nihil momenti habuit. Atque in altero genere magis apparet vis accentus in pænultima et antepænultima positi cum proximæ syllabæ vel ante accentum vel post eum non modo altitudine elati soni, sed magis etiam vi 'exspiratoria' extenuatæ correptæ supressæ sunt. Sed quando antiquiores formæ etiam retinebantur, quia accentus illa vis paulatim apparebat, et antiquior et tradita forma vi consuetudinis defendebatur, formæ facta est geminatio. Sic *pútā: pútă; ámōr: ámŏr; dédērunt: dédĕrunt; népōtis: neptis; hómōnis: hómĭnis; vírāgo: vírgo; ólīvum: óleum;* et alia, vel ea quorum antepæn. est producta, vel disyllaba in quibus spiritus et acuta vox correptionem effecerunt, ut *íllīus: illĭus; gnárigo: nárro; púrigo: púrgo; pósitus: póstus; cámara: cámera; gálbănus: gálbinus; óptumus: óptimus; Hércules: me-hércle; ménsus: mensis; cótis: cos; pótis: póte;* [1]) *pópulus: póplod lavatrina: latrína; disciputína: disciplína; lōcusta: lŏcusta;* et multa alia quorum antiquiores formæ interierunt ut (mōles) **mōléstus: mŏléstus; scríbo: conscrībíllo conscrĭbíllo* (prō) **prōféstus: prŏféstus; *prōfécto: prŏfécto; próvidens: prūdens;* alia exempla ap. Corss. II, p. 515.

In aliis, quorum correpta aut detracta syllabâ injectis syllabis est ab accentu separata, non tam manifesta est accentus vis. Quamobrem secundariam causam in accentu fuisse videri jam diximus. Sed quia ne in hæc quidem conjuncta illa accentus et universæ vocis vis neque tam dominata est ut antiquior statim obsolesceret, neque semper pariter valuit, geminæ sunt ut *níhīlum, níhĭlum, níhĭl,* — *áliud: álid; dónicum dónec; déderīs: déderĭs;* gr. πολύπους lat. **pōlypūs: pŏlypŭs* Hor. Epod. 12, 5. S. 1, 3, 40; *méretod: merito; Hortensius; hortensis; *semi-ménstruus *se-ménstrius* (cf. *menstrius* Fest. 253): *semestris.* Sed præterea multa hujus rei exempla et apud Corssenum passim in l. de en. et apud Schuchardtum et aliis locis sunt.

Cf. quæ dixi p. 9. Neque enim nego, altitudinem vocis quidquam ad corripiendas syllabas valere posse, etsi majorem vim exspiratorio accentui attribuo. Quamquam quantum ad has correptiones pertinuerit accentus non facile est definire. Nam ipsa appellatio vocabuli in unum comprehensi est cum accentu arte conjuncta illa quidem, sed suam et propriam vim etiam habet. Sed ad hanc rem infra revertemus.

De illo genere ubi syllaba post antepænultimam longa aut brevis post brevem, aut longa post longam, aut longa post pænultimam longam ad voces corripiendas valuit, ut *Cornícinus*: *córnicen; surrígere: súrgere; exínde deínde* (de acuto cf. contra Corss. Schoell. p. 70): *exin deín deîn; prōcērus: prōcēres; amavísti: amasti; recessisse: recesse; contraxisse: contraxe; probavérunt: probárunt; Manílius: Mánlius; *Sabīnium* osc. *Safinim: Samnium Márci púer Marcipor; facílitas: facúltas facúltas; simílitas: simúltas simúltas; fúlgor *fulgōris: fúlgur fúlgŭris; núculeus: núcleus;* (ambio ambītum) **ambītus: ambĭtus;* [1]) cur hujus geminationis ita rationem reddam, ut neque longiores et integriores formas ad antiquiorem, neque ad posteriorem accentus legem correptas referam, jam breviter causas attuli. Quamobrem nihil relinquitur, nisi ut statuamus etiam *gravium syllabarum* vel *singularum longarum* vel *binarum brevium* fuisse in his vocibus exspirationis vim vel accentum exspiratorium. Ita hujus geminationis similiter atque illorum generum, de quibus proxime commemoravimus, causa explicatur. Nam sive syllabæ, quæ ictum habebant, in proximas pondere suo ferebantur, sive, cum vis universi vocabuli in singulas syllabas valeret, magis imminutioni et corruptioni obsistebant quæ pleniores erant et majore exspirandi vi efferebantur, non pariter per omnes partes vocabuli pertinuit ea imminuendi vis, atque etiam acutæ syllabæ, si pondere et ictu impares erant vel sono exiliores, nonnumquam imminutæ sunt et detractæ. Neque tamen ea sive in ictu elatæ syllabæ sive in voce universa posita vis neque semper neque in omnes pariter valuit, neque ita ut prior forma statim interiret; nonnullæ vero remanserunt simul cum mutatis.

Atque hactenus probabilitatem, de accentuum vi quærentes, secuti sumus; sed ut aliquid certi de hac re assequamur, et natura accentuum latinorum consideranda, et quid de hac re doceant ipsi latini auctores videndum, et inquirendum est, si quid ad hujus rei cognitionem ex ipsis litteris et monumentis latinis erui liceat. Sic etiam nobis dabitur occasio, ut eadem opera majorem exemplo-

---

[1]) Corssenus in IIdo l. de en. p. 897 et 9 q. sq. et Symb. 580 *alia* hujus rei exempla attulit; quorum tamen nonnulla dubitanter huc referas. De concors felix discors Campans et quæ sunt ex eodem genere vere Corssenum ad antepænultimæ accentum mutationem referre, negat idque jure Schoell. l. c. p. 53. Etiam de *probaverunt, probarunt*, cett. eandem atque meam amplecti sententiam videtur.

rum copiam ad ea quæ magis adumbrata sunt, quam exposita, illustranda et confirmanda, afferamus. [1])

Atque hoc quidem jam vidimus vim vel intentionem vocis, si quæritur cur melius syllabæ aliæ aliis conservatæ sint, aut cur syllaba syllabam quasi oppresserit, maxime considerandam esse, et vi vocis majore in quibusdam syllabis vel exspirationis accentu non caruisse cum 'chromaticum' etiam haberet latina lingua veterum testimonia jam attuli. Hoc neque viderunt alii neque Weilius Benloewiusque qui recentiorum linguarum accentum intentione spiritus, latinæ et græcæ altitudine vocis describunt. Ita enim illi l. c. p. 4 "la syllabe accentuée des langues modernes est une syllabe plus forte. Les anciens déclaraient au contraire qu'en grec et en latin, la syllabe accentuée était une syllabe plus aiguë, se prononçait avec une note musicale plus élevée. Voilà une différence essentielle entre la prononciation des anciens et celle des modernes" et p.

---

[1]) Tamen jam apparet, credo, quam contentionem antiquioris et posterioris accentus p. 7 dixerim. Nam ut ipsi latini grammatici, ita ego illo loco accentum propria sententia vocis altitudinem dixi. Ea autem contentio in accentu antepænultimæ posita est. Nam cum ætate græco-italica commune fuisset harum linguarum antepænultimam etiamsi longa pænultima eam excipiebat, efferri posse vocis fastigio, antiquitus quemadmodum græce ὄλυνϑος, sic latine dicebatur *Sắburra nŏ́vēnus;* sed postquam *mos obtinuit, ut acutus* ille *antepænultimæ latinus semper haberet vim spiritus,* formæ illæ latinæ quæ ei usui repugnabant, utroque hoc modo ad posteriorem accentus legem accommodatæ sunt. Nam aut accentus in pænultimam adductus est, ut *Săbúrra nŏvéni,* aut pænultima correpta, ut *Sŭbŭra nōnus. Sic gemimæ formæ factæ* sunt *(rácēmus) *rácemus, *racmus, ramus (vírāgo) virăgo virgo* (plura ex. p. 52, 51[2]) gr. ἔπῑσα ἔπῐσα. Ita se rem habere etiam græca quantitate syllabarum similia et in latinam linguam translata verba argumento sunt; latine enim dicitur aut, posito in antepænultima accentu, pænultima autem correpta, *plátĕa chórĕa,* aut *platēa chorēa* (fortasse eodem modo *cichorēum cichórĭum*, sed græce dicitur etiam κιχώϱιον) Σελεύκεια *Seleucīa* et *Seleúcĭa*, cf. Brix. ad Trin. 112. Fortasse etiam perfecta illa, quorum pænultima in 3. p. pl. correpta est, si antepænultimam habent natura brevem, ut *dĕdĕrunt* Lucret. *stetĕrunt* Virg., ad hoc genus referri debent. Si ita res se habet, *dĕ́dīsont*, *stĕ́tīsont*, *dĕ́dēront*, *stĕ́tēront* (quocum accentu cf. græc. πέπϱᾱγα, πέπληγα) sic mutata sunt: aut in *stĕtĕrunt, dĕdĕrunt, dédront, dédrot* aut in *stetērunt, dedērunt.* Sed illud etiam fieri potuit, ut analogiam eorum perfectorum, quæ in longa antepænultima aut in quarta a fine syllaba exspiratorium habebant accentum, sequerentur, velut quemadmodum *(amavērunt) amavĕrunt*, *amarunt vŏlŭĕrunt*, *tĕtĭgĕrunt*, *ocĕceprunt, emĕrunt* (cett. a Corss. [2] 1, 612 commemorata). Etenim memorabile est quod nullum, si a Pisaurensi illo *dédrot* discesseris, quod correptæ et acutæ antepænultimæ vim præ se ferat, antiquius Lucreti ætate exemplum inventum est (Corss. ib.) De his igitur non multum discedo a Corssenii sententia. Neque vero cum vocalis ante vocalem correpta est, ut *ăbīvīt, ăbīīt*, *abĭit*, ad accentus vim referri debet.

5 "l'intensité caractérise l'accent moderne, [1]) l'acuité l'accent antique." Qui non viderunt et recentiorum esse et antiquarum illarum linguarum fuisse utrumque accentum proprium, et 'chromaticum' et 'exspiratorium'. In his autem recentioribus vox acuta conjuncta esse solet cum exspirandi majore vi, quam ceteræ syllabæ; si item semper in latina lingua, necesse est sententiam Corsseni de antiquiore latinitatis accentu sequamur, atque etiam, ut Corssenus, sic nos statuamus postremam latinæ linguæ ætatem in priscam illam accinendi rationem relapsam esse, quod non nimis probabile est (cf. Langen, Fleckeisen. Ann. t. 79, p. 69). Jam vero hoc loco quæritur *semperne* fuerit cum acuta voce conjunctus ictus spiritus necne; et quidem præcipue ut, verane sit sententia Corsseni decernamus, num, ut acutus, ita *exspirationis accentus trium syllabarum finibus contineatur*. Inspiciemus eos locos qui ad hoc pertinent grammaticorum. Sed de grammaticis præmonendum est, ad verum et proprium incorruptæ latinitatis accentum cognoscendum non eandem fidem prioribus et posterioribus haberi posse. Nam constat accentus aucta vi attritam esse in posteriore latinitate, postremo deletam quantitatem prosodicam (cf. Weil. et Benl. p. 253 et 9 sq., Corss. II, 936 et 9 sqq., Schuchardt l. c. I, 197). Cujus rei caussam eam ego fuisse puto, quod certatio illa quæ prioris latinitatis in multis vocibus fuerat inter acutam vocem et spiritum, post sublata est et tamquam composita, nam acutus cui inde a prisca ætate additus erat in plurimis vocibus major ictus, magis magisque intentus est spiritu, ut omnem majorem exspirationem vocis sibi adjunxerit, postquam autem in ipsas graves et productas syllabas, quæ ante fuerant cum pondere quodam vocis elatæ, spiritus cum acuto accentu conjunctus dominabatur, factum est ut corriperentur. Jam vero grammatici ipsi illius ætatis, etsi disciplinam a superioribus traditam sequebantur, et ea disciplina adhibita, ipsum sermonem ab ingravescenti corruptione et barbarie defendere studebant, tamen assequi non poterant, ne suæ ætatis consuetudini ulla re cederent. Idem in poetas cadit. Exempla vide apud W. et B. l. c. Corss. l. c. Langen Fleckeis. Ann. 79, p. 69. Hoc quoque satis signi est, posteriorum accentus cum antiquioribus non prorsus convenire, quod fuerunt quarto sæculo et quinto qui legerent antiquiorum carmina, ut veros linguæ rhythmos ediscerent, et ea res hominibus eruditæ appellationis studiosis a grammaticis injuncta est. Ut S:tus

[1]) Weil. et Benl. cum, l. c. p. 281, accentus recentiorum linguarum sic definiunt: "un coup, un appui de la voix, qui, en donnant une force prépondérante à la syllabe sur laquelle il se porte, retire toute vitalité aux autres syllabes du mot," vim intentionis verbis amplificant. Nam fortasse de anglorum lingua vere sic dicitur, de italiana non item.

Augustinus a. gr. XI. "Sed ad cetera vitanda potest quæcunque lectio boni auctoris subvenire; propter tempora autem et accentus alia eruditio et poetæ maxime necessarii sunt." Et Ausonius in protrept. ad nepotem ed. Bip. 1785 p. 159 "tu flexu et acumine vocis innumeros numeros doctis accentibus effer." Quamobrem non mirum est quod a prioribus interdum discrepant, sibique ipsi non semper constant. Neque enim aliter, nisi quantitatis discrimina confundi coepta esse omneque pondus vocis in acuto consistere, interpretari licet quod corripere et gravare, acuere et producere idem valere a posterioribus grammaticis dicuntur. Ut Martianus Capella IX, p. 354 Eyssh. 'productio autem est — hoc est ἐπίτασις — vocis commotio a graviore in acutum locum.' Marius Victorin. 31, 17 K. 'primæ potestatis quinque vocales existunt a e i o u, quæ gemina virtute temporum præditæ, dum corripiuntur aut acuuntur, longas et breves syllabas metris præstant'. Servius de accent. p. 482 K 'acutus et gravis et circumflexus — arsin thesinque moderantur'. Schoellium, virum perspicacissimum et doctissimum, l. c. p. 31 hoc non vidisse mirum est. Nam illa præcepta in nostrorum rem metricam cadunt, at quam sint a latini sermonis indole aliena, nemo non intelleget. Quamquam fortasse illa culpa carent Capella et Victorinus, si eas acui dicunt voces quæ ictu metrico efferantur. Quod si ita est, efficitur, illa ætate, quemadmodum hodie etiam latina et græca recitari solent, ita recitata esse carmina, ut, mutata pronuntiatione non modo ictus vel pondus vocis, sed etiam altitudo et acutus sonus omnibus quæ in "arsi" erant syllabis daretur.

Quamobrem postremæ ætatis testimonia grammatica aliquam habent cautionem, quæ si cum antiquioribus interdum non congruunt, ad antiquorum grammaticorum, Varronis, Ciceronis, Quintiliani normam dirigi debet eorum existimatio. Ut quod Pompejus dicit p. 126 K syllabam quæ accentum habeat vocis plus sonare quasi ipsa habeat majorem potestatem, fortasse sic interpretari nos oportet, plus sonare dici acutam vocem quia clarior sit acriusque aures pulset. Quod si illud dicit Pompejus, ceteras omnium vocabulorum syllabas esse acuta voce semper exiliores, contrarium loco illi Varronis p. 47 allato dixit. Ergo eo nomine erit dubia Pompei fides ad 'classicorum' accentuum cognitionem. Quamquam neque hic, qui graves, neque Varro, qui acutas esse omnes syllabas exiliores, ita vere dixerunt, ut ad omnia verba hoc aut illud præceptum adhiberi possit. Ac potius statuendum in aliis aliter verbis id accidisse. Etenim qui de sua et vernacula lingua scribunt, quæcumque verbis accidunt, quemadmodum natura confusa sunt, sic accipiunt, si quis autem linguæ alicujus progressum quasi e longinquo considerabit, universa quædam, quæ per omnia singula perti-

neant, facilius inveniet. Quamobrem Pompejus cum p. 126 K. "*malesánus — sâ*", inquit, "plus sonat, ideo dictæ sunt illæ (ma le nus) gravem habere accentum, quod et pigrum et minus sonant," id exemplum affert ad quod aptissima sint præcepta ab eo de accentu tradita; et quidem plurima sunt ex hoc genere, at dubito, num in illius vocis, quæ est *dŏmōs*, pænultima plus ponderis quam in ultima fuerit.

Dositheus p. 8 K vere dicit accentum esse *uniuscujusque* syllabæ proprium sonum, sed ex iis quæ sequuntur "quem Græci prosodiam dicunt, accentus quasi adcantus," apparet eum solam vocis inclinationem dixisse accentum. Etiam 'exspirandi' accentum, i. e. vim exspirationis, in una quaque syllaba esse huic præcepto p. 43 addidi. Quamquam et *fastigium* soni 'chromaticum' accentum nominare solemus et eum ictum, qui propter majorem vim *ante alios* percipiatur, accentum 'exspiratorium'. Sed tamen polysyllabæ voces *pluribus* pressionibus spiritus ('exspirationstryck') nonnumquam percutiuntur, acuta autem in omni voce *una* est (Quintil. 1, 5, 3, "est autem in omni voce utique acuta, sed numquam plus una"). Sequitur, id quod magni momenti est, fieri posse, ut polysyllaba vox *præter acutam syllabam* etiam *alios* habeat *accentus exspirationis*.

Fere omnes grammatici latini atque etiam posteriores ii, quos p. 57 nominavi accentum eum dicunt, qui sit in discrimine vocis quasi cantus quidam vel modus. Ut Martianus Capella dicit. III: 6, 5, Eyssenh. "omnem modulationem ex fastigiis vocum gravitateque componi, ideoque accentum quasi adcantum dictum esse". Vetus sane illud et primum dictum a Græcis (cf. Aristoxenum El. Harm. I, 18 M.); Martianus fortasse e Varroniano fonte hausit; nam Varro ap. Sergium de accent. p. 186 Wilm. dicit "natura vero prosodiæ in eo esse quod aut sursum sit aut deorsum, nam in altitudine omnino spectari." Sed et hoc inter omnes constat, et Romanos in suam linguam, quæ Græci de accentuum natura (cf. Choerobsc. 703, 24 B. sqq. et alios) tradiderant, transtulisse. Quod quamquam de circumflexa voce sibi ipsi minus constant, et ratione Græcorum magis quam linguæ latinæ natura (cf. Schoell. p. 33) quæ de acuto et de gravi tradunt accentu, dirigunt, tamen, nisi græca lingua et latina accentuum natura fuissent similes, Latini Græcorum præcepta ad accentus suæ linguæ definiendos tam constanter adhibere non potuissent. Atqui manifestum et cognitum est, antiquorum Græcorum accentum non tam exspirandi vi quam vocis fastigio et inclinatione contineri. Latinus autem acutus videtur acrior omnino et fortior quam græcus fuisse. Nam græcus accentus sæpe est in correpta syllaba, quam producta exipit ut σοφία, latinus, nisi disyllabarum vocum quæ iambum conficiunt

(de quibus cf. p. 51), numquam in tali loco est, ceteræ voces latinæ in iis syllabis, ubi ictus metrorum poni potest, id est aut in longa syllaba aut in brevi antepænultima quam excipit brevis syllaba, ut *compôno, mĕlior*, accentum habent. Et in enclisin latinam eam valere accentus in ultima prioris verbi syllaba ponendi legem, ut acuta voce extollatur aut longa ut *'primôque'* aut brevis post brevem ut *lumĭnáque;* et cum græcus sermo patiatur post productam syllabam in fine vocis acutum, ut *μουσά τε,* aliam esse rationem latinæ linguæ, latine enim dici *mûsăque*, non *musáque*, demonstravit Langenus diss. inaugur. p. 32 sqq. et Philol. XXXI p. 109; cf. Schoell. l. c. p. 61. Et græcus quia magis instabilis, nescio an fuerit levior. Ad hoc spectat quod p. 7 posui, acutum accentum Græcorum, qui facilius latino locum mutet, multo magis latino ad discretionem vocum pertinuisse. De græca discretione per accentum facta cf. Aristarchi fragm. apud Lehrsium, Herodianum ed. Lentz., Arcadium ed. Barker. et Kuehneri Gramm. I.

De latinorum vocabulorum distinctione per accentum constituta subtilissime disputavit Schoellius l. c. p. 57, quocum fere de hac re consentio. Quæ autem hujus generis distinctiones neque ad scriptionis artificium spectant neque a perversa subtilitate profectæ sunt, eas non ad accentum ipsius vocabuli ("ordaccenten") aut ad complexionem syllabarum pertinere, sed cum vel quid ponderis habeat verbum, notent, vel collocatione verborum pendeant, ad accentus sententiæ vel rhetoricos quos dicunt referri debere, infra ostendemus. Etiam illud de Váleri vocativo, Valéri genitivo a Nigidio Figulo ap. Gellium N. A. XIII, 25 (26) traditum, si modo veræ fuit, — quod neque negaverim neque confirmaverim — appellationis, in rhetorici accentus discriminibus numerandum est. Nam quo quis longius est a fine reductus accentus, eo gravior est; vocantis autem est vocem intendere; ergo hoc discrimem quamquam in syllabarum contextu apparet, positum est in universæ vocis intentione. Quamobrem latinarum syllabarum accentus græcis fuerunt stabiliores. Accedit quod acuta et correpta pænultima vocum iambicarum cum ultimam longam corripuit, de quo p. 52 et 54 mentionem fecimus et Corssenus II[do] t., aliquam exspirationis vim exhibuit. Iam quod latinus acutus multo sæpius quam græcus cum ictu metrico conjunctus est vel quod acuuntur syllabæ quæ in arsi a poetis poni solent, memorabile est. Ut in Ciceronis Philippica secunda § 1—3 de 148 vocabulis, 145 eas syllabas acuunt, in quibus esse possit ictus metricus (neque enim monosyllabarum vocum, quæ aut suum habent accentum aut encliticæ sunt, rationem habuimus); non plus 3 voces (meo, mea, sui) quarum acuta syllaba in 'arsi' trochaici vel iambici versus poni non potest,

nisi ita, ut forma vocis mutetur (quod etiam illis quæ sunt 'meo mea sui' factum est, nam apud comicos contrahi possunt'). Et in Ciceronis Pisonianæ prima § inter 88, 79 sunt illius, 9 hujus generis. Præterea loco illo Philippicæ nonnulla iambica vocabula, quæ quia cum proximo verbo positionem faciunt, ita collocata in penultima ictum habere non possunt ('minus mirabar', 'fuit voluntarius', 'quidem st', 'quidem violatus', 'prius quam', 'enim plenius'). In Lysiæ autem oratione in Erotosthenem §§ 1—3 Scheib. ex 119 verbis, 94 possunt ictum metricum in acuta syllaba habere (sed tamen multæ in eo numero non possunt, nisi positionem, diæresin, elisionem assumpseris aut in certis quibusdam metri locis), 25 nullo modo possunt ita metro inseri, ut ictus cum accentu vocis conjungatur (maxima autem pars earum sunt ad hæc exempla efficta: ὅμως ἀναξίως). Quamobrem consentaneum est, in multo pluribus latinorum poetarum versibus nullum esse ictus et accentus divortium quam in græcis carminibus Ut ex iis versibus, quæ sunt Terenti Andr. I: 1, 1—110, in 49 nullus ictus cum acuta voce non conjunctus est, in 61 ictus ab acuto accentu magis minusve separatus est (ea autem discrepantia maxime in extremo pede aut in binis extremis pedibus posita est). Verba autem in v.v. 1—66 e 161 sub ictum metricum cadentibus, accentum cum ictu conjunctum habent 115, 46 non habent. Aliter in græcis: Nam e 110 primis Equitum Aristophaneæ comoediæ versibus duodecim nullum habent ictum quin cum accentu 'chromatico' conveniat, at ceteræ multitudinis accentus et ictus magis minusve discordant. E verbis autem versuum 1—66 fere triginta verbis pauciora sunt quæ ictum et accentum eodem loco non habent, quam quæ habent. Quæ cum ita sint, natura ipsa latini sermonis effecit, ut et latini poetæ majorem quam Græci accentus et ictus convenientiam præ se ferrent, et in mediis iambicis et trochaicis metris accentus et ictus sæpissime in easdem syllabos concurrerent. Illam unam causam hujus rei fuisse fortasse non vere Weilius Benloewiusque et Corssenus, qui a Bentlejo et Ritschelio ea re dissentiunt, putant; sed nescio an non modo in studio poetarum, verum etiam in hac re, et in ea maxime, caussa remissiorum qui sunt in mediis illis versibus numerorum posita sit. Quod dixit Langenus Philologi l. c. p. 103 (cf. ejusd. comm. in Ann. Fleck. p. 54), si natura ipsa sermonis ea convenientia numerorum et accentus contineretur, eandem in græcis versibus, si latino accentu recitarentur, futuram esse, computationibus autem a se factis effici, quamvis aliquis ad græca vocabula latinam accinendi rationem adhibuerit, in mediis senariis iambicis Aristophanis multo sæpius quam apud latinos accentum ab ictu sejungendum esse, eam rationem subtilius quam verius conclusit. Nam quo-

niam ipsa conformatio verborum ex accentibus apta est, græca vocabula, etiamsi latinis accentibus proferuntur, tamen alios numeros exhibent. Suo igitur modulo cujusque linguæ rhythmus metiendus est.

Langenus Phil. l. c. p. 101 dicit acutum accentum in omnes latinas voces ea exspirandi vi dominatum esse, ut ceteras syllabas obscuraret et redderet exiliores, ita intermedium esse latinum sermonem inter græcum et recentiores linguas, quarum non modo acutissimus sed etiam fortissimus sit ille sonus. [1]) Consentaneum fuit, eum dixisse eandem esse naturam latini accentus ac recentioris, nam harum linguarum proprium est acutas voces spiritu percutere. Dicit enim p. 106 et 108 Romanos cum græca metra tanquam reluctanti linguæ latinæ vi quadam inserta essent, summa industria elaborasse ut discordia inter ictum nativum vocum italicarum et ictum numerorum componeretur, idque eis magis magisque contigisse, ita in exitu hexametri et in mediis versibus diverbiorum ejus rei progressum quendam apparere. Sed ipsa illa ratio ea est, quæ nisi veritas ejus validissimis rationibus evicta sit, probari nequeat. Nam multum detrahetur ab summis laudibus poesis latinæ, si numeri poetarum latinorum pro artificio ab ipsa linguæ natura alieno habendi erunt, præsertim cum ceterarum linguarum numeri poetici ad ipsius linguæ nativum rhythmum accomodata esse repeperiantur. Et 'concordia' illa 'discors,' quam poesi romanæ laudi jure tribuit Ritschelius, si in acutæ vocis et ictus metrici certatione posita fuit, certe valde pertinuit ad metrorum latinorum elegantiam et distinctam varietatem, sin fortissimus quidam et nativus unius cujusque vocis in una syllaba positus ictus metrico ictui reluctabatur, asperos infractos dissolutos illos numeros fuisse necesse est. Nam omnium numerorum, sive in cantibus sive in poesi versantur, certi sunt et intervallis distincti ictus, qui nullos præter se pares patiantur. Si quis igitur illud Vergilii 'exúviis pósitis, nítidusque, juvénta' ita recitet ut in illa voce q. e. 'exuviis' et 'uv' acutam syllabam summo ictu extollat et ictu, quem metrum postulat, 'ex' intendat (sic: exúviis), metrum turbetur et molesta sit reci-

[1]) "Viehlmehr muss man zur erklärung dieser erscheinung (der verwitterung), die besonders stark im umbrischen hervortritt, anerkennen, dass der feine musikalische accent bei dem rauheren und gröberen italischen volke sich allmählich auch gleichsam vergröbert hat, dass zu dem musikalischen element noch die stärkere aussprache der betanten, also die natur der nicht betonten silben hinzugekommen ist, und demnach der accent in der lateinischen sprache schon frühe in der weise zwischen dem antik-griechischen und modernen die vermittlung übernommen hat, dass die betonten silben so wohl stärker als höher ausgesprochen wurden, und höhe und stärke mit einander vereinigt das wesen das lateinischen accentes ausmacht."

tatio. Ita ad L. Muelleri sententiam revolvimur. Is enim de hac re sic judicat, de re metrica poetarum latinorum p. 205, "sicuti optimo tempore apud poetas græcos et romanos nulla fuit potestas accentus grammatici ad producendas syllabos breves, ita minime ratio habita est ejusdem in pangendis versibus — verum enim vero, cum primum unicumque sit munus poeticum, ut nos quotidianæ vitæ miseriis et curis vulgaribus exemptos, in puriorem, ut ita dicam, nec terrenæ fæcis habentem æthera collocet, poetæ veteres, studiosissimos formæ carminum et metricæ artis cum haberent populares, studiosissimi ipsi rerum talium, vix aliud potuerunt habere majore cura quam ut rhythmicum vocabulorum, quibus constarent versus, accentum redderent quam diversissimum a grammatico." Sic ille, sed ne his quidem facile adducor ut magnam fidem habeam. Mitto illud de terrena fæce, de cottidianis humanæ vitæ miseriis, de puro æthere; at miram sane et singularem romanæ poesis conditionem, quæ una omnium, cum ceterarum linguarum poetæ varios et nativos rhythmos arte componant, a communibus vulgaris loquellæ numeris quam diversissima sit! Et Schoellius de accentu p. 25 jam plane refutavit quod nonnulli opinati sunt veros syllabarum accentus 'chromaticos', acutum et gravem, qui in communi loquendi consuetudine versarentur, ab antiquis, cum versos recitarent, neglectos esse. Nam antiquorum testimonia citavit, quibus efficiatur, non secus in carminibus atque in prosa oratione Romanos verba acuta et gravi voce esse modulatos: Consentium p. 390, 21 K, 398, 24 K; Augustinum a. gr. XI; Probum Berytium ap. Gellium VI, 7; M. Valerium Probum ap. Gell. IV, 7; Quintilianum I, 5, 28; Servium ad Aeneid. I, 384; Ciceronem or. 173; Diomedem; Ausonium; Terentianum Maurum. De exspirationis autem accentibus vel ictibus nondum res ad liquidum perducta est. Ritschelius contentionem vel certationem inter accentus vocis et numeros poeticos fuisse putat; eum secuti sunt Langenus et Schoellius, qui acutum accentum et fastigio et summa et præponderanti quadam spiritus intentione, ut fere par sit accentui germanorum et anglorum, esse volunt. Nam quod etiam esse eum in cantu positum vel magis quam germanorum vel anglorum ad musicæ rationem referri eum dicunt, nihil proficiunt, nam neque quidquam hodie de ea re decerni potest, neque carent germanici et anglorum accentus vocis cantu. De certatione autem ictus vocis et metri quid sentiam, jam declaravi. Ea certatio non potest esse, nisi syllabarum quarum fere pares et proprii et nativi sunt ictus; — impares enim certare absurdum est, — neque nisi ita, ut alter alteri cedat, i. e. ut alter ictus fiat obscurior. Alia est sententia L. Muelleri, de qua jam mentionem fecimus. Corssenus de accentus acuti pondere in exspiratione

posito — etsi sibi minus constat et obscurior est, tamen fere consentit cum Langeno et Schoellio, metricum ictum alienum ab ipso sermone putat. Dicit enim p. 975 "Hochton und Vershebung haben im Wesen nichts gemein", hoc recte; addit autem illud: "jener, der Sprache angehörig, erklang im Munde jedes Römers, diese eine Erzeugniss der Dichtung war der Rede des Volkes fremd", quod speciosius quam verius dixit. Nam quamvis ipsi metrici ictus non fuerint prosæ orationis, et aliqua sit poetis rhythmos vocabulorum temperandi licentia; tamen non dubium est quin ictus metrici ex ictibus propriis vocum quodammodo apti fuerint, nam numeros ipsius sermonis tamquam a natura datos poetæ arte componunt, quamobrem nisi ob metri necessitatem aut per immoderatam licentiam factum est ut latini poetæ ullius vocabuli quantitatem et appellationem turbarent. Poesin antiquorum non magis quam hodiernam mutata appellatione aut exspiratione syllabarum diversa aut peculiari quadam solutæ orationi dissimilem fuisse, multis antiquorum testimoniis efficitur. Dicebant enim poesin eosdem pedes habere atque solutam orationem, ex iisdemque vocibus eosdem pedes in carminibus atque in soluta oratione confici, nam poeticam artem, a natura et communi sensu profectam, nulla re nisi certa moderatione et compositione et finitione pedum a vulgari sermone differre. Cf. Cic. Orat. § 183; id. § 188 "nullus est igitur numerus extra poeticos, propterea quod definita sunt genera numerorum" (i. e. pedum qui utriusque orationis communes sunt); id. 189: "Sed quæritur, quo numero aut quibus potissimum sit utendum. Incidere vero omnes in orationem etiam ex hoc intelligi potest, quod versus sæpe in oratione per imprudentiam dicimus, senarios vero et Hipponacteos effugere vix possumus; magnam enim partem ex iambis nostra constat oratio." Quæ cum ita sint, non modo ex grammaticorum et rhetorum libris, sed etiam ex carminibus latinis cognoscere licet, qui fuerint cujusque polysyllabi vocabuli ictus. Sed ut redeamus ad sententiam Langeni, cujus jam fecimus mentionem, studium illud poetarum latinorum non satis in carminibus latinis elucet, non dico quam difficile sit id studium in lyricis metris invenire; sed, etsi magis magisque latinos poetas epicos *in fine hexametri* elaborasse ne ictus et accentus separarentur, Langenus diligentissimis quæstionibus probavit; tamen si illud studebant, quod putat Langenus, ut ex parte quidem molesta asperitas tolleretur, non multum sane profecerunt, qui id non consecuti sint, nisi in duobus iis pedibus quibus clausula versus consistit. Verum hoc potius secuti sunt, ut versus herous, cujus sit cursus gravis et sedatus, cum et ictus et fastigium vocis simul summitterentur, cum lenitate quadam æquabili et dignitatis plena caderet. Quamobrem hexametri Vergilii

graviores sunt et plus habent dignitatis quam Homeri. At Horatii hexametri, qui incitatius feruntur neque tam æquabiliter profluunt, si quando ea clausula carent, videntur quasi in fine non posse consistere. Ceteris locis quo quis versus est numeris astrictior aptior concinnior, eo magis in eo elucet acutæ vocis et ictus metrici distinctio; maxime vero confusi sunt accentus et ictus, si quis versus dissolutior est numeris, ut Hor. A. P. 263 'non quivis videt immodulata poemata judex' et S. 2, 1, 21 'quanto rectius hoc quam tristi lædere versu'. Atque ut crebris incisionibus gravitatem et intentionem numerorum consecuti sunt Romani poetæ, sic ea distinctione modorum varietatem et elegantiam. In mediis autem iambicis et trochaicis versibus non negaverim conjunctionem illam 'arsis' [1]) et accentus a studio artis profectum esse. At contrarium studium in posteriore parte eorundem versuum elucet. Neque vero necessitate ita est factum; facile enim vel delectu aliorum verborum vel mutata collocatione efficere potuerant, poetæ, ut ne accentus ab arsi in extremis pedibus tam sæpe divideretur. Sed in utraque re *summa ars* apparet. Nam, ut docet Quintilianus in medio verborum ambitu debere remissiores esse numeros, finem apte concludi magni momenti esse; ita scenici poetæ in medio versu simpliciores et tenuiores numeros adhibebant, in clausula autem, ubi major esset aurium exspectatio, exquisitioribus, in quibus magis perciperentur sonorum inclinationes ipsæ, utebantur.

Cum sæpissime fit apud scenicos poetas ut alibi aliis syllabis eædem voces ictu metrico percutiantur, tum, si medios pedes cum ceteris sive primis sive postremis contuleris, ea impressionum varietas maxime exstat, et quidem præcipue si cum postremis, ut modo 'curándum' 'responsórem' modo 'curándum' 'responsórem'.

Hujus autem rei causa fuit non quod ictus nativi vocis nihil ad metra pertinerent aut quod poetis liceret pro arbitrio quaslibet syllabas ictu extollere, sed quod multarum vocum non in singulis erant sed in binis pluribusve syllabis exspirandi impressiones (exspirationstryck); dicebatur igitur curándum. Si non pares sunt pondere impressiones vocis cujusdam propriæ, ut certum sit et in promptu positum discrimen, poetæ non licet eam syllabam, quæ minore ictu est, percussione rhythmi ante alias efferre, ut in hac suecana voce embétè et antepænultima et pænultima exspirationis vim habent, sed, quia pænultima certo discrimine ictus minor, superioris quidem et mediæ Sueciæ appellatione, est quam antepænultima, si quis poeta eam syllabam quæ est 'be' in "arsi" collocaverit,

[1]) Arsin eam dico quæ hodie dici solet.

vitio ei vertetur. Sin autem fere pares sunt ictu binæ pluresve ejusdem vocis syllabæ et quasi pari momento librantur, ut in hoc suecano quod est 'tillbedja' et in germanico illo verbo 'ánbeten' utramvis earum syllabarum quarum proprius est ictus in arsi ponere licet. Item poetis latinis, si qua verba plures habeant fere pares et nativos et proprios ictus ut curandum, et optio permissa erat *quamlibet*, et necessitas imposita *aliquam* earum syllabarum ictu metrico percutiendi sive in "arsi" ponendi. Idque in latina et in græca lingua multo sæpius, quam in nostræ ætatis linguis usu venit. Nam harum linguarum accentus exspirationis simpliciores sunt et varietate græcorum et latinorum carent et plerumque summam potestatem in ceteras syllabas tenent.

Nativum vero fuisse et germanum, non in artificio positum, ictuum vel accentuum exspirationis in unam vocem concursum et æqualitatem maximum argumentum est quod in genuinis illis et vere Romanis et popularibus versibus Saturniis, quorum numeri quin ex ipsius linguæ numeris apti fuerint nemo dubitet, syncopata 'thesi' arsin arsis ita excipit ut continuis ejusdem vocis syllabis contineantur. Iam enim post Ritscheli et Bücheleri et Spengeli curas, si non plena, at aliqua horum numerorum facta est scientia. Syncopas autem Spengelius angustissimis finibus circumscripsit, a cujus opinione ita dissentio, ut Spengelius in quinto solo, ego et in altero et in quinto pede syncopam fuisse statuam. Hæ autem omnes syncopæ præter duas quinti pedis sunt: tempestátibus [1]) El. Scip. R. t. XXXVIII C. I. L. 32, 6 condémnes R. t. LII C. I. L. 1175; virtútes Scip. El. t. XLI R, C. I. L. 34; Máarco Caicílio (acuto accentu in hoc 'ut in ceteris' vocis fastigium, hoc signo ictum noto) t. LXIX R, C. I. L. 1006; arquítěnens Næv. ap. Macrob. 6, 5, p. 181 Bip. (deíndē póllens sagittis ínclutus arquitenens); fortúnas Liv. ap. Prisc. 6, 1, p. 221 K; omméntans Liv. ap. Festum p. 190

[1]) Sic enim legendum est: dedet tempestatibus aíde meretod vótam. Ritschelii mensio "dedit tempestátebus" minus probabilis est, quia syncopa primo pede durior est quam ante ultimum utriusque hemistichii pedem. A Spengelio autem dissentio quod syncopam adhibere, et quoniam versus synartetus est, et idem rhythmus est utriusque hemistichii, non modo in posteriore sed etiam in priore hemistichio, licere, et hoc loco necesse esse puto. Is enim (Philol. t. 22 p. 87) neglecta quantitate sic "dedit tempestatēbus, quod non magis probari potest quam quod legit t. LIII R. C. I. L. 1175, 4 donu danunt Hercolei. Neque enim 'Castōris', quod Spengelius, ut suam mensionem probaret, nominavit, ad id quidquam pertinet. Nam 'Hercōli' omni latini sermonis analogia caret; 'Castōris' dictum esse ad similitudinem eorum qui desinunt in tor -tōris ut oratōr -tōris, docent Varro L. L. 8, 72. Qvintil. 1, 5, 60; Charisius p. 131 K.

M. Atlántes Prisc. l. c.; Anchíses Probus ad Virg. p. 14 K; appellat Varr. de L. L. VII, 51; vexarant Næv. Prisc. 250 P. Neque vero dubium est quin hæc res, quæ prisci sermonis latini gravitati maxime conveniat, sit ab ipsius linguæ natura profecta.

Cetera latinorum carminum metra, quæ proprie græca sunt, eam rem non habent præter iambos scazontes creticos choriambos. Horum enim metrorum ictus contigui modo, ut in Saturniis item potest esse syncopa tertii aut quinti pedis ante exitum vocis: Donum, danunt Hercôleí, sic dividuntur incisionibus, modo in syllabis vicinis ejusdem vocis sunt cum fere pari intentione positi. Itaque vel hac ratione: 'postquam, utrimque exitumst, maxumā, copia Plaut. Amphitr. 219; tibi soles Catull. 8, 3; amabitur nulla ib. v. 5, vel sic dixerunt: 'dispertíti viri, dispertiti ordines' Plaut. Amph. 220; deinde uterque imperator in medium exeunt ib. 223; 'ineptíre' Catull. 8, 1; 'ducebat' ib. 4 'fiebant ib. v. 6 'nolebat' ib. 7, cett. Atque etiam in prosam orationem contiguos illos ictus cum iambis sæpissime incidisse, auctor est Cicero, qui Orator. §. 189 "in oratione" — inquit, "senarios *et Hipponacteos* effugere vix possumus". Atque choriambicorum versuum ictus in eodem vocabulo Catullus continuavit his locis: XXX v. 5 'certe tute jubebas animam tradere, inique, me'; v. 6 'inducens in amorem quasi tuta omnia mi forent: v. 9 si tu oblitus es, at di meminerunt, meminit Fides'; v. 10 'quæ te ut pæniteat postmodo facti faciet sui. Nec facta impia fallacum hominum cælicolis placent'; LXI v. 86. 'flere desine, non tibi, Aurunculeia, periculumst'. Posterioribus autem poetis hoc nimis ponderosum visum est. Itaque Horatius incisiones posuit in metro iambelegico post quartam "arsin," in versu asclepiadeo minore post tertiam, in ascl. majore post tertiam et quintam, in sapphico majore post quartam. Duobus tamen locis in metro asclepiadeo C. 11, 12, 25 "cum flagrantia detorquet ad oscula, et C. 1, 18, 15 "arcanique fides prodiga perlucidior vitro" cæsuram neglexit. Sed his locis juncti vocabuli pars suum utraque ictum sustinet, quod minus asperitatis habet.

Possum multos commemorare locos et ceterorum carminum latinorum, et Saturniorum versuum ubi plures quam singulæ ejusdem vocis syllabæ metrico ictu ita intenduntur, ut interjectis syllabis separentur: Scip. el. n. 30 glóriam Sámnio opsidesque parísumā; n. 32 ploirume cosentiont; n. 33 Publio tit. Mumm. n. 542 imperio cett.; sed ea res in promptu est. In illo autem genere brevium syllabarum variat, quasi sit incertæ sedis, ictus. Nam cum una et brevis syllaba non par sit in polysyllabis latinis ponderi accentus 'exspiratorii'

sustinendo, hæc exspirandi vis per binas continuas pertinet, ut mulierem vel potius mulierem, nam quarta syllaba et antepænultima non modo tempore sed etiam ictu æquales sunt ambæ uni antepænultimæ vocis dactylicæ: cęderet. Constat autem in iambicis et trochaicis versibus esse et 'mulierem' et, non ita sæpe illud quidem, sed tamen interdum 'mulierem' et simili ratione variant ceteræ quæ huic voci sunt consimiles. Sed hoc, quod forsitan cuipiam videatur inconstantiæ cujusdam esse, suis et certis finibus est circumscriptum. Nam si post breves binas syllabas sequebatur longa, semper ictum majorem fuisse in priore correptarum illarum syllabarum satis signi est quod apud poetas correptis iis syllabis post quas proxime insequuntur productæ, ictus metri numquam sit impositus. Neque enim quisquam poeta umquam dixit relĭquĭæ exănĭmāri pro relĭquĭæ exănĭmāri aut reliquiæ exanimari. Quod non modo apud posteriores poetas, sed etiam in versibus Saturniis vel in vetustis et Saturniis similibus observatum est ut relĭquiæ t. LXXXVIII R. n. 1016 M, sŭpĕrant ib., mĕrĕtō Scip. el. n. 32 Momms. valeas 1006 M, mĭnĭstratores Næv. ap. Non.; Sicilienses (paciscit obsides ut reddant Næv. ap. Non. 5502 u. (474 M). Næv. ap. Charis. I, 73 L sic legitur a Spengelio: Marcus Valerius consul partem exerciti in ĕxpedītionem; sed legendem est sic ◡ | — ◡ Marcus Valĕrĭus Consul partem exercĭti in | expĕdītionem Doucit — (de elisione in soluta thesi cf. Scip. el. n. 33 v. 2). Ergo et in hoc genere prioris syllabæ ictus nativus et poeticus semper major est, et antepænultimam brevem majorem ictum habere correpta pænultima argumento est quod si quis poeta pænultimæ vocabuli cujus posteriores syllabæ breves sunt ictum dedit sic: 'omnĭbus modis' Plaut. Rud. 33 et similia in octonariis et in anapæstis, id non nisi licentia poetica et metro, aut quod rarius factum est, excusationem habet. Et in talibus vocibus quales sunt 'virginis' 'habilis' (cf. Langen. l. Phil. c. p. 109) plerumque nolebant poetæ scenici ictum ultimæ dare nisi cum proximæ vocis prima littera fecerat positionem; apparet igitur neque pænultimam ejusmodi verborum neque ultimam nisi in positione accentum exspirationis habuisse. Neque enim quod acueretur antepænultima, sed quod exspirationis inerat in ea major vis, ictu intendebatur, quamobrem minus mihi probabilis videtur sententia Langeni qui hanc rem a studio ictum cum altitudine vocis conjungendi profectam esse existimat.

Atque hac etiam re metrum Saturnium cum ceteris trochaicis et iambicis versibus convenit. Neque vero est quod h. l. Næv. ap. Serv. ad Aen. III, 10 sic legamus, ut Spengelius: Amborum uxores noctu Troia dexibant Captibus apertis,

sed melius Vahlen — Trojad exibant | Capitibus opertis. Quamquam num hic verum invenerit dubito. Nam ejus quoque eo nomine suspecta videtur lectio quia -'bus' produxit; quod quamvis antiquissima ætate longum fuerit, tamen nullum producti ejus inveni ne priscæ quidem latinitatis exemplum. Quamobrem fortasse sic legendum est:

⏑ – Troiad exibant | Captibus opertis Capĭtibus hoc loco non plus habet offensionis quam in hexametro illo Enniano ap. Gell. XIII, 20, de quo Bergkius Fleck. Ann. LXXXIII, 620 et q. sqq., aut quam striglibus ap. Juven. III, 263 (Striglibus et pleno componit lintea guto) de quo Christius in Musio Rhenano XXXIII, p. 575. Jam vero si sexta et quinta et quarta a fine breves erant, in sexta aut quinta; si quinta et quarta et tertia, in quinta aut quarta, si quarta et tertia et pænultima, in quarta aut tertia ictus poni potuit ut tamen etiam ad proximam syllabam pertineret; ut mĭsĕrĭcórdia Plaut. Pseud. v. 274 et mĭsĕrĭcórdior Rud. 1, 5, v. 24; — Sĭcĭlĭénsem (meum herum lenonem Sĭcĭlĭénsemque hospitem) Rud. 451 et Sĭcĭlĭénses (Næv. B. P. l. VII ap. Non. 550 Q (474 M): Sĭcĭlĭénses proficíscunt ópsides ut réddant) — vŏlŭ́erit Phædri fabularum 1 prol. 5 et volúerit cf. mĕmĭnĕrit ib. v. 7; sin autem antepænultima et pænultima et ultima breves sunt, in antepænultima, rarius in pænultima. [1])

Forsitan aliquis ex hac variantia conjectet nullam fuisse propriam exspirationis vim in syllabis brevibus. Sed si nullus est brevium syllabarum proprius ictus, sequitur ut sit in artificio positum et de more sumptum et posteriore usu in linguam inductum quod breves syllabæ a poetis in arsi ponuntur. Atqui ita se rem habere, etiamsi illum in artificio positum ictum brevibus syllabis finias, tamen, cum contrarius sit ceterarum linguarum usus, id ipsum non nimis probabile est, et refellitur locis antiquorum auctorum et jam p. 61 et p. 62 allatis et iis quos infra afferemus. Atque illud argumento est, ita statui non posse, quod non est eadem omnium syllabarum exspirandi vis, et sunt quædam exiliores quam in quibus ictus poni soleat. Neque enim sæpe correpta et ultima nisi in positione, nec brevis syllaba quam excipit longa, nec, si a rariore illo usu, de quo jam mentionem fecimus, discesseris, pænultima brevis in arsi ponitur. At enim in accentu fortasse est ictus brevibus syllabis impositi causa. Quam quidem idoneam causam forsitan afferre liceat cur potius antepænultimæ quam pænultimæ correptæ sit ictus.

[1]) Quæ per anaptyxin ortæ sunt vocales breves, ut coculeæ Plaut. Capt. I, 1, 12; Patricoles Enn. ictu metrico carent. Quamobrem in versu illo eleg. n. 1046 Momm. sen. femina opitumā veixsit, non vere Sp.: opituma. In eod. genere guminasium Agathocoles Pseud. 532.

Sed in vocibus disyllabis et iambicis ultimæ gravi et productæ ictus datus est, acutæ pænultimæ non item. Quod declarat in his quidem vocibus ictum ad accentum non referri. Neque vero cur 6ta et 5ta aut 5ta et 4ta aut 4ta et 3a a fine syllabæ in arsi ponantur, nisi antiquiorem quendam et posteriori notoque accentui dissimilem fuisse sumpseris — quam opinionem et eam esse vidimus quam nisi necessitate quadam in eam compulsi sumere non possimus et ad rationem reddendam cur productarum syllabarum sit ictus instabilis supervacaneam — in accentu caussa est posita.

Vix igitur quidquam relinquitur nisi ut inconstantiam illam metrici ictus brevibus syllabis impositi ratione adsimili ejus quam productarum syllabarum et in arsi positarum reddidimus interpretemur. Verum tamen tenendum est, non modo tempore, sed etiam pondere et exspiratione singulas productas binis brevibus omnino pares esse. Neque enim, quoniam polysyllabarum vocum latinarum pressiones exspirandi quantitate diriguntur, dubium est quin ea quæ de temporum ratione in vocabulis grammatici docent etiam ad vim exspirationis transferri debeant [1]); etsi controversia quæ fuit inter rhythmicos et metricos (Marius Victor. 1, 8. K, quoc. cf. Quintil. IX, 4, 84) declarat, neque ad mathematicorum rationes exigi posse brevium et longarum syllabarum discrimina, neque eadem esse in omnibus vocabulis. Quoniam autem jam vidimus, non fuisse, nisi binæ aut ternæ correptæ syllabæ se excipiebant, brevium syllabarum ictus, confirmatur quod statuimus, ictum in polysyllabis per binas syllabas pertinuisse, non singularum fuisse. Et ex ipsa inconstantia apparet, neutram priorum et brevium

---

[1]) Nescio an spiritus ictus cum syllabam ante alias extollit plerumque efficiat ut ea syllaba producatur ut aut vocalis longior sit aut insequens consona. Quamobrem JOH. H. H. SCHMIDTIUS in l. de Rhythmica et Metrica Græc. p. 3, dum docet breves syllabas græcas forti et intento spiritu appellandas esse, ut tamen insequens consona non producatur sive geminetur, nulla alia exempla, ad rationem suam illustrandam, quam monosyllaba quædam aut ea quorum ultima brevis acuatur, ut já hahá papá, quibus nihil proficias, si quæritur quomodo brevis et acuta pænultima aut antpænultima sit appellata, attulit. Dicuntur sane esse linguæ quarum breves et acutæ vocales intento spiritu efferri possint, ut consona tamen corripiatur. Quod in serbica lingua fieri dicitur. Et illud quidem ut mihi incognitum, in medio relinquo. Sed non est quod eam fuisse latinorum aut græcorum consuetudinem putemus. Quod dicit A. J. ELLIS Transactions of phil. society 1873—4 p. 128 "the clear force accent may occur on an extremely short syllable with a very short vowel, as in pitiable, without entailing any lengthening of the vowel", considerandum est, quamvis syllaba ipsa per se brevis videatur, tamen, quoniam comparatione ceterarum tempora syllabarum quæ ejusdem vocabuli sunt metiri oportet, si sunt ceteræ breviores, ut videntur esse in anglico vocabulo, quod illo loco nominavit, ipsa illa brevis si est ceteris longior producta habeatur ne cesse esse.

syllabarum, cum ternæ breves se excipiebant, tanti ponderis fuisse ut ictus major sine exceptione in ea fixus esset. Cum autem antepænultima et syllabis quæ sunt ante eam hæc res terminetur, fortasse etiam contentione quadam inter pondus radicis, quæ quanta fuerit post quæremus, et acutam syllabam, in qua inesset pressio exspirationis, factum est ut ictus metricus in binas sedes binarum syllabarum tanquam vacillaret, sic: Sicíliæ et Sicíliæ. Ab eo autem quod non modo sonus sive altior sive gravior, sed etiam pressio vel exspiratio sive levior sive major sua est cujusque syllabæ, idque et in syllabarum natura positum est et testimoniis antiquorum auctorum comprobari vidimus, initium hujus quæstionis de accentu 'exspiratorio' duximus. Quæ vis unius alicujus syllabæ in quibusdam linguis aut in quibusdam verbis ejusdem linguæ ita pollet, ut præ illa ceteræ sint valde exiles. Atque ad latini accentus exspiratorii cognitionem si modo aliquid adjumenti affert rei metricæ latinæ studium, videmus hanc unius syllabæ vim dominari in vocabula disyllaba iambica et trochaica, in trisyllaba quæ dactylum et tribrachyn et amphibrachyn conficiunt (cur non item in eas quæ anapæstum, talis sit vis ultimæ syllabæ, causa videtur esse in acuta antepænultima, in qua vis inest quædam exspirationis). Aut etiam non singulæ sunt singularum vocum illæ pressiones, sed plures; atque etiam fit, ut sint per plures syllabas singularum vocum itæ divisæ et dispositæ ut quasi paribus ponderibus librentur, neque ulla earum impressionum præter ceteras gravitate insignis sit. Et Latinæ, — si quid in hanc sententiam ex ictu metrico colligere licet, quod nescio an liceat — ita suis ictibus modificatæ sunt voces disyllabæ quæ spondeum, trisyllabæ quæ creticum, bacchium, palimbacchium, anapæstum, molossum conficiunt, denique omnes quæ plus tres syllabas habent. Ex his igitur nescio an jure conjectemus, vocabula latina, cum genuina et urbana voce proferebantur, leni et jucunda syllabarum distinctione varios numeros reddidisse, accentus autem singularum syllabarum 'exspiratorios' nimis asperos et fortes fuisse quam sunt in recentioribus quibusdam linguis. Hoc vero etiam Ciceronis testimonio comprobatur. Is enim in l. III de or. §. 40 et q. sq. "ut Latine loquamur, etiam lingua et *spiritus*" inquit, "et vocis sonus est ipse moderandus. Nolo exprimi litteras putidius, nolo obscurari neglegentius; nolo verba exiliter exanimata exire, *nolo inflata* et *quasi anhelata gravius* — — Idem § 43 "nostri minus student litteris quam Latini; tamen ex istis, quos nostis, urbanis in quibus minimum est litterarum, nemo est quin litteratissimum togatorum omnium, L. Valerium Soranum, *lenitate vocis atque ipso oris pressu* et sono facile vincat. Quare cum sit quædam certa vox Romani generis urbisque

propria, in qua nihil offendi, nihil displicere, nihil animadverti possit, nihil sonare aut olere peregrinum, hanc sequamur neque *solum rusticam asperitatem,* sed etiam peregrinam insolentiam fugere discamus". Cur autem ipsa genuina illa et lenis et æquabilis et syllabas omnes quantitate ponderans vox sæculorum decursu corrupta sit, causæ quadam ex parte in occulto latent, sed fortasse et rustica illa asperitas et peregrina insolentia ad eam corruptionem aliquid momenti attulerunt; cf. imprimis Consentius p. 391 K et Servius c. in Donat. p. 444. Et fere eandem fuisse prisca illa Plauti et Nævi ætate atque Ciceronis in sermone urbano latinam vocem, auctor est Cicero, qui de or. III. § 45: "Equidem cum audio socrum meam Læliam (facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem conservant, quod multorum sermonis expertes ea tenent semper quæ prima didicerunt), sed eam sic audio ut Plautum mihi et Nævium videar audire. Sono ipso vocis ita recto et simplici est ut nihil ostentationis aut imitationis afferre videatur; ex quo sic locutum esse ejus patrem judico, sic majores, non aspere, ut ille quem dixi (Qu. Valerius Soranus), non vaste, non rustice, non hiulce, sed *presse* et *æquabiliter* et *leniter*." Est vetus et multorum mentibus insita opinio in *prisca* latinitate acutam vocem, non quantitatem moderatam esse. [1]) Sed de hac re videmur jam ita judicare posse eam opinionem in errore positam esse, qui error jam, postquam facta est major poesis antiquioris scientia et gradus atque ætates prisci sermonis minus in obscuritate versantur, sublatus est. Quod acuto accentu dicunt metiendos esse numeros Saturnios Servius ad Georg. II, 486, Bernhardyus, ceteri, jam demonstravimus non solum ceteros versus iambicos et trochaicos antiquiores sed etiam numeros Saturnios percussiones eas habere quæ quantitatis certis legibus ita gubernentur ut etiam quo ordine syllabæ breves in voces sint colligatæ, non parvi referat. Longas syllabas in thesi ponere senariorum septenariorum octonariorum Saturniorum commune est; et quidem major est ea licentia numeri Saturnii. Verum ne in Saturniis quidem versibus sunt longæ solutarum thesium syllabæ aut breves syllabæ ante longas in arsi ita positæ ut pes pyrrhichio constet pro trochæo. Nam qui ita editi sunt versus aliter legi et possunt et debent. De Nævi loco qui est ap. Charis. I, 73 L, ubi Sp. legit 'ĕxpĕdītionem', et de 'Hercólei' et de

[1]) Ut Bernhardy dicit Histor. Litt. Roman. p. 20: "Die lateinische Sprache begann gleich anderen unter der Herrschaft des Accentes, und wenn schon ihr ursprünglicher Rhythmus, der numerus Saturnius daran hängt, so haben lange nachher die Komiker den Wortaccent als ein Regulativ betrachtet und mit den Hebungen ihrer Versmessung sorgsam in Einklang gesetzt."

'tempestatĕbus' Speng. Scip. el. 32 jam exposuimus. Scip. el. 34 v. 4 Spengel. recitari vult sic: tĭbi utier, sed ille versus sic legendus est Quibus sei in longa licuisĕt tĭbe utier vita (De synizesi cf. v. 3 'mors perfecit tua ut essent omnia brevia'. De- '-ĕt' cf. 'jubĕt vos' Poen. prol. 4; 'fecisse erăt melius' Ad. 180 Christ. mus. Rh. 23, 566; umbr. fuia feia teda habe facia; pariet. Pomp. 'ama', peria' 'valia' 'vota' 1173 Z; valea 1403 Z.). Finales autem eæ syllabæ quæ in posteriore latinitate corripiuntur, in Saturniis carminibus ictu percussæ inveniuntur. Et aliis rebus et fortasse hac re Buchholzius in eam opinionem adductus est ut priscæ latinitatis non modo ultimas sed etiam ceteras syllabas productas esse existimaret [1]), et poetis licere eas ad metri usum vel producere vel corripere. Sed nullæ productæ sunt et in arsi positæ singulæ syllabæ nisi quas principio longas fuisse vel ex historia linguæ vel ex antiquis ipsis monumentis efficitur; sic feminarum vocum 1:mi ordinis ā (Sc. el.: quoiei vitā defecit) et neutr. plur. (omniā brevia), de quo cf. Spengel de Versu Saturn. p. 97, Corssen. de en. [2] II, 448. Et quæ in -om desinebant ante consonam produci poterant etiamsi m non erat scriptum; sic Scip. el. Samnio cepit; quia enim non prorsus evanuerat sonus nasalis, syllabæ illæ, ut ap. Scenicos, ita in Saturniis ambiguæ erant et modo corripiebantur modo producebantur. Eorum autem quæ in o-s u-s desinunt ultimam syllabam in arsi versuum Saturniorum ante consonam esse potuisse nullum certum exemplum inveni. Nam Scipion. el. 1 n. 30 'Quoius forma virtutei | parisuma fuit fortasse legendum est, ut sit prima vox monosyllaba, quod ap. comicos frequentissimum est; cf. hunc senarium I, 1422 Momms. 'quoius fatum acerbum populus indigne tulit'. Nec vero eas ultimas syllabas quas priscæ latinæ usu linguæ productas esse demonstrari non potest, in versibus Saturniis ictu percussas esse ullis certis exemplis comprobatur. Nam versus ille Livi ap. Varronem L. L. VII, 51 sic legi potest et fortasse debet: patrem suum supremum | optumum appellat (non

---

[1]) Buchholz. priscæ latinitatis originum libro III Berol. 1877 p. 311: "linguæ latinæ olim syllabæ æque longæ fuerunt," inquit; "propter accentum vero brevi fiebat aliæ longæ ut essent aliæ ut corriperentur. Cum igitur propter accentum et propter numeros audebant ultimas syllabas quæ fere producerentur corripere ipsum linguæ indolem sequebantur; vel ut apertius dicam quod unusquisque in cotidiano sermone aliquando faciebat id facere audebant. — — Ultimas vero vocabulorum syllabas etiam tum varias fuisse et tamquam ceræ calidæ massas fictas esse cum discamus ex inscriptionibus et apud grammaticos, non mirabimur ea re usos esse poetas cum græcorum versuum volubilitatem æmularentur, id denique agerent ut quam plurimas breves syllabas aucuparentur." Sed quid Buchholtzium commemoro? Longum sane est commenticia omnia quæ ille de prosodia latina effutit commemorare.

optumum appellat); et Nævi ap. Macrob. s. VI, 5, p. 181 Bip.: Deinde pollens sagittis | inclutus arquĭtĕnens (non inclutus arqu.) et illum in Scip. elog. Momms. vere sic. ed.: quei apice insigne Dialis | Flaminis gesistei (non ut Speng. insignĕ) cf. n. 1016 bene rem geras et vălĕas. Ne hos quidem versus qui sunt Nævii 34tus V. l. — ubi Christius Metr. p. 399 pro altero trochæo iambum posuit: "scopás atquĕ vērbenas" — et Livii 6tus — ubi post anacrusin pyrrhichium primum pedem fecit: "tuquĕ mĭhī narrato" — illa ratione recitari necesse est. Probabile est enim eos sic esse recitatos: et illum 'scópas ătquĕ verbénas | ságminā sumpserunt'; (De ătque cf. C. W. T. Mueller. Prosod. Plautin. p. 292, et Lucil. 29,70 M. mihei opem ătque), et hunc, si modo sanus est: 'tuquĕ mĭhĭ narrato | omniā disertim'. Cum 'mĭhĭ' cf. tĭbĕ C. I. L. I, 38 M. 'tĭbeĭ' C. I. L. I, n. 512 M. 'Tuquĕ mĭhĭ' congruunt cum legitima formula ea solutæ arsis ◡, ◡ ◡ de qua disseruit Ritschelius Proleg. ad Trin. p. CCXXV. Quod attinet ad narráto, de thesis ultimæ syncopa priori in hemistichio facta jam disseruimus; et potuisse interdum esse ejusmodi syncopam etiam prioris hemistichii, video Christium p. 400 mecum consentire, quamquam nullum ejus rei exemplum attulit.

Cetera Romanorum metrorum genera longis syllabis in arsi ponendis cum priscis illis et genuinis numeris plane congruunt. Quæ res magis est in promptu quam ut opus sit eam exemplis illustrari.

Item cum binæ breves ictu percussæ sunt, — quod et fieri licebat in metris iambico, trochaico, hipponacteo, anapæstico, pæonicis (cretico, bacchiaco) ionicis (a minore sotadeo galliambico); et interdum fiebat in hexametris populariter clusis; et quibus pedibus cujusque metri ea licentia sit, vel quid pertineat ad numerorum varietatem, metrici (inter quos nomino Hermannum Muellerum Christium) docent; — denique semper, si ab licentia illa ultimam et pænultimam correptas percutiendi in anapæstis frequentissima, in ceteris metris rariori discesseris, legibus jam a me expositis ea brevium syllabarum in arsi collocatio definitur. Ut iu metro sotadeo: hĭlărŭla Læv. ap. Char. p. 288 K. Spătălŏcinædi pĕdĕ fĕmori Petron. c. 23. In ionicis a minore perdĭdĭcī Plaut. Pseud. 1275 (Horatius autem C. III, 12 et Varro fr. 579 B arsim ionicam non dissoluerunt. [1]) In galliambico: hĕdĕrĭgĕræ Catull. 63, 23 mŭlĭer ib. v. 63 lătĭbŭlā tўpăno Mecænas ap. Ps. Atil. p. 262 et Varro fr. 132 prŏpĕrans fr. 79 B Cўbĕle Mæc.

[1]) Metri ionici liberioris major licentia est in *minore* vel *secundaria* arsi breves syllabas ponendi, ut vīvĕrĕ pŭĕræ Varr. Devicti p. 168 B, flexĭbĭle căpŭt Mæcenas ap. Ps. Atil. p. 262.

l. c. — In pæonicis metris ădŭlescentum Pl. Asin. 133, cĕcīdēre Pseud. 1248 rétĭnendo Capt. 502 exŏlŭere Bacchid. 1135 mĭsĕrum Amph. 159 discrŭcĭor Ter. Ad. 610 U ăpĕres Varro περὶ ἐξαγωγῆς fr. 405 B plătănus id. fr. 390 B. — In Hipponacteo: mŭlĭĕrarios Catull. 25, 5 cătăgrăphosque Catull. 31, 10 cŭcŭmeresque Priapeor. 51, 20 hĭĕmes Priap. 63, 4, bicĭpĭti Pers. prol. 2 dŏcŭĭt ib. 9 grăbătus Mart. XII, 32, 11 sŭbĕrat ib.

De iambicis et trochaicis metris exemplorum uberrimam copiam afferre licet. Pauca eorum de Plauti et Phædri libris sumpta supra attulimus. Verum enim vero non modo in versibus italicis scenicorum Lucilii Varronianorum fagmentorum (ut: postremo nemo ægrotus quicquam somniat tam infandum quod non ălĭquis dicat phĭlŏsŏphus Varr. fr. 122 B, — non hos Pactolus aureas undas agens erĭpŭit umquam e mĭsĕrĭis Varr. fr. 234 B — neque furentem ecŭlĕum Dămăcrinum) Phædri hujuscemodi exempla inveniuntur, sed etiam illi qui ad restrictiorem normam facti sunt, præter eos quorum arses non omnino sunt dissolutæ (in quorum numero sunt Catulli C. IV et XXIX et Tibulli Priap. LXXXIII et Vergilii Catal. III et IV et Hor. Ep. IV, VI, VIII, IX, XI, XIV, XV, XVI et Priapeum quoddam incerti auctoris) omnes hac re illis magis minusve congruunt. Varro περὶ μέθης fr. III B hoc hĭlărĭtātis dulce seminarium. Vergilii Catalecta Epoda quinta in Lucium quæ sub Vergilii nomine fertur v. 35 gĕnŭīnī; Seneca Med. sĕquĕrētur 438, scĕlĕrĭbus 499, perĭmĕre 390 'constĭtŭĭt ănĭmus prĕcĭbŭs īrātam aggredi' in ead. fab., rĕmĕdĭă tŏtĭēs 433 ŏcŭlōs 318 cĕlĕrem 380, similiter magnus numerus arsium eadem ratione dissolutarum qua ap. Græcos tragicos dissolvebantur. Ap. Petronium c. 89 in narratione, ubi tragicam artem imitatus est, v. 34 ăbĭĕtĕ, 37 lătĕrĭbus v. 56 Prĭămĭdes v. 55 rădĭanti. Ausonius Epigr. CXL 5 Bip. mĭsĕrĕāre v. 1 hŏmĭne, v. 3 gĕnĕra (Sed Ausonii non certa fides est ad veros classicæ latinitatis accentus cognoscendos, nam omnino pendet de prioribus. Eam ob causam Sidonium Apollinarem, qui fere sæculo post Ausonium fuit, prætereo). Apud Horatium autem et apud Martialem et in Pervigilio Veneris minor est syllabarum brevium et in arsi positarum varietas. Cf. Hor. Ep. 5, 14 Cănĭdĭa mĭsĕro ŭmĕros Ep. 17 lĕpŏrem mŭlĭĕr lăpăthī ĕpŭlas ŭbī Ep. 2 habeat Mart. VIII, 9, Cyprĭdem Vĕnĕrem Perv. Ven. 28 B (76).

In anapæstis majore licentia usi sunt poetæ Romani, qui hac quoque re exemplaria Græcorum imitabantur. Nam etiam pænultimam correptam polysyllabarum vocum sæpissime ictu percutiebant, quod in senariis iambicis raro neque

nisi in principio versus factum est, et ultimam correptam, etiamsi producebatur proxima "thesis," quod in iambico et trochaico metro vitium est. Cf. Varr. fr. fr. 123 B tertia Poenarum Infamia stans nixa in vulgi pectŏrĕ flutante Intonsa coma sordĭdă vestitu orĕ sĕvērō. Sen. Med. 340 Imprŏbă poenas per tam longos Ductă tĭmōrēs. Neque vero alterius et communis generis desunt exempla: Quæque Erăsĭni gelidos fontes Sen. Ag. 316 quæ regit Octav. 768 exĭtĭum Enn. Hec. fr. velĭvŏlantibus ib. părăsĭtus Pl. Most. 889 ultĕrĭorem Pl. Bacch. 1150 Fleck. partĭcĭpant Plaut. Stich. 32, ăvĭde Varr. fr. 361, quæ sunt rara apud Senecam et in illius ætatis fabulis, in priscis carminibus frequentiora.

Hexametrorum autem dactylicorum sive versuum heroicorum, qui quidem ad accuratam et græcam normam redacti sint, arses non solvi pervulgatum est. At sunt remissiores et non tam ad artem quam ad usum sermonis conformatæ, ubi arses interdum sint solutæ; idque eadem ratione qua in metris iambicis trochaicis pæonicis ionicis. Nam Sortes Latinæ v. 14 (Ritschel. iu Mus. Rhenan. XIV, 412, cf. p. 408): postquam cĕcĭdĕrunt spes omnes, consulĭs tun me?; v. 4 consĭlĭum, v. 10 mĕtŭĭt, sătĭust, v. 12 căvĕas (Aetatem eorum versuum priore parte septimi sæculi definit Ritschelius p. 416). De Ennianis autem nonnullis controversia est editorum.

Atque de thesi et de arsi poetarum hactenus. Videamus nunc verene multi existiment, correptiones et contractiones quas voces apud poetas nonnumquam passæ sunt, ad acutam vocem referendas esse. De hac igitur re Bernhardyus Histor. Litt. Latin. p. 22. "Die Forschung über das accentirende alte Latein zieht ihren Stoff besonders aus dem Kreise der scenischen Poesie — — erst jetzt hat man durch einen Verein epigraphischer und prosodischer Studien erkannt dass der Ausgangspunkt der komischen Licenz, die mehr in freieren Metris als im iambischen Senar und trochaischen Septenar herrscht, sehr positiver Art war, näml. die nachlässige schwankende Sprechung des gemeinen Lebens. Diese verkürzte besonders im Auslaut die langen, verlängerte die kurzen Vokale, sie war geneigt den konsonantischen Auslaut zu verdunkeln oder auszustossen, die Position aufzuheben und mit Ekthlipsis oder in abgeschwächten Lauten den schweren Sprachkörper des Lateins zu verflüchtigen."

Et Langenus l. c. p. 101 postquam de correptis et decurtatis vocibus in eandem sententiam disseruit, hoc addidit: "Die kraft des accentes ist die treibfeder dieser zahlreichen und weitgreifenden änderungen gewesen, darüber herrscht einstimmigkeit. Aber es ist von vornherein unwahrscheinlich dass die kraft des

wesentlich musikalischen accentes dazu hingereicht habe." Dicit vero in eadem pagina et q. sq. syllabam quæ acuta voce efferretur, etiam eam exspirandi habuisse vim, qua omnes vocum corruptiones efficerentur. Hic igitur de correptis et curtatis vocibus commemoravit, Benhardyus productionem syllabarum adjecit, eamque etiam finalium syllabarum, quæ acuto accentu, quem quidem ipse intellegat, effecta esse non possit. Et quidem his rebus valde hæsitant grammatici et tam infinite quædam ponunt, ut, quamvis multa vera sint, tamen nescio an futurum sit ut nonnulla, si quis in hanc rem accuratius inquisiverit, falsa aut incerta esse reperiantur. Primum videamus de productis syllabis. Finales autem syllabas ab hac quæstione de productis syllabis omnino sejungendas esse apparet. Nulla est enim in priscis latinorum monumentis finalis syllaba producta quæ principio longa non fuerit. Cf. Corss. [2] II: 439 et q. sq., et quæ de finalibus Saturniorum syllabis disputavimus p. 66 et q. sq. Quæ autem in diæresi octonariorum aut in intercapedine diverbii aut in principali cæsura metrorum lyricorum et versuum heroicorum sunt syllabarum finalium productiones, eas ad metri rationem aut ad collocationem verborum, non ad ipsorum verborum vulgari sermoni intentas pressiones referri manifestum est. Siquis autem vel medias vel primas usitata et communi quadam vulgaris sermonis licentia ea ætate cujus sint nobis superstites litteræ breves syllabas productas esse ex verbis illis Bernhardyi conjecturam faciat graviter erret. Neque enim ex eo genere est quod nonnumquam accidit ut longæ syllabæ, si fuerat consona producta, vocalem ita producerent ut consonam imminuerent, sic: *frons: fros* Varronis Saturarum fragment. 39 Buecheleri ed. *frūs* apud Ennium, item *obtusus: obtūsus; exossa* Pl. Fleck. = *exōsus; comminus: cominus* (hæc forma suspecta est Fleckeiseno in 50 præc. orth. p. 13) *rursus russus: rūsus; sursum sussum: sūsum: prorsus prossus: prōsa; *excudtus *excudsus excussus: excūsus; reddere: rēdere* Lucil. 29, 93; *reddidi: rēdidei* inscr. r. M. Neap.; **dividtio divissio: divīsio; essum* Plaut. Fleckeis.: *ēsum; fressum: frēsum; pinna: pīna* (genus cochlearum Cic. Pn.) *rellatum* lex Thoria: *rēlatum* Lucret. II, 1001 in membranis scriptum, Lachm. p. 303 auctor est; *redducit* et *rēducit* Munro ad Lucret. 1, 128. Item **relluo: rēluat*, Cæcil. ap. Fest. 281 'ut aurūm et vestem et q. sqq. fortasse legendum est: 'ut aurum et vestem quod matris fūit rēluat Quod viva ipsi opposivit — — pignori'; **reppugno: rēpugnasses*, in tetrametro trochaico ap. Cic. pro Sestio § 45 Halm: 'restitisses rēpugnasses, mortem pugnans oppetisses'. Et nescio an producta et intermedia forma 'rē', quæ, elisa ultima et principali, cum consimilis proximæ facta esset, littera, exorta erat, in aliis etiam compositi scorrepta sit, ut hic fuerit transitus: *red: re-* + consona x: *rē: rĕ-*. Cf. *ab: ā* āmo-

veo cett., osc. 'aamanaffed'. Similis suspicari licet præpositionis quæ est ob mutandæ fuisse gradus: *ob* l. *op.* *o* + cons. x-: (ō-?): ŏ- Cf. **obmantans om-mentans* Liv. Andron. (= obmanens Fest. p. 190): *ōmentat* Placidi glossa Mai III, 492 (*ommentat* Deuerling p. 73) Umbrice: *ooserclom* tab. VI a 12 = obser-vaculum (quod aliter quasi *auserclom*, i. e. avium servaculum, interpretatur Pan-zerbieter in Ann. Kuhn. I, 284). Simili ratione 'ad' mutata est in junctis oscorum formis: *az-ser-um: ā-ser-um* (observare). Etsi postquam dictum est in nonnullis verbis rē-, nulla est causa quin etiam ad alia verba per analogiam sit translatum. Ita apparet formas illas quæ sunt 'relliquiæ' inscr. ap. Fabrett. p. 1536 et ap. Verg.; 'rellatum' leg. Thor. Lucret. cett, 'rellicuus' Lucret. 'red-ducere' Gai. institut. p. XXXVII Livius integriores esse quam 'relīquiæ' 'relīgio' 'rēduco.' Non igitur est verisimile brevem primam syllabam 'rĕ-' geminata con-cona esse productam. In eadem causa sunt perfecta: 'repperi rettuli reppuli'; nullum est enim exemplum ex quo colligas perfecta quorum est correpta pænultima in compositis geminationis syllabam retinuisse. Quod dicit Corssenus in 'reccidi' 'reccidisse' alterum c proprium esse reduplicationis et 'reccidisse' dictum esse pro '*rececidisse', minus probabile est. Nam etiam in præsenti poni apud Ovidium Propertium Juvenalem 'reccido' auctor est Munro ad Lucret. 1, 228 p. 347.

Aut rursus e contrario, si vocalis producta erat, ita concona produci potuit ut brevior fieret vocalis: *īlico: illico* (pro ēloco, non pro inloco, cf. extempulo) *cū-leus culleus* in inscr. Fabretti 936; *pānus* Gell. 13, 26, 4 Char. 81 Non. 149 (117) Lucil. IX fr. 17 M (cf. græc. πᾶνος πῆνος): *pannus; flōces* Cæcilius ap. Non. 114, 17 (floccer Ribb. com. rel p. 67): *flocces* Gell. XI, 17, 6; *mūcus muccus, sūcus succus, bāca bacca, būcina buccina; formōsus formōssus; brachium brac-chium* Wagner orthogr. Verg. p. 419; *querēla: querella; mustēla: mustella: Lū-pii: Luppii; aula *ola: olla* (aliter Corssen. 1, 349); *cucūlus cucullus* Plaut.; *stūpa* (cf. stīpare stip -es): *stuppa; cratēra* Enn. *creterra* Næv. Tuchh. p. 40. In utroque autem eo genere syllabæ quantitas non mutata est. V. infr. p. 129 et sqq.

Sequitur ut de brevibus primæ aut mediæ vocis syllabis disputemus. Pri-mum consona geminata interdum productæ sunt breves syllabæ μαρσίπιον μαρ-σύπιον μαρσίππιον *marsŭpium marsuppium marsippium* Fleckeis. ep. critic, ad Ritshel. p. XL **petŏritum* (cf. πίσυρες catŭr) *petorritum; tolo, tulo* prisc. lat. (si modo breve illud erat): *tollo;* fortasse *cătus* ett *catta* stirpe conjuncta sunt. *Cătīlus* Hor. *Catillus* Verg. Sed fortasse antpænultimæ "exspiratorio" accentu pænul-tima est correpta sic: *Catillus Catīlus*, et eodem modo *tintinnus: tintīnus tintīno*, Item *Porsinna Porsēna* (cujus rei plura exempla p. 84 post afferemus). De 'vă-

cillare' et 'vaccillare' Lucret. III, 504 statuit Lachmannus 'vacillare' principalem esse formam. Præter hæc nonnulla post afferentur p. 133. Denique hujas rei exempla, quæ quidem et certa et vere latina sint, vel vetustissimæ ætatis sunt vel paucissima. Deinde vocali productæ hujus generis syllabæ quarum principales et breves formæ in litteris latinis inveniantur paucissimæ sunt. *Atāt: ătāt* et *ātăt* (etiam attat) fortasse *līquor* (cf. liīquare līquidus): *līquor* Lucret. de qua forma Corss. 1, 503: "die Messung līquor ist wohl eine Freiheit, die sich Lucrez einmal mit Rücksicht auf liquitur nimmt (1, 453: līquor aquai), während er sonst stets līquor misst." Plēctere' πλέκειν et plectere punire (cf. πληγή plaga πλήττειν) huc referri non possunt, quoniam et significatione et origine diversa sunt; idemque dicendum est de 'plăga' et plāga'. 'Tūber' 'tūber' et 'ăcer' 'ācer' genere et positione ab initio sejuncta sunt; 'sīnus' significatione magis differt a 'sĭnu' quam ut producta ejus forma dici possit. Eorum autem quæ sunt 'lūstrum' et 'lūstrum' sua utriusque est positio, neque alterum ex altero aptum est. Nam *lŭstrum*, quod est lacuna cænosa, a lu i. e. colluendo, *lūstrum*, quod est lustratio, a luendo h. e. lustrando dictum est. De illis autem quæ sunt *rŭ-tus* partic. verbi ruendi et *rūta* herba quod est ap. Perottium in Cornucop. Bacil. 1521 non satis probabile est; qui p. 868 sic disputat: "sunt etiam qui *rūtam* a ruendo i. e. eruendo dictam existiment; quod una ex omnibus herbis propter multifarium ejus usum maxime eruatur." Græcum est illud nomen ῥυτή, de quo Tuchhaendler de vocabulis græcis in latinum translatis Berol. 1876 p. 56. Quod autem attinet ad hæc: *glōmus* Lucret.: *glŏmus* Hor., *strīgibus:* Plaut.: *strĭgibus* Ovid., *cūculus* Plaut.: *cŭculus* Hor., jam exposuerunt Lachmannus et Corssenus productam formam esse principalem; in eadem causa sunt *lōcusta Lōcusta* et *lŏcusta* Juvenc. in Matth. 3, 1, 339 et ea quæ afferam p. 158. Nonnulla alia commemoravi p. 7 et 8. Eorum omnium origines a prisca vetustate repetendæ sunt. Illo loco etiam rūdis: crūdus commemoravi, quæ cur positione conjuncta esse dixerim paucis fortasse nunc explicandum est. De ejus q. e. **crŭdis rŭdis* adj. c ante r deposita cf. germ. grā Corss. I, 360 not. lat. ravus; græc. γρυμέα ἀγγεῖον, *crūmena* sacculus argenti collo suspensus: *rūmen* "eminens gutturis pars" Serv. ad Aen. 6, 54, gurges, fauces; minus probabile est cret-ti-s restis B. Gloss. et Vaniček Griech.-Lat. Wb. 1, 51. De thematis u in i mutato cf. Bücheler, Grundriss d. Lat. declin. p. 1, 12, 18 alibi, Corssen. II, 324; 599; G. Meyer Curt. Stud. V, 43 sqq.; L. Meyer, Vgl. gramm. II, 163; aliam sententiam exposuit Cavallinus de positione nominum latinorum Lundæ 1863 p. 79; post ad hanc quæstionem redibimus. — Sic igitur: *crŭdus, rŭdis* adj. de materia non subacta, cf. rudis indigestaque

moles, inde *crūdus* adj. proprie etiam de materia non subacta, ut crūdum solum Colum. 2, 2, 25; crudum corium Varro L. L. V, 24, 33, item non maturus, non coctus. [Nisi fortasse crūdus: *crŭdus, cf. p. 158]. Græca latine producta sunt: *Κολεός* cōleus, *πρόλογος* prōlogus, *πολύπους* pōlypus *τόφος*: tōfus (cf. p. 52 item illud quod celticum esse dicunt 'vertrăgus' Mart. XIV, 200: vertrāham Gr. Fal. 203, sed peregrinas voces appellandi major est licentia (cf. p. 40 not. 1).

Nomina propria: Ĭtalus: Ītalus et hæc a Lachmanno ad Lucret. I, 360 allata: Māmurra Mămurra, Lūceres Lŭceres, Mamūrius Mamŭrius, Vatīcanus Vatĭcanus, Pālatium Pălatium. — Mamūrius antiquius est Mamŭrio, Pālatium antiquius esse quam Pălatium apparet si conferas priscum illud Pālatualis (flamen) Enn. 123 Vahl. Fest. 245 dictum a Pălatua dea Varr. VII, 45, 'Palatuar' sacrificium Festus. 348; de ceteris non potest facile constitui utra forma fuerit principalis. Videmus igitur non multa esse vocabula latina, quorum quantitatem auctam esse non modo conjiciendo et comparando colligere, sed etiam exemplis ipsorum vocabulorum de litterarum et monumentorum copia sumptis ostendere liceat. Atque etiam in græca lingua ejusmodi exempla sunt, ut *κόρος κῶρος* ion. *κοῦρος*, *ῥέζω: ῥήζω*; *ἕζομαι ῑζομαι*, *ἴομεν ῑομεν*, *κόλον: κῶλον*, *δοτήρ δωτήρ* (nisi a sua utrumque stirpe ductum est). Non igitur ad producendas brevium syllabarum vocalis plus valuit ætate litteris et monumentis cognita latinus accentus quam græcus.

Ut in ceteris indoeuropæis linguis, ita in latina lingua voces ab eadem radice ductæ, cum vocalis radicis modo intenta sit, modo non mutata, magnam præ se ferunt quantitatis varietatem et inconstantiam. Nam a verbalibus stirpibus nomina profecta sunt tum intenta vocali, ut *păgo* Quintilianus Inst. 1, 6, 11: *pāg-us; pacit* XII tabb.: *pāx pācis, tĕgo: tēgula, sĕco: sīca, jug-* (cf. jŭgum): *jūgis* proprie conjunctus, continuus i. e. perennis; *rĕgo: rēx, rēgis*, (cf. rāǵan), *rēgula, lŭbet: lībet*, quibusc. cf. scr. vas-tē: vāsas, vak (vacmi) voco: vāk vox vŏcis, gr. *ἀγαγεῖν: ἀγωγή; ἐρέσσειν: εἰρεσίη*, cett. — tum nomina verbalia ejusdem radicis partim intenta sunt, partim non intenta, ut *sĕdeo: sēdes* et *sĕdile, lĕgo: lēx lēgis* et *lĕgio;* — tum denique nomina verbalia sine vocalis intentione facta sunt: *luo lŭstrum, gĕno—gĕnus, ăp-iscor—ap-tu-s ; ŏpus* cf. scr. *ǵan —ǵana* (vir) gr. *γεν γένος*, scr. *ap- apas.* Deinde a nominibus verba vel intenta vocali vel nulla intentione: *vădum*: *vādere*, dux *dŭcis: douco dūco sŏpor: sōpio* scr. svap: svāpayāti; *sēdes: *sēdere, sĕdēre* aliter gr. *ἕδος ῑζω*, **fătis: făteri, plĭca: plĭcare, sānus: sānare, pŭter: pŭtresco; pūtis: pūteo* Corss. I, 371; *sollus* (de quo p. 30): *sōlari.* Atque a nominibus nomina aucta vocali ducta sunt, sed pauca

et incerta sunt: ?*pŭmilus* adj. (sic. Statius): *pūmilo pūmilio* subst.; fortasse Statius primus vocem illam corripuit; ?pes *pĕdis: pēdis* (pediculus proprie dictus quasi pĕdes -ītis?) *pŏpulus* subst.: *pōplicus puplicus* adj., cf. *ἄνεμος: ἠνεμόεις* sed fortasse proprie dictus etiam *pōpulus; *fīdus* adj.: *foedus* subst.; *rūdus* massa æris, glarea, fragmen lapidis: *raudus rodus* massa, **scăpus* cf. scăpula: *scāpus?*, **nŭcus* (cf. nŭculeus, nūcus: nŭcŭleus = ĕcus: ĕcŭleus), et **nŭca nux nŭcis: *nūcus naucus nauci*, et **nūca nūgæ naugæ nogæ, nūgari naugārí* (Ritschel. antem hunc ordinem statuit, Opuscul. II, 423: 'naucus naugœ nogæ nugæ', sed et generis diversitas obstat quominus statuamus nugæ nihil fuisse nisi mutatam formam ejus q. e. nauci, et quoniam ū intermedium fuit in ceteris illius generis vocabulis inter ŭ et au, consentaneum est, si qua forma et exstat quæ ū habeat neque effici potest ut sit ætate posterior quam illa in qua inest au, eam in intermedium locum inter illam quæ ŭ et illam quæ au habeat, duci); ?**mărus mĕrus* Corss. 1, 404 neutr. a splendore vel pellucenti natura dictum: n. pr. *Maarcus Marcus* (Corss.)? *sător: Sāturnus* Corss. I. 417; *săpa* mustum conditum: *sāpo* unguentum capillarum; *hĕrus: hēres* -ēdis Festus p. 99 "heres apud antiquos pro domino ponebatur; **nĕba* ct. *nĕbula* et gr. *νεφέλη: nūbes;* fortasse fuit quondam *cărus* activa significatione (qui desiderat), unde cărēre cf. vet. germ. skart mancus: *cārus* autem passiva significatione ponitur (qui desideratur). Fortasse *tŏtus: tōtus*; sed etiam conjecteris ex principali forma: *tāvanto, cf. scr. tāvant (ati) contracta esse varie: *tantus* et *totus*. Quomodo igitur hac re diversas pagina 8 dixerim italicas linguas et græcam sanscritæ esse, jam, credo, apparet. Et profecto magnum est discrimen. Nam in græca et italicis linguis hæc res et vetustate fere obscurata est et paucis exemplis propagata, in sanscrita nomina plurium valuit ea analogia.

Tum illa quæ a verbis verba transitiva ducta sunt intenta vocali analogiam denominativorum verborum sequuntur: *sĕdēre sēdare, plăcēre: plācare.* Cf. *păc-it păciscor: pāc pācis pācare.* Sed inveniuntur etiam derivata et origine secundaria verba correpta radice, cum ea quæ videantur esse primitiva producantur: *dīcere: dĭcare, lābi: lăbāre.* Hujus rei duæ caussæ videntur fuisse. Nam sæpe factum est ut cum antiquitus fuissent plures stirpis verbales et sua quæque peculiari et magis circumscripta significatione usurparetur et verbalem vim omnes retinerent. Ut 1) dak doc *διδάσκω* doceo 2) dĭc derigere assignare *ἔ-δεκ-ον δίσκο-ς δίκ-η* Van. Et. W. I. 325 dĭc-io (potestas alicui assignata) *dĭc-are dedĭc-are* (judicare autem a judice dictum, prædicare a *prædicu-s, cf. veri-dĭcu-s, fati-dĭc-us, huc referri non debent) 3) deic, dīc proprie monstrare: *δείκνυμι deico dīco.* Aliter Corssenus I. 413: "de-di-care a dandi verbo". Dicare autem et de-dic-are necesse non est

pro derivatis haberi; nam probabile est derivatorum verborum declinationem per analogiam ad eas translatam esse; ut lavĕre lavare fervĕre fervēre sonĕre sonāre fulgére fulgēre monĕre monēre, de quibus Nonius Marcellus in capite X compendiosæ doctrinæ. Aut etiam cum fuissent plures ex eadem radice ortæ verbales stirpes, alicujus propria verbalis vis obsolevit, et sola ejus nomina derivata cum suis derivatis, si qua erant, propagata sunt. Ut *φĭϑ* et *φῑϑ* olim fuerunt græcæ et latinæ (et germanicarum linguarum, cf. nostrum bīda gotrh. beidan et bĭdans) communia; in græca lingua utrumque verbalem vim retinuit: *πείϑω* et *ἔ-πιϑ-ον πε-πίϑ-ω πε-πιϑ-ών*, latine producta sola forma verbali et nominali significatione ponitur: fīd-o fīdus fīducia, altera tantummodo nominali: fĭdes fĭdēlis. (Simile est quod ex his pronominalibus stirpibus quæ sunt ĭ et ī altera sola adverbii vi progata est ĭ: ĭta: īdem (post in neutro ĭdem Buecheler) ei-ei, scr. i-tas: ē-ta-t). Atque etiam factum est ut non modo verbalis alterius stirpis sed etiam nominalis significatio obsolesceret, et correpta forma denominativo verbo secundaria et longius deflexa vi prædito propagaretur. Ut ex his græcæ et latinæ linguæ communibus *φα* et *φᾱ*, gr. *φημί φήμη: φαμέν φάτις*, in latina lingua producta stirps et nominis et verbi vi et propria significatione usurpatur: fāma fātum fāri, brevis autem in denominativa et secundaria significatione ponitur: (*fătis) făteri. Num in eadem causa sint *lābi* et *lăbāre* decernere nequeo. Nam lăbare vere denominativum sit an ad derivatorum verborum declinationem translatum ambiguum est. Quod cum est in italicis dialectis inventum est nomen primitivum verbi denominativi, certior res est. Ut quia osce dicitur 'ligud ligis' = lege legibus, i. e. id quo aliquis devinctus est, efficitur etiam latine dictum esse *'ligum' i. e. vinculum, unde 'ligare'. Cur nonnullorum verborum ab eadem radice profectorum ea sit varietas ut productæ formæ propria significatione ponantur, correptæ autem secundaria et denominativa vi usurpentur, etiam illa causa est quod, cum productio stirpium latinarum latius pateat et ultra proprios terminos disseminata sit, præ græca varietate simplex et tanquam uniformis est latinarum stirpium conformatio. Temporalium stirpium nullum nisi perfecti et imperfecti, de quo commemoravit Varro, discrimen est. Aoristus omnesque secundorum quæ dicuntur temporum formæ ab usu Latinorum intermissæ sunt. Futurum est forma modalis præsentis temporis, aut junctione secundaria et latinitatis propria novatum. Etiam productio perfecti ad media themata multorum præsentium, quæ primo longa non fuerant, producenda videtur pertinuisse. Ita factum est ut multorum verborum, et quidem non modo eorum quæ ad verba pura græcæ linguæ respondent, sed etiam aliorum, eadem mediæ

stirpis quantitas in tota conjugatione esset. Si stirps præsentis longa est, eadem manet, si positio perfecti fit per '-i', quamquam in eo genere reduplicata nonnulla excipienda sunt, aut per '-si', atque etiam sæpe si per '-ui', quantitas mediæ vocalis tota conjugatione. Sin corripitur præsens, uniformis est per omnia tempora eorum quorum perfecta in -ui desinunt, et derivativorum, quæ perfecta faciunt in -āvi ēvi -īvi. At in nominibus non mutata est stirpis nominalis nativa quantitas. Quamobrem in latina lingua sæpius quam in græca certo discrimine quantitatis differunt verba a nominibus. Quemadmodum enim latinæ, sic græcæ stirpes nominum quantitate magis uniformis sunt quam sanscritica nomina, at major stirpium verbalium græcarum varietas. Et plurimæ græcæ vocum familiæ ad in genus pertinent ubi nomina media alia corripiuntur alia producuntur, verba autem aliis formis producuntur aliis corripiuntur, et hæc latina: *lĕgo lĕgio: lēgi lēx lēgis*, *rĕgo rĕgio: rēgi rēx rēgis*, *sĕdeo sĕdile: sēdi sēdes*, *ăgo ăgilis: ēgi amb-āges ind-āgo*, *tĕg-o tŭg-urium: tēxi tēgula*. Sed multo plura latina ex hoc genere sunt: *trūdo: trŭdis*, aut ex hoc *sĕco: sīca*, aut etiam ex hoc, cujus nomina et verba quantitate stirpis congruunt: *sŏno sŏnus; lūdo lūdūs*.

Alia est ratio horum: *nāre* quod stirpis vocalem producit, *nătare* quod corripit. Nam in frequentativo illo principalis radicis quæ est 'sna' quantitas manet, nāre totum ad positionem quæ est 'ajāmi' (Curt. de verbo I. 326) accommodatum est. Frequentativa prima syllaba cum participio præterito congruere, inde ab Gellii ætate constat (Cf. Gell. IV. 6); et illud etiam cadit in verbalia quæ in -tor desinunt et in ea quæ in -tu-s et quartæ ordinis sunt. Quæ autem in -tio desinunt et a primæ conjugationis verbis derivata sunt, ex præsentis stirpe apta esse vere dixit Laurentius Valla in Elegantiarum libro I. cap. 4 (Mogunt. 1520). "Nomina quæ veniunt a verbis primæ conjugationis positionem supini habentibus in -ĭtum et in -ctum, præter ceterorum verborum legem exeunt in -ātio, in -ĭtio, vel in -ctio, ut a veto est vetatio, a præsto est præstatio. Cubo cubatio. Domo domatio. Sono sonatio crepo crepatio tono tonatio, licet dicamus sonitus crepitus tonitus, non sonatus crepatus strepatus. Frico fricatio non frictio, et ita in ceteris. *Sectio* tamen crebrius reponitur quam *secatio*". Hæc variantia eo continetur quod thema in ā vocalem exiens præsentis in aliis ad participium deductum est, in aliis non item (de qua re disputavi comm. de discret. I. p. 27); ita varia stirpe dicta sunt jutus et juvaturus necatum e-nec-tus. Eadem varietate est perfecti positio: son-ui et re-sona-vi. Participii autem antiquior forma radici adiciebat figuram (l. c. ibid.). Sic igitur nāre *nătus activa significatione, inde nătare. Aliter de *nōvi nōtus* et *nŏta* videtur esse judicandum.

Cum enim ea quorum vocalis metathesi post consonam ponitur, vocalem sæpissime producant, tum hujus antiquior forma fuit gnōtus, cf. ignōtus, scr. ǵn'ā-tí-s gr. γνω-τό-ς, correptione facta est hæc forma: *(g)nŏ-tu-s nŏta (sc. res?), cf. glōmus glŏmus cett. (p. 158). In aliquot participia perfecti producti analogia videtur valuisse. Ut illēxi Priscianus VIII. 28 H., sic allēcto; ut rēxi rēctor; ut unxi ūnctus Gell. IX. 6 Schmitz. quæstion. orthoep. L. 1877 p. 8 Bouterweg et Tegge in libro q. inscr. "die altsprachliche Orthoepie und die Praxis" Berol. 1878. Quod non modo latinæ dialecti sed etiam ceterarum italicarum est, cf. osc. saahtùm et lat. sānctus umbr. screihto osc. scrīfto lat. scrīptus. Inconstantia autem hujus rei fuit et varietas (Gell. IX. 6), nam a dĭctus dĭctito, ab actus āctito. Sed hæc productio est vocalis in syllaba positione longa, quamobrem ad illam intentionem vocalium, de qua proxime mentionem fecimus, referri vix poterit.

His figuris etiam intenta vocali vocabula posita sunt: -a: stĭp- (cf. stĭp-ula stĭp-ulor) stūp-a; sĕc-o sīc-a. — -o-: (u-s) făg, cf. ἔ-φαγ-ον, fāg-u-s gr. φηγ-ό-ς; păc- păg- pāg-u-s; — -i-: sĕd- sēd-e-s, idh- æd-es; nĕb- nĕb-u-la νεφ-έ-λη nūb-e-s, -i-s — l. — —: frūgv- (cf. frū-or) frūg-is fĕr-o fūr; scr. răsa slav. rosa lat. rōs; — -u: svakv- (Ascolius Kuhn. Ann. XVII 408 cett.) fīcu-s; — ea: ăr- (Corss. de en. I. 413) cf. ad-ŏl-eo: ārea; — -eo: kvas cās-eu-s Asc. K. A. XVI. 209; — -ia: pro-săp-ia Corss. I. 399; cf. nēnia stīria præstīgiæ tībia feriæ; — -io-: lăk, cf. λάχ-νη, līc-ium; ăl āl-ium; scr. çuç dolere, çōka moeror, lat. sauc-iu-s; — -ion-: su-spĭc-ere su-spīc-io su-spīt-io; — -on-: gărv-bărv-, cf. βαρύ-ς grăv-i-s, bār-o; tar ter, cf. τέρ-ην, tīr-o; — -co-: *măr-u-s Maar-cu-s (Corss.); — -ico -ex: skar gr. ἐ-κάρ-ην lat. cŏr-ium cār-ex; — *-onco- *ōco ōci: vŏl-are vēl-ox; — -i-go-n-: rub-er rōb-igo, cal-, cf. cl-am oc-cul-ĕre: cāl-igo; — -culum: sē-ro: sæ-culum Bugge K. A. XX 138 sqq.; — -to- -ta-: spuo spu-tu-s. Hujus positionis productam vocalem retinent multa quæ in -tu-s -tor -tura -trix -tili-s -tela -tio -tu-s desinunt. — -ti: că- cf. că-tu-s (= acutus), *cā-ti-s cō-ti-s cautes; vĭ (viere) vī-ti-s; dă *dā-ti-s dōtis dōs; — -et-: stĭp- stīpes; — -tera -tero: lĭ- (cf. lĭ-no) lītera, kĭ kī (qui-s) kai cē-tero? — -tus n.: lī-tus; — -do: cru (*crūdus) crudus, v. p. 77; — -ed-: hĕr-u-s hēres; — -ēdon-: cup-io: cupēdo; — -ēdia: cupēdia; — -na -no-: păg- pāg-i-na; sator Sāturnus; — -nus n.: mă, cf. mē-t-iri *mā-nus mu-nus (proprie quod dimensum vel distributum est alicui) — -men: flu flūmen; -mina: flē-mina; — ma: spū-spūma; — -ber n.: tŭ-, cf. tumeo, tū-ber; (? — -vi-: kē: ceivis cīvis; gli lēvis, aliter Paulius K. A. XXII 354) — -va: clă gr. κλᾶ-σι Hom.: clā-va; — -vo: rĭ et lĭ, cf. gr. λι-μήν: rī-vu-s; -bi: plĕ, cf. πλέ-ος, plē-be-s; (-ua: dărk, cf.

δέρκ-ο-μαι, lār-ua larva, cf. Stokes K. B. VIII. 310; ante -uo autem ubi brevis stirps intenta esset, nullum exemplum inveni); — -ro -ri -e-ro- -e-ri: ăc- āc-er; smi, cf. scr. smī-ta, mī-ru-s Bopp. Gl. 435 b; jŭg-um jūg-erum; — -ulo -ula -ulum: bŏv- būbulus, sĕd sēdulus, rĕg- rēgula, păg re-pāgulum. — Singularia sunt hæc: -ālis: fĕr-o fēralis, et -īlis: hŭm-us hūm-īlis; cetera quæ -ālis et -īlis terminantur quantitatem stirpis retinent. — Us n.: fīd foedus, svīd, cf. σίδ-ηρο-ς, sīd-us Pott. E. F. I. 127; — -os m.: flā *flov-os flōs Goebel K. A. XI. 57. Ante hæc igitur suffixa nominalia stirps brevis nonnumquam producta est. Verbalium autem stirpium nulla est figura ante quam radicis vocalis interdum non sit producta; sed productæ paucissimæ sunt quarum positivum verbum non obsoleverit. Ne nomina quidem quæ ætate litteris nobis cognita novata esse demonstrari potest, correptam vocalem positivorum verborum quorum sunt propagines mutant neque simplicem ejus in diphthongum. Plurimæ vero figurarum quas supra diximus cum intentione conjunctas esse posse eæ sunt quarum analogiæ vetustate languerint, ut nullæ jam ad earum similitudinem novæ effingerenter [1]). Etiam compositionis duo genera sunt: alterum antiquius, in quo intendi potuerunt vocales, cujus sunt (ăgo) ambāges, (sŏno) persōna Corss. Symb. etym. 47, (*scăl)an-cīle incīle Id. de enunt. I. 522, cf. græc. ἄγω λοχᾱγός ἄνεμος εὐήνεμος ἀν-ήνεμος; alterum, in quo non intentæ sunt. Ad hoc autem pertinent omnia vocabula quæ a scriptoribus latinis composita sunt. Jam igitur illa ætate cujus sunt vetustissima monumenta, præter ea exempla de quibus jam commemoravimus, vocales intendi desitæ sunt: Et plurima intenta vocabula vel ad stirpes referuntur etiam in aliis cognatis linguis intentione divisas, etsi aliter in aliis linguæ ejusdem radicis stirpes sunt usurpatæ — vel inde a vetustissima et plurium linguarum communi ætate ipsa prima positione intrinsecus mutata discreta sunt. Ex hac igitur re vix quicquam invenias ad majorem latini accentus cognitionem. Jam a nobis p. 6 dictum est, quam intentionis vocalium causam fuisse existimaremus. Quod si pondus rei intentione vocis exprimitur, in accentu proxima est causa sive vis intendendi. Duplex est autem vocis intentio vel in altitudinem vel in majorem vim exspirandi, quam spiritus

[1]) De intentis suffixis non disputo. Nam etsi comparandis linguis generales quædam et principales formæ inventæ sunt; tamen in singulis quid de cujusque vocis figura constitui debeat, sæpe ambiguum est. Ut de Attiēdius Atiersis Atīlius Lucīlius Cornēlius et de Ovīdius Vergīlius Valērius utrum brevior forma sit intentione producta, quod satis probabile forsitan videatur, si pallīdus lucīdus pumīlus contuleris, an longa sit prior et correpta, an longa vocalis est ea analogia, quam græci συνεκδρομήν dicunt a stirpis themate ad suffixum translata, non temere quisquam decernet.

intentionem dixi. Atqui ad producendas syllabas nihil pertinet vocis altitudo [1]), in pressione igitur spiritus posita est causa productionis. Ex his igitur quæ et de vocibus apud latinos scriptores productis et de universa vocalium latinarum intentione breviter disputavimus efficitur hac re non comprobari sentiam eorum qui prisci latini sermonis accentui acuto tantam vim attribuunt ut eum maxime unum valere dicant ad voces mutandas. Proximum est ut de correptis vocibus videamus. Atque ut primum de correptis syllabis primæ et mediæ vocis mentionem faciamus, non pauca sunt vocabula quorum principales et productas formas comparando facile conjectamus, in litteris non invenimus: (nūbo) **conūbium conŭbium;* (nubo) **pronūba: pronŭba;* (luceo lūx) **lūcerna: lŭcerna* (fluo); **conflūges* (cf. flūmen et Lucr. flūvidus; fluo: *flūges = fruor: frūges): *conflŭges* Liv. Andronicus ap. Non. p. 62 M; (fīdus) **perfīdus: perfĭdus;* (maledīco) **maledīcus: maledĭcus;* indīco **indīcus: indĭcus index*, -- ab 'indice' denominativum verbum: 'indĭcare'; — **prædīcus*: *prædĭcus* 'prædĭcare' (benedīco) **benedīcus*: *benedĭcus* et ad eorum analogiam 'causidĭcus' 'fatidĭcus'; (plāco) *supplāco* Fest. p. 309 ("sub vos placo in precibus fere cum dicitur, significat vos supplico, ut in legibus transque dato, endoque plorato" cf. p. 190): *supplăco *supplĭco*. Corssenius cum quantum accentus ad voces mutandas pertinuerit non semper intellegit, tum in hujus vocis originatione ob eam rem hæret; nam cognata esse hæc verba vidit, quomodo cognata sint, non vidit. **Supplācus: supplĭcus* -cis *supplex* (*supplacus: supplācare = condus: condere = promus: promere); (sāgus sāgio sāga) **sāgācus: *săgācus* -is *săgāx;* (condīco) **condīcio*: *condĭcio;* (pūsus) **pūsillus*: *pŭsillus;* (ambīre ambītum) **ambītus: ambĭtus;* (bētere) **adbīt-ru-s *arbĭter*, cujus originem Schweizer—Sidler in Diar. Kuhn. III. 324 ab ipsa radice q. e. 'bă' repetit, idque injuria, cum *ba-ito bæto bēto bīto exstet; (spes, cf. spēres spērum spēribus ap. Ennium et Varronem et posteriores Neue Lat. Forenl. I. 394 et Koffmane Lateinische Wortformen p. 187) **prospērus: prospĕrus prosper; procērus: *procĕrus procĕr -es; defrūtum: defrŭtum *currulis: cŭrūlis; cōturnix; cŏturnix*, de quibus cf. ea quæ p. 145 addita sunt. Videmus nihil referre ad has correptiones acuta sit vocalis an gravis. Memorabile est illud quidem in latinitate posteriore et litteris nobis cognita correptiones longarum vocalium in media voce rarissimas esse. Sed nescio an magnæ sit temeritatis hinc conjecturam facere antiquioris

---

[1]) Cf. ea quæ p. 46, 47 dicta sunt et Westphalii l. q. i. "methodische Griech. Grammatik" § 17 et Masingii comment. de accentu sanscritico græco serbico, cett. p. 31 (in Memorabilibus Academiæ Petropolit. 1878).

latinitatis fortiorem fuisse accentum quam posterioris. Namque ut progressum illarum correptionum cogitatione complectamur, multo plurium quam quæ litteris consignata sunt sæculorum spatium repetamus necesse est. Illæ nobis in brevi positæ sunt, at immensi temporis spatio paulatim factæ. Accedit quod sermo postquam litteris confirmatus est, vocum integritas magis servabatur. Quamobrem in hac re non est quod fortiorem fuisse antiquioris latinitatis accentum neges aut affirmes. Finalium autem earum syllabarum quarum natura longa vocalis corripitur difficilior et magis contorta est explicatio. Nam major est hujus rei in prisco sermone inconstantia. Et posterior sermo multas corripuit, quæ apud priores semper aut sæpissime productæ erant; correptas ab illis syllabas producit (cf. Christ., de re Metrica p. 15, et alios). Et quoniam cum multarum tum iambicarum vocum ultimæ syllabæ ab antiquioribus poetis corripiuntur, producuntur a posterioribus, non satis comprobata est Langeni et Christii sententia correptas esse eam ob rem ultimas syllabas, quod, ut processisset tempus ita magis magisque aucta acuti accentus intentio valeret. (Christ. p. 14: "Im Lateinischen hängt die zweifelhafte Quantität einer grossen Anzahl von Vocalen mit dem immer wachsenden Einfluss des Hochtones zusammen".) Altera autem, quæ jam commemorata est, Bernhardyi et aliorum ratio, qui statuunt, correptas esse, idque maxime in prisca latinitate ultimas syllabas, quod illa ætate, et quidem magis tum quam post, vis acutæ vocis in ceteras syllabas dominaretur ("das accentirende alte Latein"), propter hoc suspecta mihi est fide quod etiam posteriore ætate correptas esse multas syllabas, quæ a priscis illis semper aut sæpius productæ essent, demonstraverunt Spengelius Fleckeisenus Corssenus. Ac potius de hac re sic judicandum est, eruditam et litteris conformatam vocem sensim consecutam esse ut quæ in vulgari sermone frequentior esset, sive productio, sive correptio, solenni more confirmaretur. Et ad integritatem vocis servandam cum omnis scriptio tum poetici libri in omnibus linguis valde pertinent. Neque tamen litteræ et eruditio obstitit, quominus ullæ finales syllabæ sensim corriperentur aut inconstantes essent. Cf. Burmann. ad anthol. latinam I. 298. L. Müller de re metr. p. 337 et que s. Schultz de prosodia satirr. Rom. Regimont. 1864 p. 49 Lehrs Ann. Fl. 1864 p. 193 Fritzsche ad Hor. Satir. I. 4. 93 id. ad 2. 3. 88. Hor. C. I. 3. 36 Dillenb. et Ritter. Et in hexametro plebejo posterioris ætatis C. I. L. IV. 1516 et ibid. Zangemeister. De vi corripiendi syllabas quæ non sint acutæ voci contiguæ jam disputavi p. 48 et 52. Atque universa vis illa corripiendi syllabas, sive contiguæ sunt, sive non sunt, pluribus rebus continetur. Nam in usu et retracta-

tione sermonis vis elucet et universi vocabuli in singulas syllabas [1]), et orationis, membris contextæ, accentibusque enuntiationum distinctæ, in singula vocabula. Quæ. vis primum in eas valuit syllabas quibus non sunt subjecta certa casuum numerorum personarum temporum modorum discrimina. In quo genere sunt frustrā frustrǎ contrā contrǎ (de quibus aliter Bergk. explicat in symbolis ad grammat. latinam pert. Halis 1870 p. 81), trigintā trigintǎ millě cett. Pluralis nominativus in -ēs desinens semper producitur, singularis autem nominativi ea terminatio in aliquot vocibus corripitur. Credo, quia nominativi tertiæ declinationis neque una neque propria est -ēs positio. Eandem ob causam -os acc. plur. 2:di ord. numquam corripitur, nominativum autem singularem corripiunt compŏs et impŏs. Sed neque omnia hujus generis vocabula ultimā syllaba corripiuntur et multæ syllabæ quibus discrimina vocum efferuntur, cum primo natura longæ fuissent, post sunt usu attritæ. Nam omnia finalium syllabarum genera correptione tentata sunt, cui in alio genere plures, in alio pauciores restiterunt. Magis vero hæc vis apparet si pondere vocis in sententia carent vocabula: itā: itǎ, quiǎ, *nīsī nĭsĭ, *quāsī quăsĭ, fortassĕ; propĕ, quoquĕ, antĕ ponĕ, pænĕ propĕ nempĕ, quippĕ indĕ Priscian. XV. 9 H. postĕ, mihĭ, tibĭ, ibĭ, ubĭ, necubĭ, sicubi, ubĭnam, ubĭvis, — quæsŏ, credŏ, rogŏ, orŏ sperŏ, censeŏ, putŏ, cedŏ, in parenthesi, Habenicht pros. § 11. — quomodŏ, modō ablat.: modŏ conjunctio, egŏ, nesciō: nesciŏ quis; prisc. lat. indŭ, nē: nĕ. Jam vero illa vocabula, quæ in frequentissimo usu versantur, ad terminationis correptionem magis sunt opportuna. In quo genere sunt benĕ, malĕ, sæpĕ, deindĕ proindĕ subindĕ perindĕ exindĕ Prisc. l. c. impunĕ, temere, necesse, duŏ, volō: volŏ, petō: petŏ, amō: amŏ, sciō: sciŏ; prisc. l. nœnŭ, nimĭs, satis, probĕ, valĕ, vidĕ, manĕ cavĕ (plura in prisca latinitate ex hoc genere fuisse Ritschel. in prol. Trinumm. p. CLXV. cf. domĭ heri eri dari? loqui? pati? (Ritchel. l. c. p. CLXIII). De præcedentis vero syllabæ vi nunc maxime quæritur. Si pænultima igitur producta est, accentus etiam 'exspiratorius' ad ultimam corripiendam valuit (cf. p. 52). Sin vox iambica erat, contentionem quandam inter duas illas syllabas fuisse probabile est (cf. p. 51). Sed utra syllaba in quaque voce præponderaverit, non facile constituitur.

[1]) Cf. Schoell de acc. lat. p. 20; "Mihi autem in his rebus etsi aliquid accentus vim intentionemque valere concedendum est, tamen et simplicissima et certissima longe alia ratio esse videtur; non ex aucta accentus vi, sed inde affectiones illæ linguæ latinæ repetendæ sunt, quod magna pars syllabarum accentu destitutarum iam nihil conferre ad significationem videretur, cum propriam quam olim habuerant vim ac notionem abiecissent."

Ritschelius cum, elisionem fuisse pænultimæ, — quam opinionem Spengelius in libro q. i. 'T. Maccius Plautus' amplexus est — vehementissime ante affirmasset (cf. Ritschel. prol. Trinum. CXLII et all. l.), post, mutata sententia, in Mus. Rhen. XIV. p. 395 contrariam rationem secutus, omnem iambicarum vocum correptionem ex vi acutæ pænultimæ repetivit. Quam sententiam amplexi sunt Brixius proleg.ad Trin. p. 12 et Corssenus in Tom. II:o de en. et C. W. Müller Pros. Plaut. p. 86—229. Christius autem verum vidit, qui, intermediam viam ingressus, modo pænultimam obscuratam esse, modo ultimam correptam, dixit. Ei plurima equidem ita adsentio, ut tamen nonnulla quæ ab eo confusa sint, vel distinguenda esse, vel aliter accipienda esse censeam. Hæc igitur breviter addam. Primum eorum quæ enclitica sunt acutus accentus quoniam nullus est aut valde exilis, tantam vim in ultimam syllabam afferre non potuit, ut eam corriperet. Qamobrem ex accentu aliquo præcedentis aut insequentis vocis correptiones earum vocularum sunt repetendæ. Ex hoc genere sunt præpositiones Donatus p. 391 K. Diomedes p. 433 K. Martianus cap. III. p. 67 Eyssenh. (item Corss. II. 862) 'apŭd Theotimum' Bacch. 306 sinĕ Plaut. Mil. 165 cett. (Censorinus ap. Prisc. 14 p. 52) et aliæ particulæ: ită (et itā Muell. p. 14) modŏ (et modō M. p. 35), alia jam p. 86 nominavimus, et formæ casuales pronominum quæ sunt ille iste ipse (formas autem pronominis quod est 'is' et 'quoius' 'hoius' συνεκφώνησιν pati pervulgatum est) multĭs modĭs omnī modŏ Corss. l. c. 868. — Müller p. 93 non recte -ens corripit finalem syllabam cum legit sic: cluĕns quidam Men. 588. Producatur enim ea finalis syllaba necesse est non modo quia, ut ait Christius, duabus consonis defenditur, quod videtur obstare non posse, quominus syllaba corripiatur, cf. Bugge 'til Plautus' de 'Tidsk. f. Philol. og Pæd.' VI. T. sep. expr. p. 27, sed quia vocabula in -ēns -ēnsus -ēnsis desinentia ē casu recto producere demonstravit Schmitzius in quæst. orthoepicis L. 1877 p. 1—9. Quamobrem Ritschelius recte illo l. synizesin esse (cluens) dixit. Item Pompejus K. 113 posteriorem partem hujus q. e. scrībensque quattuor habere tempora dicit. Terminationes casuum quæ sunt -ās -ā -ōs -ō -ī g. 2 d. et abl. 3 d. -ē abl. 5 decl. -ēs n. a. plur. 3 et 5 decl. et n. s. 5 d., cum a posterioribus producantur et discrimina casuum, si correptæ essent, turbarentur, ne a Plauto quidem corripi potuerunt. Sic igitur legendum est: die Aul. II. 8. 10 dies Men. 157 deo Cist. 3. 2. dŏmō vĭrōs. Facile autem intellegitur vocalem pænultimæ obscuratam esse et pæne delituisse illam quidem, sed non plane depositam esse, nam si plane detracta esset, asperrime consonæ concurrissent, et ii fuissent concursus in prima voce consonantium

(vros dmo) a quibus Romani prorsus abhorrerent. Neque enim b m cum prima consona, quamvis posse ita conjungi putet Christius, magis possunt appellari quam t. Quæ cum ita sint, in ipsa appellatione nulla est causa cur iis vocibus quarum inter syllabas liquida aut semivocalis aut b m interjecta est syncopas, quod vult Christius metr. p. 354, circumscribamus. Ac nescio an præstet Bacch. 84 dătŏ legere quam sine ulla analogia ultimam corripere aut cum Ritschelio lectionem mutare. Item dărī lŏquī Bacch. 1104 păti ib. 1108, non patĭ loquĭ, quod omni caret analogia. At adverbia quæ similem habent positionem fortasse ultimam corripuerunt. Nam in iis terminatio casuali significatione destituta est. Et etiam a posterioribus correpta sunt modŏ et citŏ. Item de verbis statuendum est eas vocales terminationis quæ apud ceteros semper productæ sunt ne a Plauto quidem correptas esse. Quamquam cum n interrogandi particula addita erat, II:dæ personæ terminatio correpta est. Item prima pers. præs. et 2:a imperativi fortasse ultra restrictioris poesis analogias correpta sunt. Ut votŏ Amph. 536 B. Fl. M. volă (an volā?) Pers. 199. Ex his igitur quæ de correptionibus syllabarum disputavimus apparet, neque umquam solam acutam vocem neque nisi in partem iambicarum vocum corripiendi vim attulisse.

Præterea hæc tria ab acuta accentus vi repetunt grammatici plurimi sublatam vim positionis, obscuratas inter consonas vocales, synizesin. Sed positionis vim tollendi nulla nisi ea syllaba, in qua inerat exspirationis vis, habuit, vel ejusdem vel propinquæ vocis. Ejusdem sive acuta, ŏsténderem Ter. Phorm. 793, impéllere Aul. 4. 1. 8 ărgénto Most. 243, sive gravis, ĭmmortális Poen. I. 2. 64 ădfinitátem Aul. 2. 2. 89. Vel vicinæ: ŭt scíam Pers. 178 et sæpe, ŭnde auxĭlium exspéctam, ănte nóctem Att. Trag. p. 128 R. ătque ĕcce ĕcquis érgŏ ĕsse tamĕn c. cons. tamenĕtsi ĕst ĕstis ĕt (ĕt tuis Amph. 1131 ĕtsi ĕx hĕrcle hĭnc (hĭnc rogato Sosiam Amph. 917 (Muell. p. 319) hĭc (et hĭc adverb. apud Plautum nonnumquam certis versuum locis hĭc Muell. p. 403) ĭd cum insequ. consona ĭlle ĭllic ĭllud ĭn (cf. Muell. p. 344) c. ins. cons. ĭnde ĭnquam (M. 353) ĭnter ĭpsa ĭste ĭstic ĭstac ĭstuc. Sed non solum in particulis, verum etiam in aliis vocibus fuit nonnumquam exilis contiguarum consonarum appellatio. Ac nonnumquam factum est ut post vocalem quæ et acuto et exspiratorio accentu proferretur, duæ consonæ positionem non facerent. Ŭxor Amph. 522 (Muell. p. 377) ŭsquam ŭsque ŭmquam ămbo vetŭstus philĭppicos satéllites hŏrtus ĭnterim ĭntro ĭntus [vix ŏbdo Cas. V. 2. 16] ŏmnis [ŏptume?] ŏstium? Hecyr. 521 sagĭtta

cf. Muell. p. 371. Nec vero magis in prosa oratione quam apud Plautum muta cum liquida positionem faciebant; nam semper dicebant Romani cólubra ténebræ Serv. ad Aen. XI. 1163 Diom. 432 K.; ac Diomed. 468 auctor est 'pr' vocis q. e 'reprehensio' vulgari dicendi usu positionem non facere. Idem dicit p. 469 K. ïmpetus anapæstum esse. Denique in remissioribus metris pondere ictus metrici positionem sublatam esse demonstravit Christius M. Ph. 23, 573. Nota commemoro; sed non curo nova exempla congerere, verum quid certis et notis ex exemplis ad accentus 'exspiratorii' cognitionem colligere liceat, quærere. De hac igitur re sic judicandum est, in prisco sermone latino non modo in fine vocabuli delituisse s Cic. Or. 161; t, 'cujus esse nimiam exilitatem' Velius Longus p. 2231; maxime vero m — sed hoc pervagatum est — verum etiam in mediis vocibus ipsum concursum quarundam consonarum fuisse sono tenuem. (Ut in germanicis linguis non modo duo sed etiam sæpe tres contiguæ consonæ exiliores sunt quam ut syllaba producatur). Apparet igitur ad tollendam positionem *ipsam acutam vocem* (högtonen) *nullam vim* habuisse.

Sequitur ut de altero genere mentionem faciamus verborum, in quibus inter consonantes vocalis sonus obscuratus est aut exemptus. Qui utrum prorsus evanidus an valde exilis fuerit sæpe difficile est constituere. Nam nec dubium est quin multæ scriptione expressæ vocales brevissimæ fuerint, vel quæ per anaptyxin additæ sint vel, cum voces celeriter et remisse pronuntiabantur, etiam aliæ; et quidem maxime in comoediis, quarum recitatio proxime a vulgari loquendi consuetudine abest, illi multi sunt *ἄλογοι χρόνοι*; lyrici autem et hexametrorum scriptores ipsas brevissimas et obscuriores vocales magis exprimentes totam moram explere sæpissime volebant [1]); juxta vocalem autem synizesi nonnumquam obscurabant scriptam vocalem, inter consonas rarissime ita scriptione omittebant, ut recitando brevissime proferretur. Nec rursus si consonæ scriptione asperius concucurrerant, numquam factum est ut vocalis intermedia et brevissima loquendo exundiretur. Scriptane vocalis syncopa affecta sit ex metro apparet. Omissa autem scriptione num recitando prolata sit, sic colligitur. Primum si scriptione omissa vocali factus est concursus consonantium ab linguæ latinæ indole et consuetudine alienus [2]), 'Pescnia Maxminus excdere Orcvius debtur',

[1]) Sic Corssenius de hexametris II, 669 et q. sq. Is dissentit a Lorejo, qui de vocalibus 'irrationaliter pronuntiandis apud poetas dactylicos Latinorum disseruit.

[2]) Et nescio an vocales *ἄλογοι*, ut ceterarum linguarum, ita latinæ fuerint quas scriptio numquam exsequeretur, e. g. 'mixtus herctum mulctra' cf. Sievers, qui l. c. p. 122 negat in eadem syllaba duas mutas consona sibi succedere posse, et addit hæc: "Wenn wir trotz-

vocalis sonus brevissimus addi debet, et quidem illo loco ubi ante fuit plena syllaba.

Deinde si alicujus vocis scriptio per syncopen facta singularis est, et plenior forma in usu, contracta illa forma pro eadem voce, in quo brevior vocalis obscurata sit, non exempta, habenda est, e gr. 'puertia captibus striglibus'. Tum si apud eundem scriptorem aut eadem ætate scriptio vocis variat, e. gr. Orcvios C. I. L. I. n. 133 M. Orcevios 134 discrimen non tam appellandi, quam scribendi fuisse putandum est et utrumque = Orcĕvios.

Jam igitur quærimus num in acuta sola voce, quod Corssenus et alii putant, ea syncopa necne posita sit. Si acutus accentus syncopæ causam continuisset, ipse elidi non potuisset (nam illæ voces quæ vicinæ vocis accentu prægravatæ sunt, acuto accentu eo quem vult esse Corssenus carent). Et quidem Corssenus rationi suæ convenienter negat ullas nisi graves vocales delituisse (de enunt.[2] II. p. 660). Atqui constat non modo syllaba quæ gravatur — 'calecata' Festus p. 17 Corssen. II. 539 'calcata', 'aridus' Lucilius 'ardus' idem, 'laridum' Plaut. 'lardum' id. Capt. 907 Fl., audaciter audacter, nomenculator Charis. nomenclator, calidum solidum caldum soldum Lucil. Horat. cett., dextera dextra, horitatur Enn. ep. Diom. I. 382 K. hortatur — sed etiam acutam syllabam syncopa affici: balineum balneum, *avideo audeo, *gavideo (cf. gavisus) gaudeo, dixisti dixti. Item corripitur: perfĭdus: perfīdus; scelĕstus talĕntum fenĕstra (vel potius fenĕstra cf. fenstra Pl. Mil. Fleck. festra Fest.) volŭptas (vel potius volŭptas; nam u per anaptyxin ortum est, cf. ἐλπίς). De qua re jam explicavimus. Corssenum aliam hujus rei rationem reddendi viam sequitur et ab antiquiori accentu quodam, qui a fine magis sit reductus, syncopam acutæ vocalis repetit. Qui fuerit antiquissimæ latinitatis accentus in medio relinquere me, jam dixi; sed esse causam quin de accentibus latinis quales essent litterarum ætatibus recte docuisse latinos grammaticos putemus nego. Atque vidimus plurimarum intentionum et correptionum magis accentu 'exspiratorio,' ut ceteras causas omittam, quam accentu acuto causam contineri. Corssenius autem cum syncopam et crasin adhibuit, ut sententiam suam de antiquiori illa accinendi lege veram esse demonstraret, sumpsit ille quidem, sed non comprobavit in *acuta* voce sola vel

---

dem pta kta apt akt spa stu aps ats, ja selbet atst ats't s'tra ats'ts als einfache silben betrachten, so ignoriren wir einfach die Existenz der hier von den anlautenden oder auslautenden Consonantverbindungen gebildeten kleinen Nebensilben wegen der geringen Schallfülle der hier auftretenden tonlosen Geräuschlaute, denen gegen über die Hauptsilbe mit ihren tonlosen Spiranten durchaus dominirt."

ipsa causam syncopæ esse. Quamobrem in orbem quodam modo fertur. Nam sic disputat quia 'mansti' dicatur pro 'mansisti', apparere fuisse antiquiorem accinendi legem, et quia antiquior fuerit accinendi lex, dictum esse 'mansti' pro 'mansisti'. Quando nova illa accinendi lex valere coeperit in incerto relinquit, tamen nascentibus latinis litteris quinto aut denique sexto sæculo jam valuisse eam [1]) dicit. Quæcunque igitur a vetustiori accinendi lege profectæ sint appellandi varietates ad posteriorem et litteris consignatam ætatem tanquam ex hereditate priscæ vetustatis pervenisse. Atqui non potest exemplis comprobari non modo omnes aut plurimas, sed ne dimidiam quidem partem harum, de quibus nunc agimus, varietatum, inde a vetustissima latinitate in usu fuisse. Nam ut de exemplis quæ Corssenus l. c. p. 906, ut sententiam suam comprobaret, attulit mentionem faciamus — longum est enim omnia quæ ex eodem genere sunt ab illo in proximis ejus l. paginis allata, persequi — 'dedērunt' jam p. 5 explicavimus et ostendimus id perantiquum esse et ad antiquiorem accinendi legem, quæ tamen diversa sit ab illa quam fuisse dicit Corssenus, referri, quamquam ex iis quæ de hac forma et de similibus disputat Corssenus [2]I. 611 et q. seqq. forsitan aliquis conjectet 'dedérunt' non fuisse antiquissimæ latinitatis; ejus autem quod est animæ pro animái alia est ratio, nam probabile est olim dictum esse animái, post animai ut damnás; irritát turbát Lucret.; Arpinás Prisc. VII. 60 p. 337 H et XII, 17 p. 586 H, postremo ánimæ (cf. Schoell. p. 52) — restat igitur 'mansti' pro mansisti et in eodem genere cetera perfecta contracta: curarunt traxe cett. Si posterior sermo (posteriorem autem eum hoc loco dicimus qui fuit a fine sexti sæculi) nullas ejusmodi formas haberet nisi tamquam hereditate acceptas et antiquitus traditas, colligendis comparandis numerandis exemplis efficeretur contractas præcipue antiquissimæ esse latinitatis, plenas et integras posterioris. Quod longe secus est. Antiquissimum hujus generis exemplum est: 'comvovisse' s. c. de Bacan. a. u. 566. Præterea et in tabulis ceterisque inscriptionibus inde ab anno 620 variant plena forma et ea cujus -vi aut -v- depositum est, Scip. elog. n. 38 'petiei' (quod antiquissimum est hujus generis exemplum), in lege Bantiæ 'iurarint,' in lege Repetund. 'audierit quæsierit jurarint negarint conquæsiverit;' in sententia

[1]) "Aber der Friede zwischen den beiden kämpfenden Elementen war schon *hergestellt in der Zeit, wo eine Römische Litteratur sich zu entvickeln anfängt, das neuere Betonungsgesetz war schon zum völligen Durchbruch gekommen,* und was von dem Hochton auf der viertletzten Silbe Plautinischer Wörter gesagt ist, verliert jeden Halt, wenn die Ansicht als unhaltbar nachgewiesen wird, dass Plautus absichtlich Uebereinstimmung zwischen Hochton and Vershebung gesucht habe." Corss. l. c. p. 906.

Minuciorum 'composeiverunt', in lege Agrar. 'adierit', in ep. ad Tiburt. 'audiveramus;' in inscriptionibus ceteris liberæ civitatis, quarum maxima pars est illis posterior, 25 sunt exempla contractæ formæ, 8 autem contracta non sunt, in eoque numero sunt 5 quæ in '-avere' desinunt: coiravere cöeravere curavere probavere terminavere, quæ terminatio contrahi non solebat, credo, ne cum infinitivo præsenti confunderetur. Sublatarum litterarum q. s. -is- medii perfecti in monumentis liberæ civitatis unum inveni exemplum incertæ ætatis, fere exeuntis sexti aut ineuntis septimi sæculi (cf. Ritschel. in Mus. Rh. 14, 417) 'dixti' in Sorte Lat. n. 1449 Mommsen. 'Deixsistis' autem in ep. ad Tib. n:o 201 M. Pullulasse vero novis propaginibus in posterioris ætatis sermone vulgari perfectorum contractorum analogiam satis signi est quod Horatiana hæc: 'divisse exstinxe erepsemus surrexe (surrexti Mart. 5. 79. 1, direxti Verg. Aen. 6, 57) percusti submosse' (summosses Cic.) apud antiquiores scriptores non inveniuntur. 'Evasti' autem simile est illi 'invasti' ap. Lucil., 'surpite surpuerat' Hor. 'surpuerat' Plaut. Ter. 'traxe' Hor. cf. 'detraxe' Plaut. Trin. 743 conject. Camerarii. Plura exempla ap. Neuium [1] II. p. 397—420 [1]). 'Puertia' apud Horatium fere trecentis post annis quam novus ille accentus, ut auctor est Corssenus, in usu esse vulgari coeperat; quæ forma si a prisca vetustate repetenda esset, apud scriptores ætate priores inveniretur. At analogia formæ similes post novata sunt. At, si obstitisset posterior accinendi lex, analogia non tantum valuisset, ut lex certa accinendi irrita fieret. Positiones ipsæ vocabulorum ab antiquissima vetustate sæpe sunt repetendæ, sed si de varia vocabulorum appellatione quæritur, varietatis cujusdam vel formæ appellatione paullum mutatæ, si apud posterioris ætatis scriptorem demum inventa est, originem referre in ætatem multo antiquiorem, sanæ rationis non est. Accedit quod ex illis quæ ante disputavimus efficitur, non oportere nos in illa antiquiori accinendi lege nimis hærere. Non igitur dubitamus exempla syncopæ quæ in litteris et monumentis latinitatis sunt, præsertim cum, si a paucis discesseris, in monumentis post uno aut pluribus sæculis quam lex illa nova accinendi, si fuisset nova, accepta esset, conscripta sint, ad comprobandam nostram de accentu 'exspiratorio' sententiam adhibere. Primum igitur supervacaneum est magnum illum numerum exemplorum iterare quem collegit Corssenus de en. [2] II. p. 608 et q. s. Sed hæc addo,

---

[1]) Atque etiam in inscriptionibus postremæ latinitatis. Guérin. (in l. q. i voyage archéologique dans la régence de Tunis Paris 1862) 'confirmarunt' 417 'dedicarunt' 3600; Renicr.: 'desiderastis' 2770 'ornasse' 3641.

ut demonstrem non modo in gravibus sed etiam in acutis syllabis syncopam latinam versari. In versibus igitur Saturniis syncopæ vocalium sunt et *acutæ* capĭtibus (v. p. 67) et gravis Hercŭlei (p. 64); constat item ap. Plautum (de qua re breviter mentionem fecimus p. 87 et 88) et ap. Terentium (sed id omnibus notum). Item ap. Scenicos* ætate posteriores gravis vocalis obscurata est: domĭnus Laber, 90 R. edĭtis Nov. 6 R. robŏrascit Nov. 21, et *acuta:* bŏna Laber. 87 R. ('tollat bonā fide vos Orcus nudas in catonium'). Consimilia exhibent inscr. parietariæ Pompejanæ: 'Littĕra' in hexametro C. I. L. IV. 1891 Z. fĕro in II:o pd. sen. 1852 Z. 'in mănu' in tetrametro troch. catal. ib. 1939 Z. Cum autem omissa est scriptione vocalis, appellando vel delituit obscurata vel exempta est. In liberæ civitatis inscriptionibus (C. I. L. I.) hujus generis exempla — quorum plurima sunt septimi aut octavi sæculi — omissæ *gravis* vocalis notavi 42 (e 19:ies i 12:ies, o bis, u 9:ies inter consonas deposita est); *acuta* inter consonas omissa est vocalis in his: (Orcevio Orcevia Orcevius C. J. L. n. 134 M. 135, 136, 1540, cf. Orcivios Cic. Brut. § 160) Orcvio n. 133. Maurte (pro Mavórte) n. 63 (Pescenia?) Pescnia 137 (Licinia) Licnia 892 Popnia 1062 Supnas? Ritschel. tab. XCVIII d p. 555 M., cf. 1169 Supīna; debtur 1393 = debétur, Decmbres (i. e. Decĕmbres) 974 Decbres 846, utrumque pro Dĕcĕmbres, cf. ămbo Plaut.

Scriptores Ciceronianæ et Augusteæ et argenteæ quæ dicitur ætatis et posteriores, qui priorum exemplo sequebantur grammaticorumque disciplina imbuti erant, quoniam lingua litteris confirmata utebantur, et verisimile est eruditi sermonis fuisse non modo scriptione sed etiam appellandis vocibus litteras diligentius exprimere, apud eos neque gravis neque acutæ vocalis omissæ multa exempla sunt. Illud tamen quoque ad paucitatem syncopa affectarum a scriptoribus vocum pertinuit, quod mos scriptoribus erat, ut omnes litteras vivæ vocis etiamsi obscuræ et fluxæ essent, scriptura redderent. Constat juncta verbi ponendi participia variare: compositus repositus compostus repostus cett. (etiam 'explictus' Statius posuit pro explicitus), 'hercule' et 'hercle', de cuius usu Ciceron. Cornutus p. 2291 B.; item frigĭdaria frigdaria Lachm. p. 412 'periclum' 'vincla' in vulgari usu fuerunt, cf. umbr. poplum seples Treplania catles, osc. Αυσκλα (lat. Asculum) [1]). Salustius scripsit in historiis 'alitus' Prisc. I. 527 et altus

[1]) In umbrorum et in oscorum linguis non modo graves, sed etiam acutæ vocales syncopa affectæ sunt, si quid in eam sententiam colligere licet ex his exemplis: umbr. covertu courtust (i. e. covertust, covrtust cf. Maurte pro Mavorte C. I. L. I. n. 63) osc. *Numisios Niumeriis VI. Enderis: Niumsieis XXX. E. kvaisstur 16. 4. E. *kvaissturei: kvaisstrei 14. 17. E., lat. quæstor, quæstōris.

altior Serv. ad Verg. Aen. VI. 23. Horatius præter perfecta a nobis commemorata his syncopis usus est et *gravis* vocalis 'lamna', quacum contractione cf. umbr. 'pelmner umne kumne nomner' osc. 'teremnattens'; 'soldo' (cf. 'soldioribus' in plebejo sermone Schuchardtius l. c. 416), et *acutæ* 'caldior' pro calidior ('caldum' Lucilius; 'calda' sc. aqua vulgaris sermonis erat) 'valdius' pro valídius Ep. I. 9. 6; atque in lyricum carmen I. 36. 8 ad metri usum 'puertia' pro pueritia, de vulgari sermone ascivit.

At in remissiore et plebejo sermone frequentius fuit utrumque syncopæ genus, ut ne duriores quidem concursus litterarum evitati sint. Hoc declarant inscriptiones posterioris ætatis. 'Sestlia' pro Sestilia I. N. 5199 et 'Vicrius' pro Vicirius Momms. inscr. R. N. ap. Corssenum. — In inscr. parietariis Pompejanis editis a C. Zangemeistero 1871 C. I. L. IV *gravis* vocalis inter consonas omissa est undetricies (i 7:ies, e 6:ies, u 16:ies), in eoque numero duriores syncopæ, ut 'Cæsri' est 2124 pro 'Cæsari' 'felicm' pro felicem 2399 b 'suspendre' 1864 (cf. franc. suspendre) 'Vesvinus' in vas. fict. (Schoene) = 'Vesuvinus' ib.; *acutæ* syncopa est his locis 'architctulum' i. e. architĕctulum 2000 'felciter' 2993 x pro feliciter, 'fēlīcm' autem 2399 b; ex qua variantia efficitur accentus exspiratorios primarum syllabarum in stirpe quæ est fēlīci- paribus ponderibus tamquam libratos esse, ut modo uterque retineretur, idque fortasse semper fiebat elegantioris sermonis usu, modo ille hujus, modo hic illius vi prægravaretur, — 'habre' 1684 pro habēre incertum est. Zangemeister enim: "in alterius, v. 10", inquit, "post a litteram (sic!) e perisse potest;" 'ubque' 1477 non pro ubīque sed pro ubíque cf. ubĭnam, ubĭvis, ut 'cunculis' pro *cunĭculis, cujus principalis et legitima forma erat cunīculus. Aut utrumque hoc si correptum est, vi universæ vocis in singulas syllabas correptum est. — In inscriptionibus Hispaniæ ed. Huebner 1869 = C. I. L. II. hæc exempla notavi: *gravis* vocalis omissa est 567 'Admata' pro Adamata, 'Maxmine' 585 = Maximine; *acuta:* 'excdere' i. e. (excēdere excĕdere) excĕdere, si lectio vera est; Huebn. 'excedere.' — In inscr. As. Prov. Eur. Græc. Ill. ed. Mommsen 1873 = C. I. L. III. *gravis* om.: 'vetranus' 6120 cett. cf. 'vitranis' in inscr. Algeriæ ed. a Réniero 77, 33 'posĭt' pro 'posivit,' — inter quas formas intermedia fuit 'posivt (i. e. posivĭt) cf. 'triumphavt' tab. Barber. C. 478.; sic inritavit *ĭrritavt irritat Lucret. — et al. ex. *Acuta:* Beronce C. 2538 pro Beronīce, cf. Catull. Beroniceo, græce *Φερενίκη*, Macedonice *Βερενίκη*, in linguis romanicis Veronica. De titulis Africanis Moeller in libro de titulorum Africanorum orthographia Gryphisw.

1875 multa ubi *gravis* vocalis omissa est exempla collegit; *acuta* his locis detracta est: kalndas Rénier. inscr. Alg. 3436 (al. l. klendas) ex h. l. efficitur n pænultimæ vulgari sermone in hac voce positionem non fecisse — dulcsimu Rén. 1253 i. e. dulcĭsimu = dulcissimus cf. dĕdĭssc l. dedĭsse Plaut. Amph. 2. 2. 129. Pseud. 4. 2. 33 et quæ jam p. 92 attuli. Vitruvius IX. 9 'Ctesibius' Val. Rose, at in codd. Harleiano et Gudiano scriptum est Clesbius -os -es vel Cbesbios, quamobrem fortasse legendum est: 'Ctesbius.' De syncopis in Itala cf. Rönschius Itala et Vulgata Marburgi 1875 p. 467 et 525. Præterea cum magnam hujus generis copiam de sermone plebejo et de infima latinitate excerptam attulit Schuchardtus l. c. 399; tum hæc quorum acuta syllaba detracta est: 'soldioribus' (p. 416) 'fecrunt' 'benemrnti' (ib., 405 p. Chr. i. e. benemĕrĕnti; 'Filpus' (cf. philĭppeos Plaut.) felcis, p. 417, cf. Pompej. 'felciter;' 'infrius' = infĕrius 'Decmio' = Decŭmio 'progniem' 'domnicis Domtiæ depostio' — quod fortasse ad analogiam participii syncopati novatum est — 'cunculis' pro cunĭculis *cunĭculis, 'condirgere' = condirĭgere Schuch. II. 418 sqq. Venriæ = Venĕriæ, item de inscr. Rhenan. homnibus idem l. c. III. 290. Hoc loco commemorari oportet testimonia Grammaticorum ad hanc rem spectantia Probi append. 197 sqq. K. et Probi cathol. 1462, et Caper de orthogr. Sed Schuchardtus ea jam attulit. I n o m n i b u s v e r o e x e m p l i s q u o r u m g r a v i s v o c a l i s o m i s s a e s t, a Corsseno et a Schuchardto et a Moellero et a Roenschio et a Zangemeistero et a me h. l. allatis n o n i p s a a c u t a v o x, s e d s p i r i t u s v i s s i v e c u m a c u t a v o c e c o n j u n c t u s e s t: 'fácla' Appendix Probi p. 197 K. pro 'facula' Cato, sive non est: 'frigdária' pro 'frigidária', i s q u e a u t p e r b i n a s b r e v e s p e r t i n e n s: 'opermento' pro operĭmento, a u t i n l o n g a s y l l a b a p o s i t u s: 'Disdérius' 'pro Desīdérius' Schuch., sive insequenti sive præcedenti posita syncopam importavit. Item quod i p s a a c u t o a c c e n t u i n t e n t a s y l l a b a sæpe est o b s c u r a t a argumento est a c u t æ s y l l a b æ n o n s e m p e r e a m f u i s s e p o t e s t a t e m u t c e t e r a s s y l l a b a s f a c e r e t e x i l i o r e s, et p r æ t e r a c u t a m s y l l a b a m m u l t a r u m v o c u m f u i s s e s i n g u l o s a c c e n t u s e x s p i r a t i o n i s a u t e t i a m p l u r e s. Atque etiam illud memorabile est quod breves et fluxæ et insiticiæ illæ vocales quæ per a n a p t y x i n ortæ erant (de quibus v. impr. Ritschel. in II:do tomo opuscul. philolog.) in latina [1]) lingua sæpe acuebantur. Ut per omnes ætates incerta erat ap-

[1]) Item in sanscrita et græca et russica: scr. çarád auctumnus, bhurágant\a (inspergentem) Schmidt Vokalismus' ling. Indog. 5; russ. gólovy = golóvki cett. (cf. Schmidt l. c. 127) græc. ὠλένη lat. ulna κεράασϑε, πέλεϑρον πλέϑρον, st. ὀργ- (cf. ὀργή) ὀρέγειν = ὀρόγυια ὀργυιά, cett.

pellatio vocis q. e. 'balneum'. Diomedes p. 327 K "balnea sive balinea." Charisius p. 327, 8 K "balneum veteres dixerunt, sive balineum." In postrema ætate utramque formam usurpatam esse auctor est Caper p. 2247 P. "Balneum non balineum." Cf. 'balinei' Ren. 2605. C. I. L. I 1016 'opituma' = optuma; 577 1, 19 'abiegineas' = abiegneas. In inscript. Gallicæ Cisalpinæ C. I. L. V. ed. Th. Mommsen 1877. 'Daphinidis' 5117 = Daphnidis. 'Valenitio' 2556 Ren. 2605 = Valentio. Videmus igitur et insertas esse eas vocales in syllabas acutas non aliter quam in graves, et ab utrisque exemptas. Neque vero est verisimile Plautum u illud in 'coculeæ' multo majore pondere extulisse quam i litteram inter m et n in 'guminasium'. Alia exempla ap. Schuchardtum. Eodem igitur modo in eruditorum scriptorum sermone et in plebejo syncopæ vi exspiratorii accentus natæ sunt; sed sermo plebejus ab illo ea re differt, quod syncopis abundat neque ab durioribus abhorret, ille rarioribus utitur et levioribus. Ac non paucæ earum infimæ latinitatis sunt. Et primo adspectu forsitan repugnare videatur in infima latinitate, quæ inter antiquam linguam et Romanicas tamquam sit interjecta, cum initia esse illius, quæ Romanicarum linguarum propria est, legis 'chromaticum' et 'exspiratorium' accentum in una et eadem syllaba vocis ponendi oportuisse videatur, eas articulationes et quidem multas inveniri quæ fuisse non potuerint, nisi aliæ syllabæ præter acutam magnum pondus nonnumquam habuissent, et cum ad alias syllabas tum etiam ad ipsam acutam imminuendam valuissent. Schuchardtus quidem id eam ob rem factum esse putat, quod antiquior ille et a fine longius reductus accentus in sermone plebejo retentus sit; ita illud quoque factum esse, ut syllaba quæ illa lege acuta esset, etiam in Romanicis linguis acueretur. Quod vanum esse de plebeio sermone a Schuchardto sumptum, apparet, quoniam eundem accentum plebei fuisse atque politi sermonis demonstravimus. Et profecto errant qui valde dissimilem appellandis vocibus erudito fuisse plebeium sermonem opinantur. Ex iis nomino Fuchsium qui libr. inscr. "Die Romanischen Sprachen in ihrem Verhältniss zum Lateinischen," Halis Saxon. 1849. Neque enim ex inscriptionibus neque ex illis plebei sermonis exemplis, quæ extant apud scriptores, eam conjecturam jure trahas. [1]) Ne illud

[1]) Vere Madvigius "Grammatische Bezeichnungen" p. 243 "Wenn überhaupt die alltägliche Rede auch in der alten Sprache ihre von der Regelmässigkeit der Schriftsprache abweichende Nachlässigkeiten hatte, die aber eben nach dem Bau der alten Sprache in einer besonderen Gestalt hervortraten, wird daraus geschlossen, dass der Sprachbau nicht ganz der täglichen Rede zu Grunde lag. — — — Man schliesst die Augen auf der einen Seite für — — — den innigen Zusammenhang der Sprachrevolution mit der ziemlich früh begonnenen

quidem satis est veri simile quod putat Corssenus longius a fine esse accentus latinos postrema ætate reductos. Nam cum sit Romani sermonis summa et rigida quædam accinendi constantia, accentus latinos fere quingentorum annorum decursu tanquam incertæ sedis huc illuc errantes, primum mutata lege ad finem propius adductos, deinde, sublata illa lege, in pristinum locum redisse, ipsum non admodum est probabile, præsertim cum vix umquam factum sit in historia linguarum, ut ad pristinum et post aliquot sæcula relictum statum non modo omnino in appellandis, sed ne in accinendis quidum vocibus sermo sit revolutus. Constat remissam quandam et negligentem vocem, quæ terminationes omitteret, consonas et vocales molliret tenuaret tolleret, fuisse propriam ætatis illius cum lingua latina paulatim dissoluta est et perturbata. Quid igitur? aliam universa vocabula articulandi, ad fortiorem et magis ponderosum priscæ ætatis accentum reversus sermo, aliam singulas litteras mollius proferendi rationem secutus est? Neque enim quisquam dubitaverit quin longius ab exitu vocabuli reductus accentus fortior sit eo qui in ultimis syllabis hæreat.

Denique et Corssenus et Schuchardtus in accentuum ratione eam ob rem titubant quod neque regiones neque vim acutæ vocis et spiritus descripserunt. Græcus et Latinus sermo quantitate syllabas modulati esse ("quantiterande språk"), recentiorum linguarum vocabula accentibus regi dicuntur ("accentuerande språk"). Id autem de his recentioribus linguis sic non interpretandum est quasi majus

---

Schwächung der Volkseinheit — — — auf der andern Seite für — — — das sichtbare Hinarbeiten auf neue Festigkeit nach einer gewaltsamen Erschütterung — — — man vergisst, was sich von der lexikalischen Seite zeigt, und man vergisst endlich, dass ähnliche Phänomene anderswo, im Norden und in England, unter entsprechenden Verhältnissen hervortreten. Während aber der Versuch den Uebergang des Latein in die romanischen Sprachen als die Entwickelung einer in jener Sprache von Alters her liegenden Richtung und einer schon in der alten und guten Zeit dagewesenen, von der Sprache der Gebildeten und der Schriftsprache in Bau und Methoden wesentlich verschiedenen Vulgärsprache darzustellen ganz abgewiesen werden muss, ist damit nicht gesagt, dass der grammatische Sprachbau des Lateins in allen Theilen unberührt und in voller Festigkeit oder doch nur wenig erschüttert über die lateinischen Provinzen des Reichs verbreitet dastand." — — — Vitia accinendi interdum inde a florenti latinæ linguæ ætate, et ab nonnullis ea quoque commissa esse, ut accentum longius a fine reducerent, ex hoc loco Quintilianeo I, 5, 22, 25: "Adhuc difficilior observatio est per tenores — — — cum acuta et gravis alia pro alia ponuntur, ut in hoc Cámillus si acuitur prima; aut gravis pro flexa ut Céthegus, et hic prima acuta — nam sic media mutatur —; aut flexa pro gravi, ut Appî circumducta sequenti, quam ex duabus syllabis in unam cogentes et deinde flectentes dupliciter peccant;" — conjectari licet illud quidem, sed inde non sequitur, eum communem rusticæ latinitatis morem fuisse. De 'tríginta' apud Consentium 394 K cf. quæ dicit Schoell. l. c. p. 54.

illud unius alicujus syllabæ pondus in solo vocis fastigio positum sit, sed ita verum est, si sæpissime, et quidem sæpius quam in linguis "classicis," quæ acuitur syllaba eadem exspirationis vi præter ceteras intendi, sive in eandem syllabam plerumque exspiratorius et chromaticus accentus concurrere dicuntur. In latina et græca linguis vel 'exspiratorio' vel 'chromatico' vel et 'exspiratorio' et 'chromatico' accentu syllabæ intendebantur. Spiritus vim quantitate metiebantur Græci et Latini, quod qua ratione in latina lingua dirigi solitum sit, jam explicavimus. Quamobrem in plerisque vocabulis latinis acuta vox et spiritus simul et erant et percipiebantur, ut tamen pro se utrumque exstaret. Sed cum quicquid temperatione naturæ viget, vi quadam miscendi paulatim absumitur, tum nativorum numerorum et accentuum latinorum distincta varietas postremo turbata est et deleta. Vim exspirandi plerumque infuisse in acuta voce latinorum supra p. 57 extr. q. et sq. commemoravimus. Quoniam autem sæpissime fiebat, ut vocis fastigium et fortior spiritus in unum confunderentur, magis magisque eo inclinabat sermo ut in iis quoque vocalibus ubi exspirandi vis et acutus sonus non plane conjuncti erant, idem fieret. Duobus autem his modis factum est, ut acutus sonus major graviorque exspirandi vis, si separata fuerant, semper conjungerentur et in eandem syllabam concurrerent. [1]) Nonnumquam enim *acuta* et

---

[1]) Serius autem id videtur factum esse quam putat Corssenus qui l. c. sic p. 941 dicit: "dass schon seit der ältern Kaiserzeit der Unterschied zwischen zweiseitigen und einseitigen Vokalen in der Volksprache sich zu verwischen angefangen hatte." In eam sententiam disputans, testimonia affert ille grammaticorum Probi junioris Diomedis "Claudi" (sive Plotii) Sacerdotis — qui si quid ab antiquorum more diversum de appellatione præcipiunt, ad quarti sæculi usum, non ad multo antiquiorem illam ætatem referri debent — et vocabula ex inscriptionibus Pompejanis sumpta et apicis varium usum. Sed ex iis non efficitur quantitatem vocabulorum primis imperatoribus regnantibus aliam fuisse atque ante fuerat. Nam 'potĕst' q. est in inscr. Pompej. eadem quantitate qua apud scenicos positum est. Atque constat positionem quarundam consonarum in prosa oratione valde incertam semper fuisse, 'Vidēs putās' Lamprid. Alex. Sev. 38 P et ætatis multo posterioris sunt, neque ex iis quidquam conjectare licet, nisi sec. personæ sg. terminationes jam secundo sæculo corripi coeptas esse. Ex illo autem quod in inscr. Pomp. æ ponitur non modo pro ē sed etiam pro ĕ in Corsseni sententiam, si alia ejusdem rei signa inventa essent, fortasse aliquid conjectare liceret. At illud unum pro argumento adhibere temere agentis est. Nam quia non solebant litteris productæ vocales ab correptis distingui, quod æ pro e positum est hoc unum declarat, æ et e illa ætate eodem modo enuntiata esse, et æ pro e sive longo sive brevi promiscue positum. Apices autem in inscr. Pompej. Hercul. Stab. a Zangemeistero editis omnibus locis præter unum 1220 Veneqús scr. Momms., Venequs Zangem., longis vocalibus impositi sunt. Præterea cum esse quantitates in posteriore latinitate nonnumquam turbatas, signum sit quod apices etiam in brevibus vocalibus positi inveniuntur, tamen cavendum est ne eam rem in majus augeas. Nam præ illo exemplorum maximo numero ubi apices sunt in longis vocalibus non admodum

brevis vocalis si syllabam terminabat *producta* est: túa túos inscr. Alb., cf. ital. túo túa, súo súa; díes Marin. Att. Arv. p. 713, Corssen. p. 940, cf. fr. lun-di mar-di cett.; spắdo crắpula chlắmyde tǐ́nea pǐ́per Consent. 939 cett. et cf. Schuch. I, 469, gǘla Centǘrio Corss. l. c. 942. *Graves* autem syllabæ *corripiebantur:* sanctĭ inscĭĭs v. Corss. l. c., aut deponebantur, ut Bernaclus Ren. 1249 = vernaculus; cf. app. Probi p. 107 K. 'vernaculus, non vernaclus', 'matus' Petron. 41 = madidus; Spanus Apic. 1 v. 5 = Hispanus, Spanius Ren. 1193 Sclepiæ Ren. 1189, Spellati Ren. 1194. Rönsch. l. c. p. 469: spondere Deut. 32, 11 et alia ejusdem gen.; mascel Ital. Lev. 6, 29 = masculus Rönsch. p. 525, 'nubs' pro nubes Ital. Mt. 17, 5 ('stips' pro stipes jam ap. Petron. 43 et 'sæps' pro sæpes ap. Val. Flacc. V, 587) Rönsch. p. 263, cf. provinc. Gall. 'fuocs' pro focus et 'fums' pro fumus.

---

multa sunt ejus generis exempla. Ut in inscr. Galliæ Cisalpinæ, a Mommseno 1877 ed. inter plus ducenta quinquaginta exempla, hæc sola in brevi vocali apicem habent: médico 2040 hóra 3143, — sed nescio an id peculiaris et variæ appellationis fuerit, nam et una inscriptio liberæ civitatis habeat hóra C. I. L. I, n. 1009 — qúi C. I. L. V, 6363. 'Uxór' autem quod est C. I. L. V, 7197, ut interdum ea positio in arsi apud posteriores poetas, ita hoc loco antiquam quantitatem retinuit. In titulis africanis apices sex vocabulis impositi sunt (Moeller l. c. p. 13), omnes in productis syllabis. Posteriori dominationis imperatorum ætate mutatas aut incertas fuisse quantitate multas syllabas et ex aliis monumentis et ex edicto Diocletiani C. I. L. III, 802—834 et ex carminibus quibusdam apparet. Et quidem inde a fine quarti sæculi quantitates syllabarum valde confusæ fuisse et incertæ videntur; sed deleta esse inde ab a:o p. C. 300 omnia quantitatis discrimima Corssenus non modo exemplis non comprobavit, verum etiam, num quarto sæculo, dubium est. In psalmo illo a Weil. Benloewio l. c. p. 262 et a Corss. p. 943 allato magis vexavit Augustinus syllabas quam ut ex illo carmine intellegatur qui fuerint veri illius ætatis accentus; nam is tum quantitates (cónturbáre, réticuló missó), tum accentum acutum (vōlŭĭt sōlĕt) tum suum arbitrium (vasā domīnus cómpārans) secutus est. C. I. L. III, n:o 6414 sunt hi hexametri:

Conditus infelix īn ista sede perenni
Principiūs habitāt, huic vite finis in ipsis
Ter senis misero et quattuor pæne peractis
Annīs acerba fuit, nam studiīs jăm Romĕ lætantem
Invīdă fortună rēpenti funere mersit.
Cuiusquē rēversum crudeli funere corpus
Exequitur genitōr īniquŏ cum honore sepulcri,
Jam sēcurī suo gaudetē munere manes,
Elysias per campŏs ĕt dulcia prata vagantes.

Qui versus incompositi sunt et male tornati, et illius ætatis cum *coepta erant* quantitatis discrimina tolli; nec tamen nulla in iis quantitatis ratio est habita.

Jam vero sæpe factum est, ut exspiratorius accentus acutum attraheret, cum gravis et exspiratorio accentu prædita syllaba quæ integra voce acui non potuerat, acuebatur. Nec tamen a vetere accinendi lege sermo discessit; nam cum gravis illa syllaba acuebatur, pænultima corripi, brevis antepænultima ad *ἀλόγου χρόνου* moram redigi solebat. Ita quæ ante acutæ fuerant syllabæ in eo genere imminutæ sunt aut detractæ. Ut 'dulcsimu' Ren. 1253 i. e. dulcĭsimu pro dulcĭsimus; 'felcis' pro 'fēlīcis' (etsi hujus vocis et multarum aliarum bini videntur fuisse exspiratorii accentus, tamen majorem illum et graviorem h. l. solum scriptura reddo); condirgere' pro condīrĭgere, 'venriæ' i. e. vénĕriæ pro vĕnĕrīæ, 'progniem' pro progénīem, 'homnibus' pro hŏmínibus, cf. prov. 'omne' ('nos jove omne' poem. de Boethio) fr. 'on'. Hoc in infima latinitate incohatum est, in linguis Romanicis consummatum. In iis igitur syllabis positus est Romanicarum linguarum accentus, quæ suprema linguæ latinæ ætate et acutum et exspiratorium accentum habuerant. In classica autem latinitate tantum non semper fuit exspiratorio accentu prædita quæcumque in Romanicis linguis acuitur. Nam vel et acuta fuit et exspiratorio pronuntiata accentu illa syllaba, ut amáre, amáre dormíĕrunt Poen. prol. 12 fr. dormirent, portárunt, it. portarono, píper it. pepe fr. poivre cett., idque sæpius factum est, vel gravis et spiritus ictu percussa vŏlŭĕrunt Plaut. Mil. 117 vóldrent cant. S:tæ Eulal., class. l. 'sexāgínta', inf. lat. 'sexanta' Schuch. it. 'sessanta' fr. 'soixante', fēcérunt (postr. lat. 'fecrunt' Schuch.) fr. 'firent', cl. lat. cŏŏpĕrio cōpério (postr. lat. cópĕrio coprio copro cf. 'humilo' pro 'humilio' Ital. Rŏnsch. p. 467) ital. 'cuopro' fr. 'couvre'; cl. lat. trīgínta, p. lat. trígĭnta trigĭnta Consent. p. 392 K ital. prov. 'trénta' fr. 'trente'; cl. lat. complére: sic igitur lat. complére ital. cómpiere, et lat. compléře ital. compíre fr. ac-complír; lat. ardēre, (vel potius ardēre, sed eum scribo solum exspiratorium accentum, qui quoniam correptionem proximæ syllabæ importavit gravior fuisse videtur, cf. supra) ital. árdere, prov. fr. árdre; cl. lat. consúere, postrem. lat. cósuere *cusvere, — cf. rusæ C. I. L. V, 2046 custude 5415 = rosæ custode — *cusere, fr. cusre cousdre, coûdre; Pătávĭum, ital. Padoa, Brundĭsium ital. Bríndisi fr. Brindes, fīcátum (cf. annot. ad ardére) ital. fégato fr. foie; pĕrmúto ital. pérmuto; mulíerem (sic sæpius ap. comicos dictum esse jam Bentleyus observ.) et múlier ital. moglie; rust. lat. batuo batúere, inf. lat. bátto báttere cf. pompej. fūtĕre pro fŭtŭere 'futebatur' pro 'futuebatur', ital. 'batto battere' fr. 'battre'; lat. trīfólĭum fr. trèfle; lat. lūcére ital. lúcere, miscére it. méscere, mul-

cēre, it. mólcere, mordére it. mórdere fr. mordre, torquére it. tórcere fr. tordre et nonnulla alia 2-di ordinis verba. Nuócere et móvere, quod in francica lingua principales accentus retinuit — ibi enim, ut latinem mŏvére, sic dicitur mouvoir, — συνεκδρομῇ ad hoc genus in italicam linguam translata sunt. Cum autem dixissent Romani: mordere torquere debere, in Romanicis linguis minus sæpe pænultima prævaluit, tamen factum est in his: 'debére' it. 'dovére', persuadére dissuadére it. persuadére dissuadére, parére it. parére; sæpius antepænultima: délégo hisp. in-dilgo, ridére it. rídere, cett. Analogia, credo, ad hanc rem aliquid momenti attulit, cum stirpis syllaba non modo exspiratorium vim haberet, sed etiam acueretur, rídet, it. ríde cett. — Ăpíscor quod in rust. lingua (et in vulgari sermone?) fortasse dictum erat ăpĭscor — cf. quiēsce Mercat. 448 et (quiēsce *quĭsce) 'qusce' C. I. L. IV, 3113 (qusce *quisce = Cuntus C. I. L. I, 939: Quintus) — hisp. sic contractum est: ásgo; lat. collígere ital. dicitur cógliere, lat. porrígere exporgite Plaut., ital. pórgere. Cur cum latine dictum sit rūbrīca (et fr. rubrique) ital. dicatur rúbrica causa fuit in rustici sermonis varietate appellandi. Videtur enim rusticus sermo analogiam in latini sermonis indole positam radicem ipsam exspiratorio accentu sæpe proferendi ultra proprios terminos amplificasse. Cf. hæc exempla inscriptionum ubi apices in brevibus radicum syllabis ponuntur: Sábina (i. e. ut ego accentus denoto Sabīna) Fabretti 235 Sécundilla Or. 2213 Dómitiam Or. 1494 sócer Or. 6779, Spécularis Fabretti 171. Item pro 'rūbrīca' forsitan sic quoque dictum sit: rūbríca. Græco autem acuto accentui exspirandi vis data est interdum. Ut Τάρας Τάραντος ital. Táranto (et fortasse per analogiam Ótranto pro Otránto) ἀκόνῑτον acónito cett. Diez. Gr. Rom. Ling. [4] I, 504. Præterea non deflexerunt hæ linguæ ab accentu latinorum, nisi ita ut propius ad finem adductus sit. Quod etiam in sermone rustico Romanorum videtur esse factum. Cf. Puteóli Langenus in dissertatione anno 1857 Romæ ed. et Schmitzius Symbol. ad cogn. ling. et litt. Lat. pert. Lips. 1877 p. 43 ital. Puzzuóli. Ergo κύριος τόνος R o m a n i c a r u m l i n g u a r u m h a c l e g e f e r e t e n e t u r, u t a d e x s p i r a t o r i o s R o m a n o r u m a c c e n t u s, s i v e a b i n i t i o c u m a c u t o c o n j u n c t i s u n t, s i v e a c u t a m v o c e m a t t r a x e r u n t, r e f e r e n d u s s i t.

Quamobrem quoniam cur inter consonas correptæ obscuratæ exemptæ sint vocales demonstravimus, nunc, acutæ vocis vi factumne sit, ut vocales vocalibus contiguæ similibus affectibus corrumperentur, quærendum est.

Primum de vocali ante vocalem correpta magis in promptu est, quam ut exemplis opus sit, acutam vocem ad eam rem non pertinuisse. Satis erit igitur pauca commemorare. *Gravis* vocalis ante vocalem correpta est: Dīana Dīanæ Catull. 84, 1, Hor. C. 4. 7, 25 Dĭana Epod. 5, 51; *acuta* quæ fuit corripitur inde ab antiquissima ætate thematum verbalium quæ sunt -uo -eo -io Corss. II P 77 sqq.; fīdēï fidĕi, lūi plūvi Enn. plūi: lŭi plŭi Varro L. L. IX, 104 fūvi fūi fŭi, illīus illĭus, alterīus alterĭus, unīus unĭus Ritsch. op. II, 680 sqq. II, 474; rēi rĕi rĕ̄i; fīeri fĭeri Neue. Forsitan dubitet quispiam an exspiratorius accentus ad id nonnumquam pertinuerit. Quod in medio relinquo. Plerumque vero hæc causa fuit, quod, cum vocales binæ vel ternæ concurrerant, tardior et molestior fuisset articulatio, si vox in una quaque morata esset. Eamque ob rem etiam vocalis *inter vocales* correpta est, omnesque contractæ in hoc vocabulo: quoīus quo͡ius cuius cuis Lachm. ad Lucr. p. 114, item hoīus hu͡ius eius e͡ius monosyllaba. In rustico sermone ponebantur etiam ūs ās ā pro uius uia aias aia Schuch. II, 508; C. I. L. IV, 3113 'qusce', 'quisce' Zangemeister, sed cf. 'sanguni' ib. 1410, 1411 pro sanguine, cujus tamen lectio dubia. Si ille qui scribebat non peccavit litteram, sic fere ortum est quiesce quⁱĕsce qusce. Cf. C. I. L. I, 939 Cuntus pro Quintus. Ex grammaticorum testimoniis et ex Græca scriptione **Κόιντος** apparet u in hujuscemodi vocabulis brevissimæ et irrationalis vocalis vim habuisse. Intermedium fuisse in multis quidem vocibus inter plenam syllabam et consonam V ostendunt Corss. l. c. [2] I, 311, Roby Grammar of latin language p. XXXV. Non certum appellandi discrimen inter 'cui' et 'qui' fuisse apparet ex illo loco Scauri p. 2261 P ubi dicit 'qui' nominativo casu per q. dativo per c, "ut sit differentia" scribi. Cur neget Marius Victorinus p. 2454 P "v, nisi per *ου* conjunctam, Græcos scribere ac pronuntiare posse", nescio; certe labio-dentalis etiam fuit ejus sonus: cf. 'quantunvis' Petr. Cod. Leid. et al. ejusd. gen. Quemadmodum igitur ita corripiebatur ut vera fieret consona, sic etiam in plenam vocalem potestatem nonnumquam producebatur. Item *post vocalem* vocales propter eandem causam vel correptæ sunt vel etiam depositæ. Et *graves:* 'coluerunt' Lachmann. ad Lucret. 134 = coaluerunt; i pro ie.: pariete parite Ital. Ex. 40, 5 R; i pro iu in rustico sermone Schuch. II, p. 513; 'nutrint' = nutriunt dictum est, nam Probi inst. 182 K quæritur cur 'nutriunt' non 'nutrint' dicendum sit, cf. præterea Corss. [2] I, 289 et eos quos ibi affert auctores et Moelleri l. c. p. 37; conquinatus Ital. R. p. 525 = coinquinatus. Pu͡eros Lucr. I, 94 pu͡erities Aus. prof. X, 7. 'Consueo, non consuo' Caper 2448 P 'auscultare, non ascultare' Caper 2448, Aurunculeia Aruncul eia, sed hoc fortasse non in eadem

causa est, cf. quæ infra de hoc genere dicentur cum de acc. vi ad produc. syll. agemus. De o = oa in plebeio sermone Schuch. II, 513; de u = uo id. p. 519 de a = ua id. p. 468; de u = ue id. 469. Et *acutæ:* 'uï' = uî (uj) cuīque cuîque Corss. p. 758 huīce huîce ib., cf. 'suî' Verg. Ecl. 7, 54 oî = oi (oj) coïmus = coîmus = coimus proïnde proînde (de acc. disp. Schoell. p. 69 sqq. et p. 193) oá = o, oé = o, oí = o 'acroma' Prud. Perist. II, 324 = acroama: 'cloca' Or. 4183 = cloaca (quæ corruptio per hos fere gradus facta est: cloāca *cloāca *clôaca cloca, et eodem modo cetera quæ in hoc genere sunt); 'conquinat' non 'coinquinat' Mar. vict. p. 2467 P 'coactus = 'coctus' Caper de orthogr. p. 22, 40 P 'conquinat' non 'coinquinat' Mar. Victor. 2467 Columell. VIII, 519 cf. conquinatus. 'Cogerit' autem cod. Taur. Theod. VIII v. 35 § 1 pro 'coegerit' fortasse dictum est ad analogiam præsentis. 'Coemptus': 'comptus'. Item ae: a^{e}. Nam illa exempla syncrisis quæ a grammaticis allata sunt: 'Phaethon' 'acripedem' sic reddenda sunt: Pha^{e}ton a^{e}ripedem (non Phæthon, æripedem, ut est in Putschii editione) Donat. 366 K, Mar. Vict. 2516 P, Diom. 442 K. 'Introre' = introire Sch. p. 516. Fortasse, præter illam causam quam dixi, etiam exspiratorius accentus ad hanc rem momentum attulit. — Ué et u facit: 'puellus' Enn. 'pullus' alia significatione; 'pulla' (anno 401) pro puella Sch. II, 518; confluntia ed. Dioclet. in exempl. Stratonicensi v. 24 (Momms.) = confluentia; et e: 'futebatur' C. I. L. IV, 1261 = futuebatur in eadem inscriptione. Non fuit igitur nisi scriptionis differentia et utrumque sic videtur esse dictum: fut^{u}ebatur. — Uí (ùì) et u facit: -uis -uï: -us -u 4 decl., Quintus Cuntus C. I. L. I, 939 (v. supra) 'fuit' fuît Lucil. ap. Non. 19 fuîsse id. ib. p. 26 (cf. maluîsti id. ap. Cic. de Fin. I, 9 'fustis' (= fuistis) Or. 4822 ingemusse Pal. Verg. Ecl. V, 27 (= ingemuisse); 'pruna' pro pruina Schuch. II, 519 et i: Quintus: 'Cintius' C. I. L. III, 854, 'Zinto' et 'Tzinto' in inscr. græcissante C. I. L. III, 870, 10. — Uá et u facit: 'acturios' pro 'actuarios', Janurios pro Januarios et 3:io et 7:mo p. c. sæculo dicta esse auctor est Sch. II p. 517, 'pecuria' Rom. Georgica III, 64 = pecuaria Sch. l. c. p. 518; et a: 'Febrarius' pro Februarius, cf. ital. Febbrajo Gennaro. Plurima quidem eorum quæ attuli exempla accentum exspiratorium habuerunt in syllaba præcedenti et hæc: 'præsse' 'prærit' C. I. L. 205, 206 = præêsse præĕrit, 'prærat' decr. Pis. Item in codd. Ciceronianarum Epist. (XIII, 6, 2) scriptum esse præsset pro præesset dicit Lachmann. ad Lucret. p. 135; 'præesset' autem Wesenb. Non modo simplex ĕsse vulgari loquendi consuetudine corripiebatur, de qua re cf. Diomedes p. 469, sed etiam compositum potĕsse Plaut. Pseud.

1302 adĕst Pomp. 147 Ribb. subĕst? Trin. 1118 (cf. Mueller 147). Quo facilius vis præpositionis prævaluit. Item 'prærogo' apud Jurisconsultos dicitur quasi 'præerogo'. Constat quæ juncta sunt verba jaciendi sic corripi: *projacio -jicio proïcio proici trisyllabum Laber. 83 R proicio; eïci Phædrus VI, 8, 20 E; reicio apud Plaut. per diphthongum Lachm. p. 188; dejiciunt Lucil. XXIX ap. Non. 323 Q (288 M) deiciam Lucil. XXVIII, 85 L. M. deicis Laber. prol. 119 deicere Hor. S. I, 6, 39, conjicio conício; díssicit; item utraque forma ap. Sen. Med. 527: his ădīce Colchos ădjice Aeetem ducem. Præterea conf. Bramb. de orthogr. lat. p. 198 sqq. L. Mueller 257. — 'Præhibeo 'Plaut. = 'præbeo'; 'prohíbeo': 'probeat' Lucr. deinde proinde (trisyllaba): deinde proinde; Laócoon Laucoon (Lauconte Petron. 43, cf. Laodicea Laudicea Ladicea et quæ attulimus p. 102. Thĕŏtīmus Plaut. Thĕtīmus; 'dextrōvórsum': 'dextrorsum', eadem ratione 'sursum prorsus rursus', āiēbam: aibam; coerce, coegit; cf. 'cogerit', 'comptus', de quibus p. 103 mentionem fecimus. Cleópatra Clépatra; græce *Θεόδωρος Θεύδωρος Θέδωρος* Thedoro Schuch. II, 513 (nam etiam ex re metrica Græcorum nescio an liceat conjectare, priorem ex brevibus syllabis, quas binas excipiebat longa in Græca quoque lingua majorem habuisse exspirationis vim). Corssenus qui in symbolis ad cognitionem ital. linguarum et litterarum pertinentibus L. 1876 p. 459 hoc exemplum attulit ut suam sententiam comprobaret neque in latina neque in græca lingua syllabam quæ acueretur vel potius cum acueretur elidi potuisse, fortasse vere negavit ó illud ipsum detractum esse; sed tamen concessit p. 360 id exilius factum esse et sensim in semivocalem esse mutatum. Quid ergo? si id de gravi vocali post vocalem deposita vere dicitur, non acuta illa in eadem causa fuit, qua eadem gravis vocalis, ut *δαμιοοργός δαμιουργός δαμιοργός?* Quod autem dicit absurdum esse, acutam vocem primum in atonon mutari, deinde iterum acui; sic statui neque necesse est neque consentaneum; nam altera vocalis, dum in ea inerat sonus plenus, acuebatur, quamvis esset exilis, verum postquam consona facta est, communi accinendi lege accentus in aliam syllabam transferebatur. Iam vero ubi consimiles vocales coaluerunt, nonnullæ invicem attractæ coierunt, vehemens vēmens — *præhendo (cf. præheda præda) prehendo prendo, nĭhĭl nihil nil Lachm. ad Lucr. p. 28, cooptare coptato Lex. Jul. Munic. coptari Cic. Fam. III, 10, 9, cohors cohortis (significationem duplicem habet contracta forma; nunc et ex inscriptionibus et ex codd. multis exemplis efficitur non recte de hac forma judicare Klotzium s. v.) ædituus æditus ingenuus ingenus (Bramb. p. 89) exercituum exercitum M. Anc. v. 4 perpetuum perpetum C. V, in-

genuus ingenus' Brb. l. c. p. 89, item 'relicuus reliquus relicus supervacuus supervaquus supervacus tuus' in troch. septen. C. I. L. IV. 1234; item in inscr. Pomp. 'Mortus'; 'Ingenus' pro Ingenuus C. I. L. III. 4576, 5258 cett. Horum autem *gravior levioris syllabæ consimilem vocalem ictu attraxit:* *eisdem iisdem isdem déī dīī dī, déērunt dēēro dēro Horat. pīissimo pissimo Ren. 1342 'pessimo' ib. 762. Item ad illas contractiones ubi ante vocalem vocalis obscurata est: ea eo eu ia ie io iu ua uo ue ui, vicinæ syllabæ ictus cum voce syllabas coartante conspiravit: éo eo abl. sing., deórsum dorsum C. I. L. I. 199. seórsum Plaut. Asin. 3 R. præāctus Bouterweg quæst. Lucit. p. 27 cett. Apud priscos poetas vel in arsi ita ponitur contracta syllaba, ut altera vocalium ictum sustineat [1]), idque sæpe, vel in thesi: Plaut. Trin. 578: 'dies constituatur: eadem hæc confirmavimus', 'dies' (quod sic fere pronuntiari debet: d'ēs) in thesi, eādem in arsi, cett.; apud posteriores item vel in arsi: triangulā German. Ar. ap. Prisc. de pond. 1358, ebulliat patruus Pers. II. 10 Servilio S. 2. 8. 21 vindēmiator Hor. S. I. 7. 30 luscinias 2. 3. 245 vel in thesi: apud Hor. consilium principium (in elisione) C. 3. 66, vietis Hor. Epod. 12. 7 Nasīdiēni ostrea cerea S. I. 8. 43. Condiat in sexto pede hexametri Juv. VII 185 Lachm. ad Lucr. II. 192 'condit' O. Jahn. 'condat' Lysander (in schola publica) tenuis tenuis, i. e. tenvis, genua genva tenúior tenvior Stat. Theb. 4. 697, abíete abiete (abjete) aríete ariete parietibus cett. Verg. Aen. 5. 585 Lachm. ad Lucr. II. 130 (at 'parite' = pariete Ital. Ex. 50. 5). In hac autem voce: 'quoad' Hor. Sat. II. 3. 91 utra magis obscurata sit vocalis ambiguum est. Nam decernere nequeo, utrum quemadmodum 'coactus coctus', sic dictum sit quoªd, an quºad, ut est in hoc hexametro C. I. L. III. 2835: 'vixsi quad potui semper bene pauper honeste. 'Quamquam hoc exemplum singulare est, nam post o contiguam vocalem obscurari jam p. 103 vidimus. Præterea e. gr. commemoro súas suas (i. e. sᵘas) Titin. 53 cf. 'so' C. I. L. V. 200 = suo (sŭō) duos Lab. 13 R. diutius 62, propitia Lucil. 27. 4 sententia id. 1527; Theorianus in hexametro Pompejano C. I. L. IV. 1891 otiosis it. in hex. ib. 813 pretium in sen. ib. 1237, liberius Ter. Andr. I. 1. 25; Dicearcheos balteum alveum Lachm.

[1]) Nam quod in græca synizesi docent quammatici Græci, alteram vocalem tamquam delites cere, idem in latina carmina caclere videtur.

ad Lucr. p. 19; Hor. S. II. 6. 67 prout; Sen. Herc. 1095 quattuor i. e. quatt"or, cf. quattor Ren. 3388 it. quattro fr. quatre. Ia = sib. + a: Zaconus C. I. L. III. 2654; io = sib. + o: Zonysius C. I. L. III. 3174 a; ie = sib + i: Zerax = Hierax Schuch. de voc. rust. serm. I. 69; vi = úvi, évi, ívi: Orcvius = Orcévius, cf. supra p. 93. Vagvius Guerin. 159 fortasse Vacvius i. e. Vacívius; Pacvius Ren. 2454 = Pacúvius; quamobrem Pompejanum illud 912: Paquius (i. e. Paq"ius) videtur esse. De cuo- quo- cuu- quu- qu- cu- co- accurate disseruit Brambachius l. c. p. 220. Universi generis uberrimam exemplorum copiam collegit Corssenus de en. [2]II. 744—769. Idem de synaloepha subtiliter egit l. c. 770 et q. sqq. Sed de illa sententia quam iis disputationibus comprobasse sibi visus est Corssenus non possum facere quin ab eo dissentiam. Nam quod dicit p. 767 et p. 764: "Die vorstehende Untersuchung hat ergeben, dass durch die Vokalverschleifung im Inlaute tieftoniger Vokal vor tieftonigem Vokal zu einem verschwindend kurzen irrationalen Laut wird. Tieftoniger Vokal vor hochbetontem Vokal schrumpft durch die Synizese ebenfalls zu einem verschwindend kurzen Laut zusammen. Hochbetonter kurzer Vokal wahrt in der Vokalverschleifung vor tieftonigem Vokal seine Zeitdauer durch die Macht des Hochtones; ist der ihm folgende Vokal von Natur lang, so wird derselbe mittelzeitig, namentlich in jambischen Wortformen, wo der Hochton der vorhergehenden kurzen Silbe darauf einwirkt, die Tondauer der tieftonigen Endsilbe zu beschränken. Hochbetonter langer Vokal vor tieftonigen Vokal wird mittelzeitig; ist dieser tieftonige Vokal sonst lang, so kürzt auch er sich minderstens zu einem mittelzeitigen irrationalen Laut." "Da der Hochton immer dem Vokal, auf dem er steht, den Vorklang und Vorrang vor anderen verleiht, so bewirkt er das auch, wenn sein Vokal mit einem folgenden tieftonigen verschmolzen wird. Sind diese beiden Vokale kurz, so behalten sie diese Tondauer auch in der Vokalverschleifung, doch tönt die hochbetonte Silbe vor. Ist der vorhergehende hochbetonte Vokal kurz, und der folgende tieftonige, mit dem er verschliffen wird, lang, was nur in zweisilbigen Wortformen vorkommt, dann kürzt sich der tieftonige Vokal mindestens bis zur Mittelzeitigkeit, wie die tieftonigen Endsilben jambischer Wortformen überhaupt durch die Macht des Hochtones der vorhergehenden kurzen Silbe", hoc neque in testimoniis grammaticorum invenit neque ex vocalium ipsorum natura neque ex vocum mutationibus neque ex metrorum ratione collegit, sed, a sua de accentibus latinis opinione profectus, quod illi consequens esset, id fuisse conjecturam fecit. Verum enim vero ex iis

quæ supra attulimus apparet non magis acutas quam graves vocales vocalibus contiguas contractionibus aut elisionibus fuisse intactas. Et quamvis acutæ vocales non protinus sint elisæ, quod negat, idque fortasse non injuria, Corss. Symb. ital. p. 449 sq.; tamen ut elidi posset acuta vocalis, sono esset aliquamdiu exili necesse erat. Accedit quod contractionis causam non ipsa acuta voce, sed universam vocem coartandi consuetudine et accentu exspiratorio contineri, demonstravimus. Sic vero contracta esse sæpissime in vulgari sermone ua uo ue ui, sæpe ia ie io iu, ut altera, quamvis acueretur, vocalis liquesceret, illis quorum altera vocalis detracta est vocibus comparandis conficitur. Idem in versus cadit. Atque ejus rei causa ipsa vocalium naturis continetur. Docent ii qui in sonorum naturis perspiciendis versantur vocalem qua appellanda fiat organum flabile vocis in ore angustius si pleniori vocali excipiantur non facile cum illa in unum coire posse nisi ut in semivocales mutentur. Sic igitur Brueckius in l. q. inscr. "Grundzüge und Systematik der Sprachlaute" p. 34: "Gehen wir aus der Stellung von Vokalen, bei denen der Mundcanal offen ist, sogenannten offenen Vokalen, in solche, bei denen er enger ist, sogenannte geschlossene Vokale über, so erhalten wir im Ganzen leicht Diphthonge — — Machen wir aber mit unseren Mundtheilen den umgekehrten weg, so fallen für unser Ohr die Vokale entweder aus einander, oder es mischt sich mit dem ersten derselben, dem, der die engere Stellung, ein consonantisches Element bei" et q. sq. Et Sieversius "Lautphysiologie" p. 89: "Unter Halbvokalen verstehn wir die unter dem Einfluss der Accentlosigkeit zur Function als Consonant herabgesunkenen Vokale — Hierbei ist aber in allen uns bekannten Fällen noch die Bestimmung gewahrt, dass der Halbvokal stets dem Ende der Vokallinie näher liegen muss, als der folgende Vokal, wenn beide einer Hälfte derselben a-i, a-u angehören, oder beide auf verschiedene Hälften vertheilt sein müssen. Es sind also nur Verbindungen von der Form ^{i}á ^{u}á, nicht aber ^{a}í ^{a}ú üblich, wohl aber ^{i}ú neben ^{u}í." Sed quod dicunt Latini grammatici Charisius p. 8 K.; Velius Longus p. 2215 P. Terentianus p. 2386 P i et u ante vocalem im consonantium vim transire, magis videtur ad primam syllabam quam ad medias voces pertinere. Quod autem de iambicis vocibus negat Corss. p. 761, 2 potuisse 'dies' 'suas' ut djes svas dictum esse, non video quid sit causæ quominus id fieri potuerit, quamquam nescio an verisimilius sit fluxam fuisse et brevissimam neque tamen evanuisse vocalem vim pænultimæ, sic fere: d^{i}es s^{u}as. Ac fortasse tamen acutus accentus in eadem sede mansit sic: d^{í}es s^{ú}as. Nam ut in cantibus sunt brevissimæ quædam et irrationales anacruses nonnumquam sono altiori, sic etiam

in vocibus appellandis altitudo cum summa brevitate conjuncta esse potest. Ut i, quamvis breve sit, sono suo tenui et acuto appellari potest. Neque vero probabile est, quod statuit Corssenus, terminationes horum quæ sunt 'dies suas' aut ullas ejusdem generis, in quibus discrimina casuum posita sint, quæque semper ab omnibus poetis sint productæ, in synizesi, ut plus temporis daretur pænultimæ, corripi. Quod attinet ad hæc quæ sunt ar'ete ten"ia apertum est, quemadmodum par'etibus, item dici ar'ete, ut gen"a, ita ten"ia. Atque u et i, quamvis acutæ fuissent syllabæ, ante aliam vocalem tamquam liquefacta in semivocalem episynalipha abiisse ex hoc quoque conficitur quod dicit Charisius inst. p. 12 et 13 K: "syllabæ positione longæ fiunt his modis: — — — — item si post brevem vocalem subjuncta sit consonanti vocalis et correptam vocalem habeat consequentem, ut "parietibus textum cæcis iter" (Verg. Aen. 5. 589). Nam quamvis plerumque verum sit, quod dicit Terentianus p. 2398 P "media post consonantem cum datur vocalis I, U dein si consequatur, syllaba una non erit, Ut pius quum dico, dius, ocius vel Cælius"; tamen Lachmannus in commentario Lucretiano, multis exemplis allatis, p. 129 et cett. locis, ostendit i vel u, quod ante vocalem, plenæ vocalis potestate amissa, in consonam mutarentur, et, cum priscam synecphonesin non consecuta esset positio, apud posteriores poetas tamquam pinguescerent, eam ob rem cum proxima consona ad producendam præcedentem syllabam valuisse.

Ex his igitur quæ nunc disputavimus efficitur neque ex ictibus poeticis neque ex mutationibus vocum, sive a principio latini acuti accentus summum ictum ita proprium fuisse, ut post in erudito sermone et in poesi disciplina græcorum mollior fieret vox et æquabilior, sive accentus vim et intentionem inde a prima litterarum ætate sensim auctam esse statuas, quidquam argumenti cur in acuta voce omne latinas syllabas proferendi pondus situm esse judices, vere duci. Neque enim ante infimam latinæ linguæ ætatem, qua omnia quantitatis discrimina perturbata sunt, factum est, ut acutus accentus omnes syllabarum ictus attraheret; quamquam id non repente factum est, et nascentis etiam illius corruptionis nonnulla exstant signa. Verum de integra et germana latinitate aliter judicandum est. In qua vidimus acutum accentum cum spiritus ictu plerumque conjunctum esse illum quidem, sed maximam partem vocum polysyllabarum pluribus ictibus elatam esse, pariaque fere fuisse ictuum momenta, ut in summa numerorum varietate lenitas quædam æquabilis latinæ vocis fuerit. Non igitur multum ab iis dissentio qui acutum accentum latinorum spiritus ictu non caruisse arbitrantur,

sed illud, quod non viderunt, tenendum esse censeo: acuta syllaba non contineri omnes latinorum vocabulorum ictus; et acutas syllabas, cum ictu percutiebantur, fere pari momento fuisse atque ceteras quæ exspiratorio accentu efferebantur. Illud igitur quod de ictibus syllabarum dudum obscure cernebamus, quale sit, hac quæstione, etsi nondum est ad finem perducta, magis apparet. Tamen antequam cetera persequamur, singulos locos ad hanc rem pertinentes scriptorum latinorum inspiciemus, ut illa, quæ locis jam allatis infinite significata sunt, collatis aliis illustrentur et quid de iis existimandum sit, patefiat. Ita denique hæc res certa nobis et perspecta erit.

Quamquam igitur ictu vocis acutæ syllabæ latinæ sæpissime pronuntiabantur, mirum forsitan videatur, quod, quantum, cognitis antiquorum de accentibus testimoniis, videmus, latini grammatici cum accentuum vi in acumine et flexu vocis positam esse docent, de ictibus nihil addunt; nisi quod quidam postremæ ætatis tum plus minusve sonando accentus definiunt, tum ad arsin thesinque vel ad productionem et correptionem vim eorum referunt — quos a prioribus discrepare pp. 56 et 47 vidimus, cur autem discrepent ex iis quæ p. 97 et q. sq. disputavimus, apparet. In eo numero est Servius, cujus locum in Donat. 426 K. ad suam sententiam confirmandam attulerunt Hewittius Keyus ap. Ellisium l. c. p. 149 [1]) et Schoellius p. 17. Illud quod dictum est a Nigidio Figulo ap. Gell. X, 4, 4 "'vos' spiritu animaque intenta, 'nos' neque profuso intentoque flatu vocis neque projectis labris pronuntiari," ad exspiratorium quem diximus accentum pertinet, ad acutam aut gravem vocem non item, et quoniam monosyllaba sunt ea exempla, non agitur ab eo de syllabæ accentu, qua syllaba præter ceteras intendatur, sed de accentu sententiæ vel universæ vocis vel, ut Nigidii verbis utar, de motu oris cum ipsius verbi demonstratione convenienti.

---

[1]) Ellisius l. c.: "Servius on Donatus (p. 426, I. 16 of Keil's edition): "Accentus in eā syllabā est quæ plūs sonat, quam rem dēprehendimus sī fingāmus nōs aliquem longē positum clāmāre: invenīmus enim nātūrālī ratiōne illam syllabam plūs sonāre quæ retinet accentum, atque usque eōdem nīsum vōcis ascendere." "Here, says Prof. Key, "*nīsum vōcis* seems a precise equivalent of *stress*." But this only shews the vagueness of the word *stress*, for *nīsus* means *effort*, which is as much required for increasing pitch as for increasing force, but in a different way (Art. 6). The illustration from shouting (clāmāre) would make accent depend on penetrability, and that is very much conditioned by increasing pitch. Servius, however, was of the fifth century A. D. and so-called accentual hexameters were composed in the third (see the subsequent) note to this Article)." Servium 500 p. C. annos L. Mueller, alii, 400 annos fuisse, docent; qui carmina sua ad antiquiorum leges dirigebat; sed in artificio positum id illa ætate quadam ex parte quidem erat.

Quod etsi minus necessarium videtur, contra id quod l. c. p. 18 disp. Schoellius moneo. Ne inde quidem quod Grammatici latini intentione accentum definiunt, id quod volunt Langenus l. Phil. c. p. 103 et Schoellius l. c. p. 18 videtur effici. Nam quod dicit Schoellius l. c. quia Cledonius ab intentione vocatos tenores dixerit, id testimonis esse acuti accentus vim majorem propriam fuisse, et vere sane addit "antiqui enim tantum abfuisse, ut sibi contraria esse acutam intentamque vocem arbitrarentur ut potius effici intentione acutum sonum existimarent," tamen dubito num veram inde illam collegerit opinionem. Intentionem enim fidium ad altitudinem, non ad vim sonorum pertinere, quis nescit? Atque ipsa vocis altitudo intentione chordarum vocalium sive numero vibrationum continetur. Quoniam autem intendendi plus una vis est, aliter dicitur spiritum intendere sive vehementius inferre, — ut loco illo Nigidii et Quintil. XI. 3. 17 "præter differentiam acutæ gravis flexæ, tum intentis, tum remissis modis opus est;" quamquam illud Quintiliani magis fortasse ad universæ sententiæ modulationem quam ad singulas voces refertur, — aliter sonos vel chordas vocales intendere, ut Diomedes 430 K. "Accentus est acutus vel gravis vel inflexa elatio orationis vocive *intentio* vel *inclinatio* acuto aut inflexo sono regens verba." Item a Græcis ἐπιτείνειν duplici significatione ponebatur; sic Dion. Halic. de comp. v. c. 11 p. 58 R οὐκ ἐπιτείνεται i. e. in altitudinem escendit πέρα τῶν τριῶν τόνων, id. p. 75 R dicit productis vocalibus pronuntiandis spiritum intentum esse (ἐπιτεταμένον). Hæc autem verba Quintiliani XI. 3. 42. "Nam vox, ut nervi, quo remissior, hoc et gravior et plenior; quo tensior, hoc tenuis et acuta magis est. Sic ima vim non habet, summa rumpi periclitatur. Mediis igitur utendum sonis, hique, cum augenda intentio est, excitandi: cum submittenda, sunt temperandi," ad actionem oratoriam, id est ad universam vocis moderationem, quæ in perpetuitate orationis et contextu sententiarum versatur, spectant (cf. §§ 39—41). Ejusmodi autem res sunt oratoribus, quacunque lingua utuntur, observandæ, neque ad acutos aut graves aut circumflexos accentus singularum syllabarum referuntur. Quod Langeni causa moneo. Quamobrem quoniam adcantu vocis non continebantur ictus syllabarum, in accentus non reponebantur, nisi a postremis, suumque habebant locum et peculiarem, nam erat apud antiquos ars propria rhythmorum, in qua de ictibus præcipiebant. Sed quæ de numeris præcepta sunt antiquorum, ea primo aspectu videntur repugnare. Quintilianus enim dicit numeros semper sibi similes esse IX. 4. 50 "quo modo coeperint currere usque ad μεταβολὴν, id est transitum in aliud genus rhythmi" et ib. 56 "nec habere ullam in contextu varie-

tatem, sed qua coeperint sublatione ac positione ad finem semper decurrere." Cicero autem de Or. III. 186 "distinctio et æqualium et sæpe *variorum* intervallorum percussio numerum conficit." Deinde finem habere certum numeros negat Quintilianus l. c.; Aristoteles dicit certo fine terminari, Ar. Rhet. **Γ** 8: ***τὸ δὲ ἄῤῥυθμὸν ἀπέραντον· δεῖ δὲ πεπεράνθαι μέν, μὴ μέτρῳ δε· ἀηδὲς γὰρ καὶ ἄγνωστον τὸ ἄπειρον.*** Hæc denique videntur discrepare: Cic. Orator. 186 "numerus autem non domo depromebatur neque habebat aliquam necessitudinem aut cognationem cum oratione;" et quod id. de Oratore III. 184 et q. sqq. dicit, natura numeros in omni sermone inesse, cf. Or. 189, Quint. IX. 4. 60; sed in promptu est illo loco artificiosam numerorum compositionem, his locis ipsos numeros dici. Atque etiam illæ discrepantiæ magis in verbo quam in re positæ sunt. Nam ita de numeris disserunt antiqui, ut modo syllabarum eum contextum quo fiant pedes, modo pedum, quo membra conficiantur orationis, intelligant. Universe Plato de legg. II. 580 D rhythmum definit ***τάξιν τῆς κινήσεως***; apparet autem si qui motus certo et eodem i. e. uno ordine procedunt, in quo genere sunt motus saltantium aut remigantium, cum semper similes sint et paribus spatiis contineantur, eos nullum in ipso numero positum habere finem, singula igitur et paria spatia temporibus et intervallis distinguuntur, universus autem motus est ***ἀπέραντος***. Quoniam autem illi motus sibi ipsi similes sunt et æqualiter continuantur, antiqui, ut nostri vocem q. e. 'takt' utraque significatione, ita et singulos motus et continuationem eorum rhythmum appellabant. Hac significatione universa et generali et non tam ad orationem quam ad quosdam cantus et ad saltationes accommodata interpretatus esse videtur rhythmos et Marius Victorinus p. 2484 P et Quintilianus I. 10. 22 et aliis locis et ii quos in Ciceronem calumniam adhibuisse, numeros illum non vere dixisse oratorios, Quintilianus IX. 4. 57 mentionem facit. Sin autem varii numeri contexti sunt, se in vicem terminent necesse est. Atque in eo genere sunt numeri oratoris et poetæ. Uterque autem numerus duplex est. Nam in utroque genere sunt membra et partes membrorum: in poesi partes versuum et versus singuli aut plures membratim conjuncti, oratio si non omnis, at si qua erat numerosior, incisis et membris quæ Græci ***κῶλα*** et ***κόμματα*** dicebant, composita erat. Cic. Or. § 211 Longin. VII. p. 890 Sp.; denique et poesis et orationis membra *pedibus* et quidem genere iisdem dividebantur. Pedes autem quos intellexeriat antiqui illi jam diximus, i. e. singulos numeros quibus fieret oratio numerosa. Nam cum numerorum notio ad orationem translata esset et Phædrus syllabis numerosam orationem esset mensus, Aristoxenus demonstravit, numeros orationis

pedibus, non syllabis confici; scilicet in generali syllabæ vi neque modulatio per positiones et sublationes facta neque spatium temporis neque intervalla inerant. Itaque universe numerus orationis pes dicebatur Dion. Hal. c. 17 p. 104 R. *τὸ δ᾽ αὐτὸ καλῶ πόδα καὶ ῥυθμόν*. Præterea de pedibus dissentiebant Grammatici. Nam pedes faciebant multi eos quæ plus duas syllabas neque plus tribus, quamobrem Cic. Or. § 218 dicit fuisse controversiam, pro pede an pro numero (i. e. pro numero numeris, i. e. pedibus, juncto; nam Ciceroni quoque pes ipse numerus est) pæan et dochimus haberetur, cf. Quint. IX. 4. 79. Dionys. Halic. l. c. quicumque rhythmus verbo non monosyllabo conficeretur, eum pedem dixit; aliter id. ib. p. 111. Pedem autem ita vocat Cicero, ut numerum eadem significatione dicat, præsertim si ipsam per arsin thesinque factam modulationem exponit, sic de Or. III. § 185, Or. § 215 cett. Ille autem numerus qui in tractu orationis versabatur, collocatione efficiebatur numerorum vel pedum et in arte positus erat. Et suos accentus vel vocis inclinationes habebat hæc numerosa orationis complexio Cic. de Or. III. § 224, 225, et intentiones remissionesque spiritus ib. 216 Quint. XI. 3. 40 et q. sq. XII. 10. 66, et intervalla Quint. IX. 4. 51 Cic. Or. § 187. Cum autem duo sint genera compositionis, poeticum et oratorium, hæc discrimina interesse dicuntur, quod in poesi rhythmorum parilis divisio sit, in soluta oratione non item, et cum omnium horum numerorum proprium sit quodam modo finiri, eam tamen finitionem in soluta oratione insignem esse non debere. Arist. l. c. *ὁ (ῥυθμὸς) δὲ τοῦ σχήματος τῆς λέξεως, οὗ καὶ τὰ μέτρα τμητά, διὸ ῥυθμὸν δεῖ ἔχειν τὸν λόγον, μέτρον δὲ οὔ, ῥυθμὸν δὲ μὴ ἀκριβῶς· τοῦτο δὲ ἔσται ἐὰν μέχρι τοῦ ᾖ.* Finitio autem et ordo artissime cohærent, cf. Quint. IX. 4. 46 "rhythmi, id est numeri, spatio temporum constant; metra etiam ordine: ideoque alterum esse quantitatis dicitur, alterum qualitatis." Quamobrem ad rhythmum ipsum (i. e. non ad pedes, verum ad eorundem pedum compositionem i. e. tertium illud genus rhythmi, de quo supra p. 111 mentionem fecimus) sitne anapæstus an dactylus indifferens esse dicit; ad metrum non item Quint. ib. § 48. Marius Victor. 2493 P "metrum est compositio pedum ad certum finem deducta, vel rhythmus modis finitus." Ad *contextum* igitur pedum id pertinet. Item illud ad *seriem* pedum refertur quod in poesi iidem numeri certo ordine recurrunt Quint. ib. § 60 "versus semper sibi similis est, orationis compositio varia;" nam in soluta oratione quoniam spatia temporum non pariter dividuntur, ne arsium thesiumque quidem æqualis est proportio. Qua in re positum est quod non modo remissiores et laxiores esse solutæ orationis numeri dicuntur, sed etiam dubitabant nonnulli,

num ad orationem numeri vere adhiberi possent. Nam junctio numerorum sive pedum sermonis minus ad certas formulas redigi potest. Quamobrem cum modo sermo vulgaris et Herodotus et eadem superiorque ætas numeris caruisse dicitur, modo numeri in sermone natura inesse, hoc ad ipsos pedes, illud ad aptum et æquabilem pedum contextum refertur. Intermedium igitur locum inter vulgarem sermonem et metra compositæ orationis numeri tenent. Dionys. c. 25: *ἡ λέξις εὔρυθμος μέν ἐστιν, ἐπεὶ πεποίκιλταί τισι ῥυθμοῖς, οὐκ ἔρρυθμος δὲ, ἐπειδὴ οὐχὶ τοῖς αὐτοῖς οὐδὲ κατὰ τὸ αὐτό.* Apparet igitur in compositione et in finitione et in æquabilitate pedum, non in ipsis pedibus discrimina carminum et solutæ orationis posita esse dici. Constat incredibilem fuisse in Græcis et Romanis hominibus sensum et judicium numerorum. Dion. Hal. c. 18 et q. sqq. Cic. de Or. III, 195 "omnes enim tacito quodam sensu sine ulla arte aut ratione quæ sint in artibus ac rationibus recta ac prava diiudicant; idque cum faciunt in picturis et in signis et in aliis operibus, ad quorum intelligentiam a natura minus habent instrumenti, tum multo ostendunt magis in verborum, numerorum vocumque judicio; quod ea sunt in communibus infixa sensibus, nec earum rerum quemquam funditus natura esse voluit expertem. Itaque non solum verbis arte positis moventur omnes, verum etiam numeris ac vocibus. Quotus enim quisque est qui teneat artem numerorum ac modorum? At in his si paullum modo offensum est, ut aut contractione brevius fieret aut productione longius, theatra tota reclamant". Cic. Or. §. 173. Parad. 3, 2. Quamobrem magnum esse dicit Cicero oratoriis numeris excellere, non modo quod evitandum sit, ne aures satientur nimia similitudine, aut numeri studio quæsiti videantur, sed etiam quod orator certam regulam poetæ non sequens, aurium voluptate ac judicio numeros definiat. Illud vero rhythmi studium nullum fuisset, nisi ipsius linguæ natura ei ansam et alimenta dedisset; nam ut gentis in sua cujusque lingua sensus quidam pulchritudinis quodammodo elucet, sic ipsa lingua ad aures populi fingendas maximam vim habet. Ita factum est, ut alia esset in antiquis illis linguis, atque est hodie in nostris, poetici et soluti rhythmi ratio. Nam in his linguis carmina et soluta oratio, si a clausula similiter cadenti discesseris, eo differunt quod in soluta oratione numeros fere nullos quærimus, carminum numeri in acuti et exspiratorii accentus conjuncta vi positi simplices et fere uno tenore procedunt. Græci autem et Romani in carminibus et in soluta oratione numerorum rationem sequebantur; minus restrictam scilicet in soluta oratione, sed tamen quæ inesset in omni oratione. Cf. Cic. Or. 203. "Ita si numerus orationis quæritur qui sit, omnis est, sed alius alio melior atque aptior; si locus,

in omni parte membrorum; si unde ortus sit, ex aurium voluptate, si ad quam rem adhibeatur, ad delectationem, si quando, semper, si quo loco, in tota continuatione verborum; si quæ res efficiat voluptatem, eadem quæ in versibus, quorum modum notat ars, sed aures ipsæ tacite eum sensu sine arte definiunt." Neque vero versus diverbiorum a sermone multum aberant. — "At comicorum senarii propter similitudinem sermonis sic sæpe sunt abiecti, ut nonnumquam vix in eis numerus et versus intelligi possit." Or. 182 Cic. de Or. III, §. 182. Arist. Rhet. l. c.: *"ὁ δ' ἴαμβος αὐτή ἐστιν ἡ λέξις ἡ τῶν πολλῶν"*. Poet. c. 4 p. 1449 A. Hor. A. P. v. 90. Et rursus quemadmodum epicorum et lyricorum carminum, ita orationis historicorum et eloquentissimorum hominum fuerunt numeri graviores et exquisitiores. Quo nomine multis laudibus effert Dionysius c. 18 Thucydidem, Platona, Demosthenem, item Hortensio eam laudem tribuit Cicero in Bruto §. 302. Fuit igitur in oratione latina sive metris astricta sive soluta numerorum et sensus et studium. [1]) Et videmus collocatione numerorum alterum ab altero differre. Nam pedes eosdem fuisse et utriusque generis communes multis testimoniis confirmatur. Flav. Sos. Charisius ap. Rufinum p. 2719 P "Bacchium metrum tale est: 'Bacchare, lætare præsente Frontone'. Hoc videtur ad prosam convenire. Et sane multis pedibus in oratione utimur, licet stulti putent liberum a vinculis pedum sermonem prosæ esse debere". Cic. Or. §. 190 "Sit igitur hoc cognitum, in solutis etiam verbis inesse numeros, eosdemque esse oratoris qui sint poetici." Eandem esse Græcæ linguæ rationem, satis signi est quod Dion. H. p. 115 R hæc verba Thucydides numeris sic descripsit *Ὡς καλὸν | ἐπὶ τοῖς | ἐκ τῶν | πολέμων | θαπτομέ- | νοις ἄγο | ρεύες | θαι* i. e. cretico anapæsto spondeo anapæsto duobus dactylis spondeo clausula, et alia similiter. Item illa re hæc poeticorum et solutorum pedum similitudo confirmatur quod vitio tribuerunt oratoribus grammatici si qui versus imprudentia in orationem incidisset. Quod illis vitio non vertissent, nisi in promptu fuisset, nam si aliter solutam orationem, aliter recitassent metra, metrici illi numeri aures effugissent. Cic. Or. §. 189 "incidere vero omnes numeros in orationem etiam ex hoc intelligi potest, quod versus sæpe in oratione per imprudentiam dicimus — quod vehementer est vitiosum; sed non attendimus neque exaudimus nosmet ipsos" (sic enim ea legi sententia postulat, non nosmet ipsi) —; et q. sq. Id. Or. 222 "Ex hoc genere illud est Crassi: 'missos faciant patronos; ipsi

---

[1]) Item ap. Græcos, cf. Dion. H. de Comp. verb. c. 11 p. 55 R. et alibi. De Romanorum illo studio v. Cic. or. 198 "in dicendo nihil est propositum nisi ut ne immoderata aut angusta aut dissoluta aut fluens sit oratio."

prodeant; nisi intervallo dixisset: ipsi prodeant,' sensisset profecto se fudisse senarium." Diom. 468 K. "Adeo non desunt qui Ciceronem reprehendant quod in principio divinationis metrum fecerit Sotadium: 'si quis vestrum iudices aut eorum qui adsunt', 'etsi vereor judices' et 'animadverti judices', principia esse Sotadia'; et in Pisonem a trimetro coepisse 'pro dii immortales, qui hic inluxit dies'; Salustium quoque in principio Jugurthæ a rhythmo coepisse (omnis homines qui sese student præstare)". Nulli versus illis locis fient, nisi ictus suos verbis reddideris sic: iúdices, inlúxit díes, stúdent. Quod si ita rem se habet, apparet, iisdem fere ictibus in carminibus et in soluta oratione voces enuntiari solitas esse; et ex carminibus quoque exspiratorii accentus latini cognitionem duci. Nam nativos fuisse et in ipsorum verborum natura positos numeros quibus et prosa oratio et carmina componebantur et ex iis quæ jam allata sunt conficitur et multis testimoniis comprobatur. Cic. Or. 227 "Numerus autem (sæpe enim testandum est) non modo non poetice junctus; verum etiam fugiens illum eique omnium dissimillimus, non quin eidem sint numeri, non modo oratorum et poetarum, verum omnino loquentium" — cett. Quintil. IX, 4, 60. Id. §. 79 "Omnis oratio pedibus consistit." Cic. de Or. III, 182 Nam cum sint numeri plures, iambum et trochæum frequenter segreqat ab oratore Aristoteles, Catule, vester, qui natura tamen incurrunt ipsi in orationem sermonemque nostrum. Non modo universum numerum trochaicum et iambicum hoc loco dici, sed etiam pedes singulos apparet si conferas Cic. de Or. III, 191 "Neque vos pæon aut herous ille conturbet. Ipsi ocurrent orationi, ipsi, inquam, se offerent et respondebunt non vocati". Cic. Orat. 188 "Ita fit æqualis dactylus, duplex iambus, sesquiplex pæon; qui pedes in orationem non cadere qui possunt? quibus ordine locatis quod efficitur numerosum sit necesse est". Diomedes compositionem verborum per pedes factam non modo ad eloquentiam, sed ad communis sermonis cognitionem refert; qui (p. 465 K) duo genera facit, alterum quod ab arte rhetorica trahatur (incisorum membrorum periodorum) — "alterum", inquit, "ad officium artis grammaticæ refertur, hoc est ad pedes, si quidem adsumpta pedum imagine omnis orationis clausula struitur." Idem cum quibus pedibus decenter struatur oratio quærit, hoc addit "neque enim de metro quæritur, ut necessitas naturam cogatur imitari (i. e. in producendis positione syllabis), sed de prosa oratione tractatur, quæ tam soluta et libera est tamque omnibus dicendi opibus (i. e. h. l. numerorum varia copia) instructa ut non servire verbis, sed imperare videatur." Cic. Or. 183 "Esse ergo in oratione numerum quendam non est difficile cognoscere. Indicat enim sensus; in quo ini-

quum est quod accidit non cognoscere, si cur id accidat reperire nequeamus. Neque enim ipse versus ratione est cognitus, sed natura atque sensu, quem dimensa ratio docuit quid acciderit. Ita notatio naturæ et animadversio peperit artem. Sed in versibus res est apertior, quamquam etiam a modis quibusdam cantu remoto soluta esse videtur oratio, maximeque id in optimo quoque eorum poetarum, qui λυρικοὶ a Græcis nominantur, quos cum cantu spoliaveris nuda pæne remanet oratio." Simplicissimi autem ejus rhythmi exemplum addit ex Enni Thyeste sumptum, quod pæne omnibus careat incisionibus verborum. Ex his igitur apparet verba in omni oratione eosdem sonos habuisse; neque metris neque artificiosa oratorum compositione numeri nativi mutabantur. An Ciceronem legis sermonis mutasse censemus, qui ipse dicat, se usum loquendi populo concedere? Cur autem antiquiores illi numeris (i. e. apta numerorum compositione) caruissent ipse caussam affert, illos sententias aut vinxisse aut explevisse parum (Or. 168). Jam demonstravimus cur opinio eorum qui sentiant, disciplina et artibus Græcorum imbutos, posteriores poetas et oratores accentui illi priscæ latinitatis minorem vim dedisse cum verba quantitate modularentur, consistere non possit. Cf. Quint. IX, 4, 89: "verba neque augeri neque minui neque sicut modulatione produci aut corripi posse". De Græcis cf. Dion Halic c. 17 p. 104 R "πᾶν ὄνομα καὶ ῥῆμα καὶ ἄλλο μορίον λέξεως ὅτι μὴ μονοσύλλαβόν ἐστιν, ἐν ῥυθμῷ λέγεται." Jam satis attulisse videor cur numeri et poetici et oratorii, qui singulis pedibus sunt iidem, in ipso sermone infuisse putandi sint. Illud etiam videmus, pedibus nativos illos sermonis numeros Græcos et Romanos mensos esse. Sequitur, antiquorum de exspiratorio latino accentu testimonia iis quæ de pedibus præcipiuntur a Latinis grammaticis et rhetoribus contineri. A Diomede A. G. III, 474 K pes sic definitur: "pes est sublatio ac positio duarum aut trium ampliusve syllabarum spatio comprehensa; pes est poeticæ dictionis [1]) duarum ampliusve syllabarum cum certa temporum observatione modus, recipiens arsin et thesin (i. e. remissionem et intentionem) i. e. qui incipit a sublatione, finitur positione; pes ergo tunc dicitur, ubi duæ sunt syllabæ, quoniam arsin et thesin in pedibus quærimus, non ubi duo tempora sunt." Pedes autem distinguuntur ictu et remissione et temporibus.

---

[1]) Hoc addidit: "pedem esse poeticæ dictionis modum", quia nullus certus pedum modus solutæ orationi dari potest, metra autem suis pedibus certo ordine descripta sunt. Præterea pedes omnis orationis communes facit.

Intervallis (quæ ἀναπαυλαί dicuntur a Dion.) pedes qui perpetuitate orationis sibi succedunt, finiuntur. Cic. de Or. III, 185, 186, Orat. 194. Ad usum compositionis etiam oratorium intervalla adhibita sunt, ne ex continuis pedibus versus fierent Cic. Or. 194, 222; Quint. IX, 4, 108; atque hinc efficitur intervalla illa pedum in confinio verborum apud oratores posita esse. Versuum autem, qui ad præscripta metra componebantur, non plane eadem erat ratio, quamquam etiam versuum majora erant quædam in verborum divisione. Nec tamen illud discrimen ita tenendum est, ut omnes pedes singulis verbis contineri censeamus. Sæpe quidem verba interpunctis illis brevissimis, ut in aliis linguis, ita in latina dividebantur: Quintilianus IX, 4, 97 "illud est quod supra dixi, multum referre uno verbo pedes sint duo comprehensi, an uterque liber. — Est enim quoddam in ipsa divisione verborum latens tempus, ut in pentametri medio spondeo, qui nisi alterius verbi fine, alterius initio constet, versum non efficit." Diomed. 469 K "trochæus quoque in clausula bene ponitur — et amphibrachys — et anapæstus, 'impetus fecit', sane quotiens una pars orationis anapæstum et trochæum receperit, malam et quasi lubricam structuram dabit, ut 'archipirata' et 'parricidarum', quamvis enim idem pedes eademque sint tempora, tamen ubi duæ sunt partes orationis nescio quomodo in utriusque confinio retentus spiritus ac restitutus adfert quandam compositioni firmitatem, at in una parte orationis properare verba et continua spiritus celeritate labi videntur, sic fit ut trochæum quoque, tametsi bene tribrachys antecedit, ut 'refero causam' 'facite vota', tamen in una parte orationis, quæ totidem pedum totidemque temporum sit, mollior ac fluxior structura ducatur, ut 'facilitatis agilitatis temeritatis'." Sed cum vocales sunt in confinio synalipha coalescunt, et, quia continua est vox, pedes per bina verba pertinent. Ut 'ære emit' 'illi incubuit' Diom. p. 467 K. "Quod quidem Latina lingua sic observat, nemo ut tam rusticus sit qui vocales nolit conjungere" Cic. Or. §. 151. Quintil. XI, 3, 34 "Nam et vocales frequentissime coeunt et consonantium quædam insequenti vocali (at pro exemplo consonantis obscuratæ unum m adiecit: 'multum ille et terris'). Certe, ut in nostra lingua, ita in latina brevissima fuerunt et occulta illa intervalla; nam eas tantum distinctiones quas sensus aut respirandi necessitas postularet permissas esse docet Quintilianus XI, 3, 39 "alioqui si inscite recipiatur (spiritus) non minus afferat obscuritatis quam vitiosa distinctio." Si ultima littera verbi insequenti primæ facta est adsimilis, id quod in particulas et in pron. sæpe cadit, ut 'aliquod dies' Phorm. 159 pro 'aliquot dies', aut initium insequentis destractum, ut 'ste, 'stos, manifestum est, intervallum fuisse nullum. Porro sæpe fuisse illa intervalla evanida et verba

verbis applicari solita esse, auctor est idem Diomedes p. 466 "hiat (vocalium) iunctura, quæ structior pleniorque fieret, si consonantes vocalibus applicarentur 'ære mercatur'; 'illi totus incumbit'. Ex hoc autem loco p. 467 colligitur consonas quidem sæpe intervallis divisas esse: "item ex consonantibus quæ in se incidentes stridere et quasi rixari videntur vitanda iunctura est, ut 'Sextus Roscius' rex Xerxes' 'error Romuli';" tolleretur enim asperitas si altera littera non explanaretur, et binæ r intervallo divisæ majorem habent molestiam quam r geminata vel producta. Rhetores autem cum verba alicujus oratoris pedibus definiunt, vel verba ipsa, — ut Rufin. de metr. com. p. 2724 "trochæus et pæan tertius faciet illam structuram Tullio peculiarem 'esse videatur'," eandem rationem sequuntur Cicero Quintilianus Diomedes, — vel seriem pedum ita exponunt ut singulis verbis pedes non definiant. Eam rationem Dion. Hal. sequitur, et Pomp. Mess. ap. Ruf. l. c. 2722 hanc Sallustianam periodum sic numeris descripsit: 'Rēs pŏpŭ | lī rō | mānī | Mārcō | Lĕpĭdō | Quīntō | Cătŭlō | cōnsŭlĭbŭs | āc dĕīndĕ | mīlĭtī | æ et dŏmī' (quoniam Rufinus pedes nominavit, percussiones scriptura exsecutus sum). Cum dicit Quintil. IX, 4, 68: "numeros in contextu orationis spiritu sustinendo distinctos esse", videtur magis seriem pedum, quam singulos pedes respicere.

Sed sive singula verba sive numerum perpetuæ orationis pedibus describebant rhetores, *ictus* iidem erant unius cujusque verbi, quoniam et quantitate, quæ constans esse solet, et ordine syllabarum pressiones spiritus contineri jam ostendimus, et in exemplis ipsis manifestum est, quamobrem utriusque generis testimonia de pressionibus spiritus pariter valent. Ut cum dixit Cic. de Or. III, 182 "iambum et trochæum sæpe in sermonem incurrere", fortasse crediderit quispiam ab eo numerum ipsum iambicum vel trochaicum, non singulos pedes dictos esse. Sed id discrimen nihil refert ad id quod quærimus. Quoniam enim pedes non acuto accentu, sed tempore et numero definiuntur, apparet, cum pedes dicantur esse metrorum et solutæ orationis communes, utriusque generis pedes percussionibus esse adsimiles. Ergo, cum iambi et trochæi ictus sit in longa syllaba positus, sequitur, non modo in carminibus, sed etiam in sermone dictum esse vérŭs pænultima, dómō ultima syllaba pressione spiritus percussa. Quamquam nescio an satis sit hæc breviter commemorasse, tamen, cum hujus ætatis grammatici neque quantitatis discrimina quæ sint gravium syllabarum neque ordinem ipsum ad vim spiritus quidquam pertinere existiment, fortasse inutile non erit in hac quæstione paullum commorari, et quid de arsi et thesi doceant grammatici cognoscere. De pressionibus igitur hæc testimonia sunt: Cic. de Or. III, 185 "numerosum est in om-

nibus sonis atque vocibus, quod habet quasdam impressiones et quod metiri possumus intervallis æqualibus"; cf. 186 "distinctio et percussio numerum conficit". Quint. IX, 4, 48. Cum dicit Diomedes 474 K "certa temporum observatione pedem arsin et thesin recipere", hæc dicit: et certum esse pedis spatium, nam temporum ratione discrimina pedum consistere; nec tamen universam pedum vim in quantitate esse positum, nam et omnibus brevibus aut longis pedes conficiuntur quidam (⏑ ⏑ ⏑, ⏑ ⏑, – –, – – –), quorum numeri magis arsi et thesi, quam quantitate syllabarum continentur; quamquam in singulis pedibus ad arsin thesinque pertinere, quæ sit ratio cujusque syllabæ et quantitas vel qui sit ordo vel numerus syllabarum, jam demonstravimus. Atque etiam ad sonum proprium et suum cujusque pedis ea magni momenti sunt cf. Diom. 476 K "acres quæ ex brevioribus ad longas insurgunt, tenuiores quæ a longis in breves descendunt"; aliam iambus, aliam herous pes vim habere dicitur. Item etsi certum sit pedis spatium, tamen magis in arsi thesique quam numero syllabarum vim pedis consistere dicit his verbis: "pes ergo tum dicitur quando duæ sunt syllabæ, quoniam arsin et thesin in pedibus quærimus, non ubi duo tempora sunt." Mar. Vict. p. 2484 P definitione leviter rem attingit: "Rhythmus est pedum temporumque junctura velox, divisa in arsin et thesin (in 'arsi et thesi' libr.) vel tempus quo syllabas metimur". Id. ibid.: "arsis: elatio temporis soni vocis, thesis depositio et quædam contractio syllabarum". Is igitur et spiritum et quantitatem respicit. Martianus autem Capella X, p. 974, qui sic: "arsis est elevatio, thesis depositio vocis ac remissio", spiritus vim ab acuta voce non sejunxit (cf. quæ de Martiano supra diximus p. 56). Fere eodem modo Terentianus p. 2412 "Parte nam attollit sonorem, parte reliqua deprimit, Ἄρσιν hunc Græci vocarunt, alteram contra θέσιν". Cujus versus cum de metro disserit, ipsi indicio sunt, sensum veterum et germanorum latinorum numerorum jam illa ætate obtunsum fuisse. De propria et de abusive mutata significatione verborum q. s. 'arsis' et 'thesis' cf. Christium de Metr. p. 43. Sed id discrimen in verbo solo positum est. Idem cum dicit Sergium, Terentianum Maurum, Pompejum errore ductus priorem partem cujusque pedis arsi, posteriore thesi assignare, ejusdem erroris participem nominare potuit etiam Diomedem. Qui error nescio an inde profectus sit, quod cum pes numerus dicatur, hanc numeri significationem cum illa qua numerus generatim motus ordine quodam decurrens dicitur, confuderint. Nam recte Quintilianus IX, 4, 48 "rhythmus tempus solum metitur, ut *a sublatione ad positionem* iisdem sit spatiis pedum". Præterea, ut intelligantur ea quæ de arsi et thesi tradunt grammatici latini, tenendum, duplicem esse horum nominum significationem. Ac Mar. Vic-

torinus p. 2482 eam rem reddidit duplici definitione, et hac: "arsis igitur ac thesis, quas Græci dicunt, id est sublatio ac positio, significant pedis motum; est enim arsis sublatio pedis sine sono; thesis positio pedis cum sono"; et illa: "arsis est elatio temporis soni vocis; thesis depositio et quædam contractio syllabarum". Quamobrem cum ille arses thesesque pedibus sic adsignat: pyrrichio ⏑́ ⏑ aut ⏑ ⏑́ spondeo –́ – aut – –́ trochæo –́ ⏑, iambo ⏑ –́ dactylo –́ ⏑ ⏑ anapæsto ⏑ ⏑ –́ tribrachyi ⏑⏑ ⏑ aut ⏑ ⏑⏑ cretico –⏑ – aut – ⏑– molosso –– – bacchio ⏑– – palimbachio – –⏑ amphibrachyi ⏑– ⏑ aut ⏑́ – ⏑; quæ de pyrrichio spondeo trochæo anapæsto iambo dactylo tribrachye tradit et in ictum remissionemque et in sublationem positionemque pedis cadunt. Illa autem quæ de cretico bacchio palimbachio tradit, non ad ipsum ictum singularum longarum aut binarum brevium syllabarum, sed ad sublationem et positionem referuntur. Nam sublatio pedis una est, una positio, percussiones longiorum pedum plures esse possunt. Atque ut omnes numeri incipiunt a sublatione, procedunt alternis vicibus per positionem ac sublationem, ita unus quisque pes ab altero incipiat necesse est; percussionum sedes pro numerorum natura vel in prima vel media vel in extrema parte sunt. Creticum igitur sublatione et positione sic metitur: –⏑ – aut – ⏑–; apparet autem percussiones illius has fuisse –́ ⏑ –́. Nam cum ictus ipsi certis legibus quantitatis gubernentur, sublatione ac positione (vel 'basi', ut ait Aristoxenus) in iis metris quorum est mensura sesquiplex brevis illa syllaba longæ adiciatur necesse est. De amphibrachye autem Pompejus ab eo dissentit. Nam cum Terentianus sic metiatur ⏑– ⏑, ille p. 124 K negat amphibrachyn ullam habere divisionem; scilicet amphibrachys rationi illius, qui aut dupla aut par sit, repugnat. Terentianus igitur nullam constituit arsin nisi quæ vel tota vel ex parte ictum sustineret, nullam thesin nisi ut pressione careret aut secundario ictu pronuntiaretur. Servius autem de fin. p. 451 K, Auctor quidam ap. Julianum p. 321 K, Pompejus p. 120, Cledonius p. 32 K pravam viam ingressi sunt, qui accentu acuto divisionem illam faciunt, dicunt enim si, in prima syllaba sit accentus, arsin duas syllabas possidere (i. e. priorem utramque): Rómulus, sin autem in media syllaba, thesi duas (i. e. utramque posteriorem), Camíllus assignant. Nam a sublatione initium cujusque pedis ducunt. Obscurari igitur illa ætate quantitatis discrimina coepta esse, quod etiam ex aliis rebus apparet, ea ratio indicio est. Quæ quantum ab re metrica Romanorum discrepet, nemo non videt. Nam recte de iis vocibus quæ amphibrachyn conficiant ictum in pænultima ponendum esse præcipitur, ea autem quæ palimbacchium, et in antepænultima et in pænultima ictum habent. Ut congruit

Cămillus ei rationi (Pomp. 120 K.), at non congruit Posilla (Posíllam Hor. S. II. 3. 216). Alium auctorem secutus est Pseudo-Priscianus de acc. 13 p. 521 K., qui sic disputat: "Ad hanc autem rem arsis et thesis sunt necessariæ, nam in unaquaque parte orationis arsis et thesis sunt, non in ordine syllabarum, sed in pronuntiatione; velut in hac parte 'natura' quando dicitur 'natu' elevatur vox et est arsis intus, quando vero sequitur 'ra', vox deponitur et est arsis deforis, quantum autem suspenditur vox per arsin, tantum deprimitur per thesin, sed ipsa vox, quæ per dictiones formatur, donec accentus perficiatur, in arsin deputatur, quæ autem post accentum sequitur, in thesin." Cujus ratio etsi repudianda est, vere tamen de illo exemplo q. e. nātūra judicavit.

Nonnulla eorum quæ nunc attuli ad propositum nostrum fortasse videntur esse supervacanea; sed tamen nolui ea præterire, ne locos eos qui a me non essent reliquisse viderer.

Hi igitur loci, etsi de singulis rebus non plane congruunt, tamen omnes sunt testimonio, et ea quæ de ipsis pedibus tradunt metrici et rhetores latini genere eadem esse et non modo ad metra, verum ad omnem orationem pertinere et numerorum, sive pedum naturam percussionibus maxime consistere [1]). Quamobrem quamquam etiam de metris pressiones spiritus quæ fuerint in quaque voce cognoscere licet, in iis exemplis versabimur quæ ab rhetoribus et grammaticis allata sunt, ut prosæ orationis numeri ostenderentur. Et, ut res fiat planior, ictus tales, quales rei ipsius natura et hac quæstione de-

[1]) Quæ cum ita sint, non possum concedere Ellisio, quemadmodum, si anglici recitentur versus, inclinationes vocis in altitudinem aut in graviores sonos sensu et arbitrio legentis pendeant, ita, cum latine aliquid diceretur a Romanis, quantitates certas fuisse syllabarum, pressiones autem spiritus nulla certa lege adstrictas. Ille de hac re l. c. p. 151 annot. sic exponit: "Our verse *requires* the increased force to be distributed in certain ways, just as the classical verse required regular distribution of length. The analogy is with the distribution of pitch in reading English verse. Such variety of pitch, varying from the faintest indication to almost a chaunt, is never absent from poetry as ordinarily read (I except the actor's thoroughly artificial "evenspeaking"); but it is so far from forming any part of the laws of our versification, that perhaps no two persons would distribute the pitch in the same way, and that, to judge from ny own habits, no person would naturally distribute the pitch twice in the same way while reading the same passage. Such repetition is artificial, the result of much study and practice, and is due to a deliberate choice between many different distributions. This study is part of a reciter's business, and requires much training. To my mind the free force in the classical languages played a part altogether analogous to the free pitch in our own." Quamquam verisimile est, quia multa vocabula in vicinis syllabis et lenes et fere pares pressiones habebant, jam illam jam hanc syllabam majore exspirationis vi enuntiatam esse.

finiti erunt, ad singula vocabula adscribemus. Rhetores igitur cum de periodorum numeris articulis distinctis præcipiunt, ut Cic. Or. 198; tum qui sint numeri singulorum membrorum quærunt. Ita, quoniam membra et incisa verbis continentur, verba autem vel singula vel conjuncta pedes conficiunt, in horum numerorum disputationem pæne intimam veniunt.

Ac primum trochæum et iambum, sermonis vulgaris frequentissimos numeros, non caruisse percussionibus, testimonio est quod dicit Cic. de or. III. §. 182 "insignes esse percussiones eorum et minutos pedes, quamobrem ab oratore segregare eos Aristotelem."

Id. §. 183 "probatur autem ab eodem illo maxime pæon, qui est duplex; nam aut a longa oritur, quam tres breves consequuntur, ut hæc verba: 'dēsínite' 'incípite' 'comprímite' (nam inerant in illis bini ictus, quorum prior videtur fuisse major), aut a brevibus deinceps tribus, extrema producta, atque longa, sicut illa sunt 'dŏmŭĕrant' 'sŏnĭpĕdes'. Est autem pæon hic posterior, non syllabarum numero, sed aurium mensura, quod est acrius judicium et certius, par fere cretico, qui est ex longa et brevi et longa, ut: Quid petam præsidii aut quove nunc — vel quo numero exorsus est Fannius: "Si Quirítes mínas íllius" (Legit igitur Cicero etiam in prosa oratione ita, ut duos et contiguos ictus faciat: Quirites). Et quoniam pæonem quartum sono similem esse dicit cretico, apparet, eum non sic: 'domŭerant,' verum sic: 'dŏmŭerant' mensum esse. Quintilianus IX. 4. 74 "T. Livius hexametri exordio usus est: "Factúrusne óperæ prétium sim." ib. 73: "in Africa fuisse' initium senarii est, cett. Constat, qui in clausulis, ad quas magis elaboratis numeris opus sit (Quint. IX. 4. 67), potissimum adhibendi sint pedes ab eloquentiæ magistris accurate exponi. Ejus rei exempla nonnulla afferre alienum non erit. Cicero Or. 218 "dochmius: amicos tenes," Or. 224 "dichoreus: æstimasti". Quintilianus IX. 4. 9. 97 "tribrachys cum spondeo: facilitates", ib. 99 "spondeus cum iambo: in armis fui", ib. 101 "spondeus præcedente pyrrichio: 'Iuniani'"; 103 "dichoræus: comprobavit, "106 "pæon: 'si potero', 'invidia'" 107 "creticus: 'postridie'", ib. "duo cretici: 'servare quam plurimos", 109 anapæstus sibi iunctus: "Nam ubi libido dominatur, innocentiæ leve præsidiumst" 110 pæon primus: 'facilitas,' 'agilitas.'" M. Valerius Probus Cath. p. 1491 P: "amphibrachys et molossus: 'probare deberes'; anapæpæstus et pæon tertius: 'fieri potuisset'; anapæstus et ionicus minor: medicos coluerunt; antispastus et molossus: coheredem detraxit; ampimacrus et hippius secundus: optime navigavi; bacchius a brevi et hipp. sec.: dolores detulerunt;

choriambus et hippius primus: condidimus sepulturam; trochæus et pæon tertius: esse videatur; dactylus et ditrochæus: hospĭtĭbŭs (de syncopa acuta vocalis cf. p. 67 et 77) temperare; dactylus et dispondeus: lumina deponebant (vel deponebant). Idem p. 1492 P: epitritus tertius et ditrochæus: piratica liberasset; hipp. tert. et hipp. sec.: detexerant cæpiones; ionicus major et ionicus minor: contagia diluerunt; ionicus major et ditrochæus: depellere castitatem; pæon primus et hippius quartus: decĭpĕre contendebant; tribrachus et ditrochæus: Cĕrĕrĕm decănamŭs; amphimacrus et antispastus: maxime laborare; choriambus et ditrochæus: ingenio sustinere; dactylus et antispastus: corpore perhorresco; pæon et ditrocheus: iudicium sustinebit; diiambus et hippius secundus: injuriis commoveri; tribrachus et hipp. quartus: cuius quæstor fŭĕrĭs accusare; iambus et ditrocheus: diu machinatur; choriambus et pæon tertius: composuit rationem". Idem p. 1493 monet ne huiuscemodi fiant clausulæ: "vadit armatus; incutiens magnos, victus incesserat, ille repugnabilis, dixerat magnus, magno errore pulsus." Diomedes A. G. II. p. 469 K: "spondius præcedente anapæsto: ĕsse pro nobis; trochius post pyrrhicium: căpĕ vota, post creticum: proditis rebus, iambus præc. spondeo: iusta fide, se ipso: bona fide, cretico: prospera fide; iambus et dactylus: fide dicitur; anapæstus et dactylus: repetes cetera; palimbacchius et dactylus: sepone cetera; molossus et dactylus: quærebas dicere; creticus et tribrachys: de ceteris ăgĭte, de prelio rĕdĕo;" p. 470 K. "creticus et anapæstus: nobiles homines; palimbacchius: Cic. in Catilinam: 'si istius furorem ac tela vitemus' et 'nullum id rursus liberum impunitum; creticus, ut 'vixisse quam plurimos', 'reposcimus deditos' et molossus: 'rure nutritos', esse sanatos; ditrochæus: 'maluerunt', confiteri', 'detulerunt'; antispastus: 'vir optimus videretur', et 'sua manu sororem interfectam esse fateretur' 'Hortensius peroravit'; ionicus major: curam sollicitudinemque deponite' et 'quorum te impunitas, Cæsar, tuæ clementiæ laus est, eorum te ad crudelitatem acuit oratio'." Omitto illa de quibus nulla est controversia, ut 'causam probavit, causas audiat, arma sumpsi', cetera ejus generis. Apparet igitur his confirmari antiquorum testimoniis illa quæ de singulorum vocabulorum ictibus p. 69 complexi sumus. De illo genere, in quo est 'deponebant' et cetera vocabula quorum ictus sunt plures et contigui, jam exposui pp. 63, 64, cf. p. 69 extrem. et p. 70.

Cur pæonem primum sic mensus sim: decíperet comprímeret, causas jam explicavi. Sed priorem ictum fortiorem esse et ipsum probabile est et apparet

ex his verbis Ciceronis Orat. § 216: "pæon aut e longa est et tribus brevibus, qui numerus in primo viget et jacet in extremo." Idem: "iambus frequentissimus est," inquit, "in eis quæ demisso utque humili sermone dicuntur. Pæan autem in amplioribus." Cur pæan in amplioribus? quia producta illa prima, qua pondus totius vocabuli quodammodo sustentatur, ante tres correptas cum intentione quadam et gravitate effertur. Ergo hujus pedis in prima syllaba fuit intentio gravissima et ad finem versus paulatim decrevit. Cur Cĕrĕrem, non Cĕrĕrĕm metiam, et similiter cetera vocabula, ubi binæ breves ictum sustinent, jam explicavi pp. 68 et 72 et q. sq., quæ metiendi ratio confirmatur auctoritate Ciceronis. Nam Cic. de Or. III. 188 "quartum pæonem aurium mensura parem fere cretico esse." Quemadmodum igitur regulæ, sic sonípedes metiendum est. Quamobrem etsi in vocibus quæ tribrachyn faciunt antepænultima, in iis, quæ pyrrichium, pænultima paullo intentior fuit, tamen discrimen videtur fuisse tenue, nam quod in nostris linguis, quarum acutus accentus est cum magna spiritus vi conjunctus, fieri solet ut consonæ acutæ syllabæ, si corripitur vocalis, producantur, id perraro in græca et latina linguis accidit. Sed etsi ratione pares sunt duæ breves uni longæ, tamen credo eas auribus minus habuisse ponderis. Dicuntur enim breves, si deinceps sint, numeros facere leviores. Cf. Quint. IX. 4. 108. Item ex his locis apparet, longitudinem vocis graviori sono fuisse. Quintil. IX. 4. 91 "plurimum auctoritatis habent longæ, celeritatis breves"; ib. §. 83 "quo quique sunt temporibus pleniores, longis syllabis magis stabiles, hoc graviorem faciunt orationem, breves celerem ac mobilem. Utrumque locis utile. Nam et illud, ubi opus est velocitate, tardum et segne, et hoc, ubi pondus exigitur, præceps ac resultans merito damnetur." ib. 93 "Clausula quoque e longis firmissima est: sed cludent et breves, quamvis habeatur indifferens ultima. Neque enim ego ignoro, in fine pro longa accipi brevem, quod videtur aliquid vacantis temporis ex eo quod insequitur, accedere. Aures tamen consulens meas, intelligo multum referre utrum longa sit quæ cludit, an pro longa." Hoc utrumque: temporis longitudinem et vocis gravitatem producendi verbum significat. Fragment. de acc. e cod. Bob. p. 142 Endl.: "monosyllaba aliquid significantia, si fuerint natura longa, id est produci potuerint, circumflexa voce efferuntur, ut 'spes' 'flos' 'mos' 'ros'.". Eadem vi 'longâ promere' dicitur a Gellio IX. 6. "Cur igitur ab eo quod est 'edo' et 'ungo', in quibus verbis prima littera breviter dicitur, 'esito' et 'unctito,' quæ sunt eorum frequentativa, prima littera longa promimus." Apparet ex illo loco Gellii, si vocalem

duæ consonæ excipiebant, spiritus vi majori modo vocalem, modo consonas productas esse. De spondeo Rufinus p. 2715 P.: "gravior est autem longa syllaba præcedente quam brevi; aliter enim sonat 'arma sumpsi', aliter 'esse pro nobis.' Spondeus multum ponderis habere ac gravitatis dicitur; non quod quattuor moras contineat, nam si pondus in temporis spatio ipso inesset, proceleusmaticus etiam gravis diceretur; sed, cum duas habeat spiritus impressiones, altera exigitur, altera elevatur illa quidem, sed omni vi non destituitur. Cic. Or. 216: "Ne spondeus quidem funditus est repudiandus; etsi, quod est e longis duabus, hebetior videtur et tardior, habet tamen stabilem quendam et non expertem dignitatis gradum, in incisionibus vero multo magis et in membris; paucitatem enim pedum gravitate sua et tarditate compensat." Hor. A. P. 256 "spondeos stabiles." Id. 259, 260 "et Enni In scænam missos cum magno pondere versus." Qui quod spondeis abundarent, cum magno pondere in scænam missi dicuntur. Rufin. de Comp. et de metr. rat. p. 2713: "Dactylus armavit Ciceronem, armavit iambus (cf. Horatii illud: Archilochum proprius armavit iambus) *spondeusque gravis,* numeroque aptissime pæan. Temporibusque pares quamvis et syllaba crescat — optimus orator sequitur ratione poetas Cognatus virtute sua metrumque recusans" (Cf. Cicero de Or. I. 16. 70).

Cum positione longa erat syllaba, major exspirationis vis erat in consona gemina vel in consonis se excipientibus quam in præcedenti vocali. Nam Gellius IX. 6 per duo genera longas syllabas describit. Alterum genus vocalem producere: ēsito ūnctito āctito; alterum corripere: dĭctito. Item in codd. Bob. p. 142 Endl. dicuntur monosyllaba longa vocalem aut circumflectere et producere: rōs spēs; aut corripere et acuere: nux, nŭcis. Consonæ autem contiguæ, si ab illis, de quibus iam mentio facta est, discesseris, voce latina magis quam nostra exprimebantur et producebantur, quoniam longam, quamvis corriperetur vocalis, syllabam faciebant. Quintil. IX. 4. 85. "Veritas vero quia patitur æque brevem esse vel longam vocalem cum est sola, quam cum eam consonantes una pluresve præcedunt; certe in dimensione pedum syllaba, quæ est brevis, insequente alia vel brevi, quæ tamen duas primas consonas habeat, fit longa: ut 'agrestem tenui musam meditaris avena' nam licet gre brevis, facit tamen longam A priorem. Dat igitur illi aliquid ex suo tempore: quo modo nisi habeat plus quam quæ brevissima, qualis ipsa esset detractis consonantibus? nunc unum tempus accommodat priori, et unum accipit a sequenti, ita duæ natura breves positione sunt temporum quattuor." Apparet igitur non duas consonas et brevem vocalem, sed brevem vocalem et duas con-

sonas longam syllabam facere (non gre, quæ brevis esse a Quint. dicitur, sed agr). Nam quoniam duæ consonæ unum tempus facere dicebantur (quæ mensio tamen magis ad rationem accommodata quam ex veritate sumpta est, neque enim eandem fuisse semper binarum consonarum quantitatem et res metrica comicorum et ea quæ de pronuntiatione latina apud Diomedem traduntur testimonio sunt, et Marius Victorinus demonstravit p. 2482 P. non pari esse spatio productas positione syllabas, neque concurrentium consonarum eandem mensuram, qui addit "plerasque syllabas ratione pares esse, spatio autem seu sono impares") sed illud quod syllaba 'gre' unum tempus priori accommodari dicitur, nihil aliud declarat, nisi duas illas consonas ad priorem transferri. Hæc igitur est, si enuntiationem solam spectes, vera illius vocis mensio: agr-est-is. Idem docet Pompejus p. 112 K. "In unaquaque syllaba litteræ insequentes, 'non præcedentes', non sequenti syllabæ prosunt, sed anteriori syllabæ, id est priori, quoniam omnis syllaba incipit habere rationem a vocali. Semper id est quærere de ipsa vocali utrum longa sit an brevis; deinde considerare et de consonantibus insequentibus, non de præcedentibus." De contiguarum consonarum appellatione, cf. Varro 142 Wilm.: "cum verbum congestione consonarum *asperetur*;" et Pomp. 113 K. Et geminatis consonis latinis productum et pressiorem sonum significari testimonio est Velius Longus p. 2219 P. "unde (Cicero) illud (Aiiacem, Maiiam) quod *pressius et plenius sonet* per duo i scribendum existimat. Sic et Troiiam et si qua talia sunt." Eadem fuit vocales productas apud Umbros Oscosque, in latinas litteras ab Attio translata, cujus reliquiæ nonnullæ supersunt in monumentis, atque ab Ennio de Græcis consonas, geminandi ratio. Semivocalem autem illam inter vocales presse i. e. cum pressione spiritus inter vocales pronuntiari solitam esse grammatici consentiunt. Velius Longus p. 2220 P. "hanc enim naturam esse quarundam litterarum ut morentur et enuntiatione sonum detineant, quod accidit et in eo quod dicimus (i consona) hic est cum ipsa vastitas litteræ in enuntiatione pinguescat." Geminatio igitur signum est productæ i. e. et tempore longioris et spiritu intentæ consonæ. In his etiam recentioribus linguis, si consona gemina est, syllaba producitur et magis anhelatur. Positione duarum consonarum minus conveniunt; quamobrem forsitan cuipiam videatur ea res etiam in latina lingua incerta esse, sed non dubium est quin duæ consonæ contiguæ ubicumque positionem faciebant, presso et intento spiritu sint appellatæ [1]).

[1]) Quasdam consonas variasse et in prisco et in posteriorum remissiore sermone jam vidimus, et auctores sunt Probus Diomedes Servius, de qua re disputaverunt Weilius Benloewiusque l. c. p. 252. Atque etiam i cons. non semper positionem fecit (bĭjugus) Schmitz. p. 74.

Tria igitur sunt, si ex spiritu syllabæ describuntur, genera productarum. Unum longis longiorum: ἠμφ-ιεσμένος Mar. Victor. 2481, āctus lēctus ūnctus Gell. IX. 6, vocalis ante -gn Prisc. II. 82 H, Mārcus ōrdinis nārrem Mārtis pāstoris iūsti (a ioure) prīscus, -ēns, -ōnsus -ōssus trāns, quæ vel in inscriptionibus apicem habent vel græca longa vocali scribuntur, Schmitz symb. p. 26 et q. sqq., monosyllaba quædam in -ns Beda p. 2352 P. Cf. Prisc. II. 52, 18 H.: "duo semis sunt tempora quando post vocalem natura longam una sequitur consonans, ut 'sōl'; tria quando post vocalem natura longam duæ consonantes sequuntur vel una duplex, ut 'mōns' 'rēx'". Quamobrem cum dupli temporis dicatur esse vocalis, et, ut maxime producitur, ita gravissime anhelari sive vocalem sive consonam, jam invenerimus; sequitur spiritum per totas hujus generis syllabas ita pertinuisse, ut major esset in vocali. Alterum genus est earum quæ vocali producta consistunt aut sola aut cum una adjecta consonante, ut 'dō,' 'sōl' Prisc. l. c. Tertii generis syllabæ post vocalem brevem habent geminam consonam vel plures consonas, ut 'ărs' Prisc. l. c. 'dĭct-ito' Gell. l. c. ăgr-ĕst-is; Pseudo-Prisc. de acc. p. 521 H: "syllaba quæ correptam vocalem habet, acuto accentu pronuntiatur, ut páx fáx píx níx dúx núx; quæ etiam tali accentu pronuntianda est, quamvis sit longa positione, quia naturaliter brevis est." In hoc genere spiritus pressio aut æqualiter est per vocalem et consonas divisa, nam vocalis unum, unum tempus consonæ habere dicuntur, aut etiam fortasse consonæ si asperius concurrerant, majore exspirationis vi efferebantur. Nam abusive *vocalis* positione produci dicitur, syllaba enim, cum brevis sit vocalis, adjectione consonarum producitur.

Jam vero quoniam raro geminantur consonæ, nisi post longas vocales, in quo gen. sunt āl-ium all-ium, facile suspiceris, ad primum illud genus longis longiorum syllabarum, eas quæ geminam consonam post vocalem habeant referendas esse. Sed neque simplex est neque facilis earum descriptio. Nam primum de iis fuit controversia grammaticorum. Velius Longus p. 2237 P. "Nimium rursus elegantiæ sectatores non arbitror imitandos, tametsi Nisus auctor est, 'comesæ' et 'exesæ' (esuesæ P.) per unum s scribamus: et dicit rationem quia juxta productam vocalem consonans progredi non soleat; error ejus manifeste deprehenditur; nam geminari (geminare P.) consonantes productis vocalibus iunctas usus ostendit; in quo dicimus etiam 'errāsse saltāsse abiecīsse calcāsse': Quis enim nescit 'malum' una littera scriptum distare a 'māllo', eodem elemento geminato." De s geminata Velii Longi iudicium confirmatur a Mario Victorino p. 8 K. "voces, quæ pressiore sono eduntur: 'ausus causa fusus odiosus',

per duo s scribebant." Ex quibus verbis apparet non modo scriptione sed etiam appellatione id discrimen contineri. Cf. Vel. Long. p. 2233 P. "s vero geminata vocis sonum exasperat." Illa autem Velius ipse simpliciter scribenda esse censet: 'comīsator' p. 2333 'nārare' p. 2238, de qua voce Varronem secutus est. 'Paullum' scriptura, non voce geminam habere consonam, cujus geminationem ad similitudinem ejus quod est 'pullus' factam esse, nam *diphthongum* antecedentis syllabæ longitudine productioni consonæ obstare. (Vel. Long. ib.). Huic ambiguitati non multum lucis afferunt inscriptiones. De longa vocali ante s geminatam testimonia sunt hæ scriptiones legis Rubriæ C. I. L. I. 205 're-meisserit repromeisserit repromeississet promeisserit'. I longa ante duplicem s mīssit C. I. L. I. 1012. Apicem ante productam consonam paucis tantummodo locis vidi: C. I. L. V. 7678 Márcéllo in inscript. Augustæ Bagienniorum inventa, Póllioni C. I. L. V. 5906 in inscr. Mediolanensi, nárrem Grut. p. 502, sed fortasse sunt alia. Certe rarissima est ea scriptio. Sed tamen ex illis locis Velii Longi et ex inscriptionibus nescio an conjectari liceat, vocalem ante ss et ll et rr vel longam fuisse vel mediam. Item c p m n t post vocalem longam modo geminantur, modo simplices sunt. Quæ cum sunt geminatæ quantum temporis præcedenti vocali detractum sit non facile constituitur, aliquid tamen esse detractum, et inde colligere licet quod ante simplices illas longæ vocales apicem nonnumquam habent, sin autem geminæ sunt, perraro, et, quia lenta et molesta erit vox, si post longam vocalem consonæ spiritu intento pronuntiabuntur. Syllaba est, ut ait Charisius p. 11, 12 K. "litterarum juncta enuntiatio" vel eæ litteræ quæ uno spiritu efferuntur, faciunt syllabam. Ex iis autem quæ supra p. 125 et p. 126 disputavimus efficitur consonas non geminari, nisi in iis syllabis quæ pressionem habent spiritus. In producta igitur syllaba, si spiritus ictus, cum transitus facta est ad consonam, non minuitur, consona post productam vocalem intenditur et geminatur. Sed spiritus ictus non est semper æqualis per totam syllabam. Si ictus in ipsa vocali decrevit et levior factus est, dum vox transit ad consonam, consona ipsa erit tenuis et simplex. Sin magis magisque ad finem versus spiritus intenditur, consona geminatur, vocalis autem plerumque fit brevior. Cum verbum interpositione consonantis nodatur (Varro 142 Wilm.), initium consonæ priori, posteriori vocali finitio adnectitur. Duplex est igitur transitus: finitio prioris vocalis vel initium consonæ et finitio consonæ vel initium posterioris vocalis. Cum autem os consonæ appellandæ aptetur, mutari, dum extrema pars vocalis proferatur, ipsum sonum vocalem Sieversius l. c. p. 95 exposuit, quamobrem si spiritus in confinio illo diutius versetur, aliquid de ipso

vocali sono detrahi, consonæque addi necesse est. Sic factum est, ut, cum spiritus in fine cresceret, consonæ vis major esset. Utraque enim hac re productio consonantis continetur: et longa finitione vocalis et explosionis impetu. Supra dum syllabas cum syllabis contulimus, hoc signo > notavimus ictus syllabæ, cum transitus fiebat ad proximam syllabam, imminutos esse; nunc cum partes syllabæ ponderamus, hoc eodem signo > notamus ictum decrevisse, cum transitus fiebat a vocali ad consonam (ālium), si crevit autem in fine ictus, quamquam sic exprimi debet < > (allium), tamen brevitatis causa scribimus: < (allium). Restat igitur ut singula persequamur, et videamus in quibus syllabis ea spiritus vis versata sit.

A. Acutæ syllabæ consonam spiritu produxerunt hæc. I. Ex quibus primum affero ea quorum formæ sunt usu promiscuæ ōlus (ab. pl. oloes P. Diac. p. 19 M.): ollus Varro VII. 42, ille; (e loco) īlico: illico; Alifæ: Allifæ; Alia: Allia, aula ola: olla (áliter Corssen I. 349); phasēlus Catull. phasellus; querela: querella; medela (medella); loquēla (loquella). Corss. I. 227 affert Amulius Amullius, item præter has formas quindecim nom. propria quorum antepæn. variet. Bēlua Nepos Varro Cicero: bellua; candela (candella), cautela (cautella) Brb. Ng 260 heluor: elluor helluor; pælex pelex: pellex ('pellex' dubium Fleck. 50 p. p. 23). Sardanapālus Sardanapallus; malo (mallo) Brb. Ng. 262 Ribb. prol. p. 429. quatuor quator, cf. Brambach. Ng. 332, Ellendt ad Cic. de Orat. II. §. 339 quattuor, quattor (Corss. I. 175); leitera lītera: littera. Mētius: Mettius et octo alia n. pr. ejusd. generis ap. Corss. I. 177. Bātuo: battuo; Lucīlius: Lucillius Vel. Longus p. 2225 P. 'Popilius' Sisenna ap. Cens. 17, 13 Plin. H. N. 34. 30: Popillius C. I. L. I. 550 cett.; (?petila Fest. p. 205) Petilius C. I. L. I. 731, 934: Petillius C. I. L. I. 737, 759 Hor. S. I. 4. 94; 10. 26; πῖλος: pilleus pilleatus P. D. 207 Fleckeis. 50 pr. p. 25. De his autem quæ sunt Duelius Duilius, Duellius Duillius (Bellius), sint antiquiores quæ l geminent, an quæ simplicem habeant, decernere non possum (cf. p. 8 et p. 75). Nam facile suspiceris Duellius a duello dictum esse, at in act. triumph XV Momms. scriptum est Duilius, quamobrem illæ formæ quæ simplicem habent l fortasse sunt antiquiores. Cf. etiam Bramb. Hbn. p. 35 et Moser ad Cic. de Rep. I. 1. Lōlius C. I. L. I. 1034; 1062: Lollius (st. lu- lou-, an clu- clov-?); Pōlio C. I. L. I. 1049: Pollio (cf. pōlēre Fest. 205 M. = pollere); Aurēlius: Aurellius C. I. L. V. 4055; Fēlīcia: Fellicia Ren. 2845; fēlo C. I. L. IV. aliquot locis: fello ib. aliquot locis; Aelius: Aellius ib. 2437; Iūlus: Iullus Ren. 3074; Sīlius: Sillius

Ren. 3050 Moeller; suadela: suadella Cyrill. Glossar. — Gūtus: guttus Hor. S. I. 6118 H; litus: littus Brb. Hbn. p. 46; cæcūtio: cæcuttio Varro S. M. p. 100, 7 et 141, 7 Riese; Grātius: Grāttius Ren. 1906; tættra Gu. 389 — Aruns: Arruns Brb. Hbn.; sario: sarrio; pāret: parret "in formulis" Fest. p. 233 M.; ligurio: ligurrio, Comici, Varro, Hor.; scatūrio: scaturrio scaturrex Varro S. M. 124. 6 R.; Fūri Catull. XI. 1: Furrius C. I. L. I. 574. 'Narro' autem dubium est. Corssenus primam ejus formam 'gnarigo' fuisse putat eumque secutus sum p. 52. Sed illa originatio analogia non commendatur; neque enim scio aliud exemplum, cujus 'rg' in 'rr' sic mutatum sit. Quamobrem vetus illa Varronis originatio memorabilis est. Is enim a 'gnaro' ductum putat 'narrare' et scribi vult 'narare'. Cf. de hac voce quæ Buecheler disp. in Ann. phil. 105 p. 118. Equiria: Equirria C. I. L. I. fast. Mart. 14. Sept. 24.; spattāro Cæc. Aq. II. R.: spatarro Cyrill. Gloss. — Causa: caussa Bramb. Ng. p. 273 et sqq. Recte Corssenus hujus vocis originem a rad. quæ est sku- repetit. Cf. lat. cav-eo cau-tio gr. ϑυο-σκο-ος, sv. skå-da. Sed illud cum eo consentire non possum caussa profectum esse a caut'ta, ut fat'tu-s fecerit 'fassus'. Putat enim fuisse olim verbum 'cautire'. Sed nimirum, si, ab ea stirpe quam esse latinam comprobari possit originem repetentibus nobis, 'cauta' principalem fuisse formam statuere licet, illa originatio est repudianda. Quominus autem causa pro *cauta dici potuerit, has affert ille causas. Primum dicit Symb. etymol. p. 445 "Weder cau-ssa noch cau-sa kann nun aber ein Participialform von cav-ere sein, da in keinem Falle ein mit t anlautendes suffix nach vokalisch auslautendem Verbalstamme zu s gesunken ist, also auch aus cauta nicht causa werden konnte". Sed t inter vocales in s abiisse exemplum est: 'nau-te-a' Plaut. Asin. 89 Fleck. Curc. 99: 'nau-se-a' Merc. II. 3, 54, 55 cum deriv. 'nauseo' Amph. 329. Deinde de en. [2] I. 280: "Im Inlaut zwischen zwei Vokalen muss im Lateinischen das s einen weicheren Ton gehabt haben" — p. 284 "Aus dem Schwanken der Schreibweise zwischen ss und s nach langen vokalischen Lauten folgt, dass ein wesentlicher Unterschied zwischen ss und s in dieser Lautverbindung nicht statt fand und das eben die Länge des Vokales es war, welche eine entschiedene Schärfung des folgenden Consonanten nicht zuliess, wie dies im Deutschen der Fall ist. Daher haben denn auch die Romanischen in diesem Falle nur ein s gewahrt, wie die Italienischen Wortformen cosa scusare, caso, divisione, plauso, loso, profuso u. a. zeigen". Sic Corss. Sed num quidquam certi ex italiana voce in illam sententiam colligi liceat dubito; neque enim est veri simile, ita non mutatam esse sæculorum decursu Romanam vocem ut eadem sit Italianorum. Accedit quod non idem est in omnibus iis

quas nominavit Corssenus italianis vocibus sonus litteræ quæ est s. Nam in 'cosa' est asperior sonus quam in 'plauso'. De antiquæ et latinæ geminatæ s sono testimonium certum est Velii Longi p. 2233 b "in accusatore, comisatore — quæritur, geminatis consonantibus an simplicibus scribendum *et enuntiandum*. In quibus mihi placet, ut accusator per duo c et comisator per unum s scribatur — nam aut a comitate vox ducta est aut a Græco παρὰ τὸν κῶμον. *S vero geminata vocis sonum exasperat.* Sic pariter et elegantiam enuntiandi et scribendi brevitatem consequimur". Et quoniam lene illud s inter vocales in r abire solet, nescio an s fere ubicumque inter vocales retinebatur sono fuerit asperiore. Quamobrem versimile est, cum 'cau-ta' mutatum esset in *causa*, *caussa*, quod optima latinitatis ætate commune erat, paullum exasperato sono pro 'causa' dictum esse.

Quæso: quæsso I. N. 6482; imperiosus: Imperiossus C. I. L. I, tr. 414; verucosus: Verrucossus C. I. L. I, tr. 521 (ne quis putet in eo quod N ante I fuerit, causam esse geminandi, multo sæpius n inter vocalem et consonam ita omissum est ut, nisi aucta vocalis quantitate, non compensaretur); odiosus: odiossus Brb. Ng. 275; iūstus: Iussti C. I. L. V. 6127; (mensis) mēsis: messis C. I. L. V. 1688, 1752 messes acc. plur. ib. 6127; (Hortensius) *Hortēsius Hortessi C. I. L. IV. 2240; Naso: Nasso ib. 3204; pilosus: pilossus ib. 1830; Cæsianus: Cæssianus Ren. 842. Fortasse participium q. e. pressus, sic ortum est (prem-) *prem-su-s *prēn-su-s (prem-su-s: pren-su-s = *com-sol: cōn-sol) *prēsus (pren-su-s: prē-su-s: con-sol: cō-sol): pressus. Item post longam vocalem s geminatum est in his *amā-so: amasso, leva-sso, prœhibe-ssit cett. Quod enim Curtius, qui Temp. et Modi p. 340 *amaveso, et Schleicher, qui compend. [4] p. 816 *amaviso principalem positionem fuisse putat, ex *amavso, contractione exorto, exstitisse 'amasso' dicunt, minus probabile est, nam vs in ss latine mutari solitum esse nullis exemplis comprobatur. Ac potius statuendum est, si modo illa ratio vera est, *amaviso mutatum esse in 'amavso' 'amāso' (cf. triumphavt in inscr., 'irritat' Lucret., de quibus mentionem feci p. 94 extr.), 'amāso' autem in 'amasso'. Quod veri similius videtur quam illud quod putat Corssenus de en. [2] II. 563 hos fuisse mutandi gradus: *amaviso *amaiso; amasso. Neque est enim ullum certum exemplum latinum, ubi 'aï' mediæ vocis in a transierit, neque ubi 'js' in 'ss'. Sive Madvigii sententiam, quam exposuit Op. Ac. II. 1842 p. 64 et q. sqq., amplectaris, stirpi præsentis adjecta figura, ut fut. 1:mum græcor., ita hæc latina facta esse sic: levā-so levā-sso, huic etiam rationi consentaneum est, s geminatum post

longam vocalem esse. Plusquamperfectum autem conjunctivi et infinitivum perfecti adjectis 'essem' et 'esse' ad stirpem perfecti, ut ss in terminatione retineretur, nata esse putat Aubertus (in l. q. i. "den latinske Verbalflexion" Christ. 1875 pp. 197, 209); quocum de infinitivo consentio. Nam quod putat Langeus in Memorab. imp. Ac. Viennensis t. XVI. 21 ā-se, ē-se, ī-se communem fuisse infinitivorum positionem, geminata autem s littera præteritum infinitivi a præsenti distinctum esse, valde dubium est, et quæ est vetus et vulgaris opinio, infinitivos qui exeant in āsse ēsse īsse 4:ti ordin. ex -avisse -evisse -ivisse contractos esse, analogia perfecti et plusquamperfecti commendatur. Sed de plusquamperfecto conj. magis mihi arridet Curtii opinio qui de Verbo II. p. 249, putat 'sem' themati perfecti adjectum esse, et s post longam perfecti vocalem esse geminatum. Sed longum est, cur ita sentiam, hoc loco exponere.

Item hæc græca s eodem modo geminatum habent: *σάρῖσα: σάρισσα*, lat. sarisa: sarissa; *Κνωσός: Κνωσσός*, lat. Cnosus: Cnossus, cett.

— Cæcīna: Cæcinna et septem alia eodem modo variantia v. ap. Corssen. ² I. 249. Et Fānius C. I. L. 1319: Fannius ib. 560; anos C. I. L. I. 199 anus C. I. L. V. 125 et quattuordecim locis præter illum: annus (de qua voce et de ejus deminutivo q. e. 'anulus' v. de discret. I. p. 24). Inulus: Innulus C. I. L. IV. 2993 d*a*. Marcomani: Marcomanni Brb. Hbn.

— Dāma: damma; lāmina: lammina Brb. Hbn.; (nūmus?) nummus Fleckeisen 50 pr. p. 21. Remis C. I. L. I. 946 i. e. Rēmius: Remmius (titulos illos esse priore parte sæculi septimi inscriptos ostendit Momms.) — Cōta (cf. cā-tu-s cō-ti-s) C. I. L. I. 329: Cotta.

— Lupia: Luppia Heræus ad ad Tac. Hist. 5, 22; Apulus: Appulus; (stupa:) stuppa Brb. Hbn; Iūpiter: Iuppiter; cūpes: cuppes.

Cācabus Columella 12. 46 et al. loc. Gesner: caccabus Varro L. L. V. 127, Publ. Syrus ap. Petron. c. 55; sūcus: succus; mūcus: muccus; bāca: bacca Varro S. M. p. 170 Riese, būcina: buccina; flōces: flocces; brachium: bracchium; Minūcius, -ia: Minucciæ Ren. 611.

II. Discreta significationibus.

Vāro fortasse homo deformi ore (Lucilius apud Festum p. 329 M.: "varonum ac rupicum incondita rostra", cf. vārus, quod non modo de cruribus, sed etiam de aliis membris dicitur, et Cic. de Or. II. §. 91) *Varo* nom. pr. C. I. L. I. 256: *Varro* n. pr. — *I-mus* adj. a pronominali stirpe profectum, adjecta superl. fig.,

quo ejus rei quæ sit in distantia proprie demonstratio facta est: *i-mmo* particula, quæ aliquem aliquid ita aspernari aut negare ut ad se non pertineat proprie significat. *Pānus* (cf. πᾶνος πῆνος goth.[1] fana) tramæ involucrum Charis. 81 K. Nonius 149 (157 Quic.) Lucil. IX. fr. 17 M. Gell. 13. 26. 4: *pannus* lacinia fascia. *Olim* (quod etiam demonstrative ponitur Lucret. IV. 55. VI. 148 Lucil. 1. 7 M, Plaut. Mil. 2) temporali significatione proprie = illo tempore: *ollim*, cf. olli-c adv. Fest., *illim* (de qua voce Ritschel. Opuscul. ac. II), quod 'illo loco', Pl. Merc. III. 1. 13, et 'ab illo loco', Poen. II. 7 cett., significat. Pronominalis illa stirps al- (a-na an- al?) in latina lingua duplici erat forma, altera non intenta: ăl- ŭl- (al-iu-s al-ter ul-s ul-tra), altera intenta *āl- ōl- (ōl-oes, ōl-im) oll- (oll-us oll-i oll-ic) ill- ill-e. De *coleus cūleus: culleus* jam mentionem feci p. 30.

B. Gravis syllabæ consona post longam vocalem spiritus vi producta est. (Sālus?) Sālústius Sallústius Teuffel Hist. Litt. Roman. [3] p. 392 Brb. Hbn; halucinari, alucinari: allucinari; Sālentini: Sallentini Sallust. Dietsch, Kritz; lōligo (st. lau- lou- lō- lū-) Cic. de Div. II. 70: lolligo Varro L. L. V. 79. Hor. Sat. I. 4. 100 Holder; pōlēre Fest. p. 205 M.: pollēre; miliarios C. I. L. 551: milliarios C. I. L. III. D XII; (dhā) fēlator C. I. L. IV. 1766 cett.: fellator Mart. 14. 74 C. I. L. IV. 1708 et al. locis, item in iis inscr. fēlare et fellare; Felicia Fellicia Ren. 2845; (Lucīlianus) Lucillianus Ren. 3255; camēlinus: camellinus Ed. Dioclet. c. 11 (eod. modo variant camēlus: camellus).

Cōtídie (cf. cōtīdianus Catull. 68. 139, etiam cŏtīdie?): cottídie; Atiedia: Attiedius; Atilius: Attilius (cf. Nāta C. I. L. I. 295, quod videtur ductum esse a participio verbi nascendi: Natta Horat.); Brītannus (etiam Brĭtannos Catull., cf. Brīto Britto): Brittannus, Britannia Brittannia, Britannicus Brittannicus; Ōtācilius: Ottacilius Ren. 129. 4 (quamobrem num vere Ŏtācilius Klotzius scripserit, dubito); stlātarium Petron. 108 (ap. Leid.): stlattaria Juv. 7. 134.

Arētium: Arrétium (hæc scriptio melior est, de qua re Brb. Hbn. s. v.) eodem modo Aretinus Arretinus; verutum (vĕrūtum Sil. 3. 363): verrutum Varro S. M. 133. 3 Riese; (*capērus, ut sev-ērus aust-ērus, capēro, "capĕro" non recte Klotz., capērat Plaut. Epid. 609 Goetz) capēratum Varro ap. Non. p. 8 Quich.; 'caperratum' eo loco Riese: caperrata Næv. Dol. Ribb.; Hērennius: Herrennius C. I. L. IV. 292, 1839. Sēranus: Serranus Cic. Sest. 72 Halm.

(Nāsus?) Nāsitérna Varro R. R. 1. 22 Non. (546) 636 Qu., sed plurimi codd. ss habent: nassiterna Fest. 169. Plaut. Stich. 352 Ritschl.; accusare: accussare, accusator: accussator cf. Beda de orth. 2327 Pareus lex. crit. s. v. Forcell. s. v.

Brb. Ng. et Hbn. "ss antiqua scriptura" Cornutus p. 2233 Velius Longus p. 2233 Clausen. quæst. Quintil. p. 374.

Dūmétum: Dummétum; dūmosus: dummosus Ribb. prol. in Verg. p. 414 comissatio: commissatio. P. Diac. p. 41, Vel. Long. 2218 P; (ūmidus, Ūmidius) Ummidius Hor. Sat. I. 1, 95; (gramiæ Non. 119, 19 *gramonsus) grammonsis Cæcil. ap. Non. ibid.; Voldummianus Ren. 4414.

Vēnúcula Hor. Sat. 2. 4. 71 codd. γλ'γψ: vennúncula DEF (r) Holder et Dillenb.; Manicelus C. I. L. I. 199, 12: Mannicelus 199, 6, quo loco ssriptionis inconstantia signum est, ipsam appellationem incertam fuisse; [?Cāninius -ia (a cāno?) Canninia Ren. 1022]; Cannejus ib. 1022; (ānus) ānellus: annellus.

Apenninus: Appenninus Brb. Hbn.; Apulia: Appulia; Apuleius: Appuleius Brb. Hbn.; sŭpremus: suppremus Fest. 305 b M (suppremus dici non potuit ut p geminaretur ante longam vocalem, nisi producta prima syllaba); (pŏpa) Pōpaio Pōpea C. I. L. IV. 1744, 3038 a: Poppæa Tac. Ann. 13. 45 cett. (codd. omnibus illis locis 'Poppea' Ritter) Poppæus, ut pŏpa: Pōpaios Poppæus, sic văp-, cf. văp-os: *vāpa vāppa, de qua re egi p. 79. — Būcinator: buccinator; Lūcejus: Luccejus; Cōcejus (cf. cōcio): Coccejus. (Denique cf. exempla p. 75 allata).

Atque etiam factum est interdum si qua fuit brevioris syllabæ ante brevem levior pressio (de qua re jam exposuimus in quibus sit syllabis), ut ea ad consonam producendam pertineret; pauca tamen sunt hujus productionis exempla, et ipsa geminatio vel prisci sermonis (de qua re mentionem feci p. 77) propria fere est vel rustici, qui etiam illa re prisco similis est. Præter ea exempla, quæ 76 attuli, hæc inveni: Vĕsŭvius: Vessuvius Sisenna ap. Non. p. 207 fr. 54 Peter. Spiritus ictu pronuntiatam esse primum syllabam, etiam ex eo apparet quod illius montis nomen variat, integra et contracta forma, 'Vesuvius' et 'Vesvius', item vinum 'Vesuvinum' et 'Vesvinum' in vasis fict. Pomp. 2557, 2558, 2559 Schoen., 'Vesvia' et 'Vesbia' dicta est gens C. I. L. IV. 19. 52. 71. De ea re est ap. Galenum X. 123 — quem locum attulit Schoenius p. 174 — facta mentio: "λόφος ἕτερος οὐ μικρός, ὃν ἔν τε τοῖς συγγράμμασιν οἱ παλαιοὶ Ῥωμαῖοι καὶ τῶν νεῶν οἱ ἀκριβέστεροι Βεσούβιον ὀνομάζουσι. τὸ ἔνδοξόν τε καὶ νέον ὄνομα τοῦ λόφου Βέσβιον ἅπασιν ἀνθρώποις γνώριμον; ex quo loco efficitur contractam formam rustici sermonis fuisse. — Ĭlūrios Plaut. Men. 235 Ritschel.: Illyria Propert. 1. 8. 2 Haupt., Hīlūrica Plaut. Trin. 852 Ritschel.: Illyricos Verg. A. I. 243 Ribb., Hiluricum C. I. L. III. 1854: Hillyricum ib. 1741. Hoc autem videtur etiam apud Ciceronianæ ætatis scriptores variasse:

pĕdĭsĕquus Cic. Att. II. 16 Wesenb. cett.: pedissequus Corn. Nepos. Att. 13. 3 Nipp. — Rŭpĭlius Hor. S. 1. 7. 1: Rupillius C. I. L. 1. 1421; ăcĭpensere Hor. 2. 2. 475 DF λ E₂ Holder: accipensere ib. σ et β. Măsĭnissa Sil. Ital. 16. 117: Massinissa; Vĕtŭlenus (Abascantus) C. I. L. III. 1792: Vettulenus (Nepos) ib. 793; sŏcius -orum: socciorum C. I. L. V. 4410; velit: vellit Grut. 672: băsĭlĭcă: bassilica C. I. L. IV. 1779; (Vŏlŭsius Catull.) Vollusianus Ren. 4312; pŏsŭit: possuit C. I. L. V. 5623. 'Ecce' imperativum esse a rad., 'ac' ductum valde probabiliter conjecit Curtius G. Et. 642. Si ita res se habet illud sic mutatum est: ĕce: ecce. Quamquam aliæ originationes ejus vocis factæ sunt a Corsseno ct Paulio. Discreta significatione in hoc genere fortasse dicta sunt: *tolo* (perfectum 'tolerint' Fabretti 1827, cf. Tol-umnius Fabr. ib. tol-enno Fest. p. 356, tol-ero, intenta vocali tŏl-es Fest. ib., etiam *tulo* 'tulat' Att. 102 R., perf. tuli et te-tuli Plaut. Ter. Att. Cæcil.): *tollo*. Corssenus autem et dubitanter Curtius tollo a *toljo dictum esse putant.

Quod si etiam ante longam syllabam earum correptarum syllabarum quæ in classica latinitate spiritus ictu non pronuntiabantur, consonas geminarunt posteriores, hoc etiam indicio est, provecta latinæ linguæ ætate rustici sermonis appellandi censuetudine discrimina quantitatis turbari cœpta esse; quamquam ejus rei non multa exstant signa tertio et quarto sæculo antiquiora. Cf. Vellina C. I. L. V. 742; Lallina Ren. 2932 sepellita Ren. 1767. Sed pro scriptionis an pro dicendi vitio habendum sit, decernere non possum; nam etiam ita geminatæ sunt nonnumquam consonantes in his inscriptionibus, ut non facile vox geminæ litt. scriptionem exsequi potuerit. Ut Consstantino Ren. 4329, Exttricatula ib. 4185, uxxor C. I. L. V. 6209. cf. C. I. L. II. 549. Antequam ad cetera transeo, hæc osca exempla adicio: osc. kaìsturei: kvaìsstur; lat. decumānus: osc. dekmanniešs, latmalum: osc. mallom; Statiis Staatiis: Σταττιηις, cett. exempla ap. Bruppacherum "osk. Lautlere" p. 84. Post brevem vocalem leviori spiritus pressione: 'Vĭrĭus': Vìrriis (an = Verrius?); cf. Virria; pocabid: pokkabid. Sed quemadmodum inconstantem fuisse rusticam vocem latinam vidimus, sic unum exemplum ab ratione nunc exposita discrepat: αππελλουνηι, cf. 'Appollo' rusticæ latin. Fuit igitur aut prima syllaba ejus vocis producta aut secunda correpta. Umbricæ autem consonæ quoniam scriptione non geminantur, appellandone sint geminatæ non liquet. Ut in hoc: Akedunia duplex n, ut osc. Akudunnia, an una, ut Aquilonia, fuerit constitui non potest.

J a m si spiritus inflatus est major, nonnumquam ante ore exprimitur consona quam inflatus ille plane exspiratus est, sic fit ut aspirentur

consonæ, de qua re mentionem feci p. 37. Inde apparet cur gravius anhelatæ consonæ aspirentur. Quamobrem ut in germanicis linguis demonstravit Verner in diarii Kuhniani t. XXIII p. 110 et q. sqq., ita in græca lingua et latina ab 'exspiratorii' accentus vi aspiratio consonarum repetenda est. Neque enim in aliis syllabis, quam quæ 'exspiratorio' accentu pronuntiabantur, si ab apostropha et analogia cognatarum vocum discesseris, ea *secundaria*, ut ita dicam, et *posterior* aspiratio facta est, sive acuebatur syllaba cujus consona geminabatur: *βρύκειν*: *βρύχειν, σπόγγος: σφόγγος, κύβελλον: κύφελλον; ἔλπος: ἔλφος; κύβη: κυφή Κρῆτες* Hes., baccar: bacchar; braccium Pacuv. 186 Ribb.: brachium bracchium, ***Βόσπορος*** Bosphorus, braca: bracha, Graccus priscæ lat. Quint. 1. 5. 17: Gracchus; orcus: orchus; sepulcrum: sepulchrum; lurco: lurcho; pulcer: pulcher; Oto: Otho; Mato: Matho; sive gravis erat: *πέπρᾱγα: πέπρᾱχα; ἀνέῳγα: ανέῳχα; ἀσπάραγος: ἀσφάραγος; κνιπός: κνιφός;* pulcritúdine Att. præt. 20 Ribb.: pulchritudo; pulchérrimus -me Liv. trg. 40 cett.; lurcáre: lurchare lurchabat Pompon. 169 Ribb. Incipientis syllabæ consonæ non hac ratione latine aspiratur nisi in paucis exemplis et rustici sermonis usu: 'chorona' 'chenturio'. Nam sive transpositus est spiritus: 'Khartago' Vel. Longus, 'inchoo' pro 'incoho', sive syncopa consonæ adjectus: 'chors' pro 'cohors', ad aliud genus referendum est. Sed quoniam Brambachius in libro de orthographiæ latinæ ratione reformandæ pp. 287—294 et Schmitzius l. c. p. 111 et q. sq. de aspiratis consonis copiose egerunt, eam rem relinquo, præsertim cum ea ipsa quæ allata sunt, sufficiant, ut vis spiritus in hoc genere definiatur.

Pergo igitur porro ad *ἀνάπτυξιν*. *Inter* consonas, sive primæ sive cadentis syllabæ sunt, "inflatus spiritus graviores impetu quodam exspirationis nati in pleniorem vocalis vim crescunt" (supra p. 27), præsertim si utraque aut altera consonans sonora est. De hac re, quæ in latina lingua rarior est quam in osca, ut alias omittam, copiose disputavit Ritschelius Plaut. Exc. VII—XII op. II 469—523, Schuchardtus de rustico sermone sumpta multa exempla II. 420 et al. l. attulit. Hæc igitur, ad cetera properans, commemoro, ut perspiciamus quid momenti in hoc gen. accentus 'exspiratorius' sive acutæ sive gravis syllabæ attulerit. ***Σκάρφος*** *κάρφος: σκάρῑφος* (discret. signif. cf. schol. Ar. Ran. 1493 et lex. Papei); *λίχνος: λιχανός* (de qua voce cf. Lobeck. pathol. II. 29) *ἀλγεινός: ἀλεγεινός; ἄλφος: ἀλωφός; πάλμη: παλάμη;* lat. Helvius: osc. Hellevis; argento: osc. aragetud; umbr. tefrom osc. teforom cett. vid. Bruppacheri l. c. p. 53 sq., umbr. *katl (cf. katl-u): katel, cett. Bréalius "les tables Eugubines" p. 317 — sed videtur

esse dubium num e illud per ἀνάπτυξιν insertum sit — fasc-ia: fasic-ia rust. serm. Schuch.); [1]) Ἀλκ-μαίων: Alcu-meo; atque etiam in initio syllabæ, si utraque consona ad posteriorem vocalem refertur, additiciæ vocales existunt: κρύπτω: καλύπτω; Agorasto-cles Agorasto-coles lat. co-clea: co-culea Plaut. Sed si causa huius rei ea fuit quod iunctura Romanis auribus insueta facta esset, nisi vocalis esset inserta, pro certo affirmare non licet spiritum ad eam rem aliquid valuisse. Atque hæc quidem hactenus de syllabis quarum consonantes gravius anhelantur quam vocales. Sequitur ut de iis mentionem faciamus quarum vocales gravius anhelantur quam consonantes.

Primum si spiritus ictus, qui major fuerat in consona, translata est ad vocalem, vocalis augetur, consona fit tenuior. Quæ si fuit longa corripitur. Stellio stellio: stelio Brb. Ng. p. 260, et ante i non casualem sic corripi solere ll demonstravit Lachmannus ad Lucret. p. 32, de qua lege quæ excipi debeant docet Brb. l. c.; [paullus Paullus: paulus Paulus Brb. Hbn; sed eam differentiam in scriptione positam esse docet Vel. Longus l. c.] In inscriptionibus liberæ civitatis magnus est numerus vocabulorum, quæ non geminatas pro geminatis consonantibus habeant. Ea tamen singillatim h. l. non affero, ne longis disputationibus a proposita quæstione abducar. Nam etiam in iis quæ posteriores sunt anno 640 usque ad initium octavi sæculi, diu erat scriptio incerta.

Bella: bēla C. I. L. IV. 1234; belissimus ib. 3201; Casellius: Casēliu ib. 2352 Rubēlio 1552 Stēlio 2448, cf. Ribb. in Verg. p. 426; Visēlius 1468; gralla: grālæ Varro. S. M. 172. 2 R., (*gradulo *gradlo grallo) grallatorem Pl. Pæn. 3. 21. 7: grālatores Varro S. M. 172. 2 Riese; sollicito (quasi totum i. e. penitus commoveo): solicito (sed ea scriptio dubia est); relligio: rēligio (rĕligio); rellicuus: rēlicuus; ballista: bālista Cæc. 27 R. — *Messānla (cf. Sen. de brev. vitæ c. 13 p. 509 ed. Elsev.) Mesalla: Messāla — Pollitta C. I. L. III. 1075: Politta ib. 3858; Opelliu sib. 1323, Opellia 1330: Opīlius 1330, Opīlii 1331 (cf. Duillius: Duilius), Marcellus: Marcēlus C. I. L. V. 1923; puēla ib. 6206.

*Cad-tu-s -su-s cassus: casus; *divid-si-o divissi-o divīsio Quintil. 1. 7. 20 comissari: comisari (illa scriptio antiquior, ss enim ζ græco respondet) Vel. Long.

[1]) Utramque enim consonantem, si duæ sunt inter vocales interjectæ, et positionem faciunt, ad priorem syllabam magis quam ad posteriorem pertinere, quamquam ab insequenti syllaba non omnino sunt segregandæ, supra demonstravimus. Non ignoro apud grammaticos veteres aliam nonnullis locis fuisse syllabarum divisionem. Sed neque sibi ipsi ea re constant, et in artificio positam esse illam divisionem ex hoc quoque apparet quod consonas posteriori syllabæ adicientes contra latini sermonis naturam conjungunt: bd- mn- cett.

2232; ēssum comēssum essurio Plaut. Ritschl. Fleck.: ēsum cett., obessus peressus semēssus: obēsus perēsus semesus Brb. Hbn. p. 50; missit C. I. L. I. 1012: mīsit et alia Corss. I. 282 sqq.; ussus Mon. Ancyr.: usus; exossus Pl. Fleck.: exōsus; Messius C. I. L. III. 14, cett.: Mēsius C. I. L. I. 1275 Atell. inc. inc. nomin. VIII Ribb.; [benemerentīsima C. I. L. V. 6172, sive potius fortasse benemerentīsima, cf. probīsuma C. I. L. I. 129 8]; discēsit C. I. L. V. 6196; ōsibus ib. 381 — sūsum; rūsus; prōsa Plaut. Pseud. 4. 1. 54; frēssum: frēsum; deorsum *deossum: diōsum Luc. 5. 4 It.; osc. azserum: āserum (Siser *Siser-na cf. Cicer Cicer-o) Sisenna: Sisēna C. I. L. I. 340; Perpenna ib. 578: Perpēna ib. 932; cānus C. I. L. IV. 1261; Tyrānus 543; [mercennarius: mercēnarius sed hæc scriptio dubia est, cf. Brb. Hbn.].

Parricida: pāricida Fest. p. 221; *barditus, barritus: bāritus Brb. Hbn. garrulus: gārulus Append. Probi, qui hanc formam reicit; succurro: sūcūras C. I. L. IV. 1684; verrinus: Vērinus C. I. L. III. 4107.

Succīdia: sūcīdia; (sub + gilvus) suggillo: sūgillent Varro 153, 8 R.; suggillatum Fest. 302 suggillatio: sūgillatio Liv. 43. 14; præp. ec- adsim.: ē.

*Apmentum ammentum: āmmentum āmentum; comminus: cōminus (? cf. Fleckeis. 50 præc. s. v.); cōmune C. I. L. V. 6225; Cimmerii: Cȳmeriosque ib. 5737. — Redduco: rēduco, rĕduco Luc. M. de r. m. 362.

Suffēnus Catall.: Sufēnas C. I. L. I. 464.; futtilis Pl. Stich. 398: fūtilis; Vētiom Pomp. 2426 a — Agripa C. I. L. V. 4064; 'ab' adsim. -: ā- (ă-); 'ob'-: *ō-, ŏ-.

Discreta significationibus in hoc genere sunt: *sollus: sōlus* de quibus jam mentio facta est p. 27; **spid-nu-s* (a rad. spid græc. σπιϑ-α-μή, isl. spíta) *pinnus, pennus* acutus Isid. or. 19, 19 (cf. bi-pennis): [1]) *spīna* (rosæ) [2]) *pīnus* arbor, ut ab 'ac' i. e. acuendo ăcer ob folia acuta, sic fortasse propter spinas vel acuminata folia dicta; ("picnus, pinus" recent. gramm.); [3]) (*pinna) pina* cochlearum genus spinosum ("taggmussla"). *Mantellum* tegimen: *mantēlum* mappa Lucil. fr. 32 L. Mueller Festus 133 M ('mantēlorum')(?) Mantelum non potest esse dictum pro *manticlum; nullum est enim exemplum figuræ q. e. -iculum in -ēlum contractæ; sed-tēlum -tēle fort. a texendo. In eodem genere discreta sunt ὀφέλλειν ὀφείλειν, de quibus Curt. Grz. [4] p. 618.

Atque etiam fit, ut post productam vocalem consona intereat. Semivocalis v: Ausculum: Asculum; Augustus: Agustus, cett. Schmitz l. c. p. 96 sqq. *Ausontios — cf. Auson-es Aurun-ci Auson-ius — *Auruntius: *Aruntius Aruntius C. I. L. I. 752 et *Auson(t)s *Auruns: Aruns; Aurēlius: *Ārēlius,

Arellius C. I. L. 1026, -ia 1239; Laurentius Laurens: Lārentia Ov. Fast. 3. 55; Davus: Daus Hor. S. II. 7 Holder. In sermone pleb. fluio (flūvio) Flāus (Flāvus) vīus = vīvus Corss. I. 356. Nŏvĕmbris Nŏĕmbris (cf. p. 102 et q. sq.). L: fortasse *gultur: *gūtur, guttur. Rustici sermonis et postremæ ætatis: 'ducissimus' cett. Corss. I. 228. Umbrica: muta V b 2, 3, 6 = lat. multa; *solvom *selvom?: sēvom, sēvum VI a 55 A. K. [1]) R: *porsco: posco 'umbr. persnihmu: pesnimu; peperscust VI 65: pepescus VII a 8; perjerare: pējerare; *ferv-ri-s *ferb-ris: 'fēbris' (Lucret. 6, 656 "accepit calido fēbrim fervore coortam") 'fēbris' (fēbrīculosi Catull. 6. 4). Aliter Corss. Btr. 204 'fer-bris': 'febris.' Sed nescio an recte Varro p. 102, 4 R "a fervore febrim" repetiverit. Neque enim solum posteriori usu (Corssen. I. 134) v latine in b ita transire potuit, sed *ghalv-u-s gilv-u-s helv-u-s: gilb-us [galb-u-s Galb-a galb-i-nu-s] et -vo-: -bo- (cur-vu-s acer-bu-s) -vi-: -bi (pel-vi-s ple-be-s) satis signi sunt, id jam antiquissima ætate factum esse. Cf. deferb-ui ap. Ciceronem et Columellam pro de-ferv-ui (Koffmaneus s. v.) et ferb-ui (Koffm. s. v. p. 75). *Tors-tu-s: tōs-tu-s; controvorsia: controvosia C. I. L. I. 199.

S mediæ vocis post vocalem interdum detracta est, cf Schuch. II. 355 et hæc ex.: posmeridianus: pōmeridianus; Crispinus: Cripino Ren. 17; Vesbinus: Vebinus C. I. L. IV. 2319 c. — Umbr. muneskla: munekla. M post vocalem detractæ exempla vide Corss. I. 263. N: trāns- trā-, cett. v. Corss. I. 251 [2]). — C: cocturnix: cōturnix (etiam cŏturnix); dūmicētum, *dūmicētum dumectum: dumētum; quicquam accus. sing.: quīquam S. C. de Bac. 12; sectius: sētius; sexvir: sēvir.

Significatione discreta sunt in hoc genere: sabina *Scesna*: *cena* ("*scensas* (sic!) Sabini dicebant quas nunc cenas, quæ autem nunc prandia, cenas habebant." Fest. p. 339 M.). Quæ post fuit interdum rustici sermonis usu litteræ s ecth lipsis, ea fuerat etiam antiquissimæ latinitatis, cf. Casmena: Camena (rad. cans-). — **Infenstus, infensus: infestus* (utrumque activa significatione; illud ad animum translatum est). Hæ terminationes: *-ōntio- -ūntio -unti: -ūtio -ūsio* (ŭsio) *-ūrio -onso -oso;* et *-ēntio- -ensi-: -ētio- ēsio-ēsi- -ēsio -īrio-* (ĭsio) *-ērio-* (ĕrio), quarum vocales etiam prima

[1]) Cf. etrusc. Caul: Cau (Corssen. de Lingua Etrusc. I. 1009) et priscæ linguæ francicæ alne aulne: aune. Nam ille sonus vocis in confinio litterarum versantis, quem hodie 'portamento' dicunt, si est præcedenti vocali adsimilis, ad producendam simplicem illam pertinet; sin habet certum soni discrimen, aut diphthongus nascitur, aut vocalis proxima immutatur.

[2]) De trāns trā- Cf. Prisc. XIII. 39 H et schol. Bemb. ad Ter. Phorm. prol. 2: "transdere' veteres sonantius, quod nos lenius dicimus 'tradere', ut e contrario illi 'tralatum,' nos 'translatum'".

positione longas esse docet Schmitz. l. c. p. 27 et sqq.; magis infinitæ sunt vi illæ quidem quam ut certis significandi discriminibus distinguantur; sed cum proprie essent duarum figurarum per gradus deinceps mutatæ formæ, consuetudine loquendi sunt factæ certæ quædam figuræ, quarum sua quæque analogia propagata est, nisi quod pro -ensio- -ensi item -esio- -esi- promiscue nonnumquam ponebantur, et quidem Megalensia -esia ita variant, non modo priscæ, sed etiam interdum posterioris ætatis usu. Cf. Albesia P. D. p. 4 = Albensia, Alliesis P. D. p. 7 = Allienses; Megalēnsibus Cic. Fam. II. 11. 2, Megalēsia Cic. de Harusp. resp. 11. 25 Bait. Megalēsium gen. plur. Tac. Ann. 3. 6. "Cicero 'foresia' 'Megalesia', 'Hortesia' libenter dicebat" Vel. Longus p. 2237 P. Rustici sermonis sunt 'castrēsis' et alia quæ a Corsseno allata sunt. Item variare etiam ap. posteriores: 'formonsus' et 'formosus', nemo ignorat. Sed ceterarum illarum figurarum detracta n nata discrimina, priscæ vetustatis sunt, nam præter -ensis- et ōsus nullorum nisi propriorum et origine perantiquorum nominum sunt terminationes; quæ raro variant in eodem nomine: Papisius (Carbo) C. I. L. I. 360 Papirius 930 Paperius (Carbo) 554. Cum autem Appi Claudi Cæci ætate scriptione distingui coepta essent -usio: -urio -esio -isio: -erio -irio, s rarius sensim factum est. Nonnulla tamen retinuerunt s: Volusius, Resius, Carisius C. I. L. III. 6010, 49, cf. Carentis C. XII (post etiam Charisius); sic discretio quædam facta est. — Fickius Lex. s. v. contulit scr. āntra (intestina) gr. *ἦτρον*, lat. ŭterus; sed si primæ syllabæ vocalis natura producebatur, syllaba ea primo fuit longâ longior, ut mirum videatur, eam corripi potuisse. Quamobrem probabilius est magis cognata esse scr. 'antara' 'antra', quod idem atque 'āntra' significat, græc. *ἄντρον, ἔντερα,* isl. íðr n. pl. intestina, lat. **interus inter -ior: *ūterus*, inde *ūter* et *ŭterus*.

Jam vero apparet, omnia exempla quæ attulimus syllabarum vocali ita productarum, ut corriperetur consonans finalis, ad id genus referenda esse ex quo quæ sunt syllabæ spiritus pressione efferuntur. Atqui quoniam vidimus productionem et ictum, sive per totam syllabam pertinet, syllabæ, sive ad consonam, consonæ, natura conjuncta esse, etiam in hoc genere, ubi consona corripitur, pressio spiritus ad vocalem producendam aliquid momenti attulit; et in vocali præcipue versata est. Qua re Sieversii sententia refellitur. Nam sic ille l. c. p. 134: "Was den Einfluss des exspiratorischen Accentes auf die *Vocale* betrifft, so pflegt von uns die grosse Intensität der Vocale der Tonsilben gar leicht übersehn oder als etwas selbstverständliches betrachtet zu werden, ja man bringt wohl gar diesen Accent ohne Weiteres mit den Vocaldehnungen betonter Silben zusammen, aber mit Unrecht. Stark exspiratorischer Accent auf kurzen

Vokalen schützt vor der Dehnung, ja er veranlasst sogar oft die Kürzung ursprünglicher Längen." Omitto ea verba quæ illum locum concludunt; quamquam vellem dixisset vocales longas corripi cum spiritus vis in vocali non consedisset et in finali consona intentus esset, sed repugnant quæ loco illo posuit. Quid, quæso, est ille intentus sonus vocalium ("die Intensität der betonten Vokale") nisi spiritus inflatus major vel 'exspiratorius' accentus cum vocis fastigio conjunctus? Sæpissime factum est illud quidem in lingua Germanorum, ut geminaretur consona percussæ spiritu syllabæ, sed etiam vocales earum syllabarum nonnumquam sunt productæ. Et fortasse illa appellandi varietas qua discreta sunt (Răbe) Răbe et Rappe, (Văter) Văter et Vatter, cett., ab eo profecta est, quod modo vocalis, modo finalis consona syllabæ majore spiritus pressione pronuntiabatur. Eadem varietate suecana lingua et germanica differunt: sueth. ŏk germ. joch, su. hăt germ. hass, sueth. svăg, germ. schwach cett. (Cf. Emil Petersson, "der Ablaut" Lundæ 1877 p. 31). Neque vero "gravis" quem dicit Sieversius p. 115 accentus vi pressionis ab acuto natura quidem differt, hoc potius statuendum est discrimen, illum decrescentem in ipsa vocali pressionem, hunc in fine graviorem habere. Sed vide ne accentus discrimina confundantur si gravem eum, quem Sieversius, appelles; qui non modo gravi, sed etiam acuto et circumflexo et latinorum, si modo testimoniis grammaticorum credimus, et nostræ linguæ accentibus respondeat. Ut acutus suecanus accentus spiritus pressionem in vocali maxime positam habere potest: fát, státen, cett. In quibus vocibus vocalis non circumflectitur, nam vox acutæ syllabæ tractim prolata per totam syllabam pari est altitudine. In islandica vero recenti et færoeica linguis hunc accentum productarum syllabarum magis constanter esse quam in suecana, auctor est A. Kock "språkhist. unders. om svensk akcent", Lundæ 1878 p. 49. In latina vero lingua etiam circumflexa vox ad producendas vocales, ut corriperentur consonæ, valuerit, necne, decernere nequeo. Certe si ea vis fuit circumflexæ vocis, non fuit nisi in eas syllabas quæ circumflectebantur. Consentiunt autem grammatici latini, non circumflecti nisi natura longam pænultimam quam excipiat brevis ultima et ultimam natura longam. Quamobrem ab hac quæstione sejungenda sunt tonsíllæ tosíllæ Pacuv. 218, grallatóres: gralatóres, tránsdō: trádō, omnes denique syllabæ quæ non circumflectebantur. Et cum in universo hoc genere manifesta sit vis spiritus, consentaneum erit in eā cognoscenda versari, circumflexum in medio relinquere; præsertim cum Langenus et Schoellius iis quæ de hac re disputarunt, si non funditus sustulerunt latinum

circumflexum, at effecerunt ut dubium videatur num in veritate fuerit, et non ratione grammaticorum contineatur. Denique quoniam alia est in alia lingua articulandi consuetudo, hæc et separatim et conjunctim quærenda sunt neque confundenda: vocis inclinatio sursum aut deorsum, qua sola re acuti, circumflexi, gravis accentus discrimina continentur, et spiritus pressio, quæ vel gravior est vel levior, vel per totam syllabam pertinet, vel in parte syllabæ major est, ut modo decrescat, modo augeatur. Atque hæc "intentionis" genera, quorum duo sunt syllabarum brevium: unum cum syllaba brevis aucta vocali p. 6 et 77—83; alterum cum aucta consona producitur p. 76 et 134; cetera in syllaba producta versantur: tertium cum vocalis aut consona producitur ut cetera pars syllabæ non minuatur, ex quo genere sunt, quæ longis longiores dicuntur, p. 127; quartum cum consona producitur ut corripiatur vocalis, p. 128—134; quintum cum vocalis, ut corripiatur consona, p. 135—140 breviter persecuti sumus. Restant syllabæ quarum vocalis diphthongus est. Promiscua significatione *pūsillus (pūsillus): pausillus Næv. com. 55 Afran. 247 Nov. 62 Turp. 90 Rib. (Pōsilla Hor.); *pūire pūvire Fest. p. 191 M (cf. ind-uo ex-uo ind-uv-iæ ex-uv-iæ, flu-o fluv-ium, rad. plu pluv-iæ bo-o bov-o): *pauire, pavire (ferire); (frūdes) frūde C. I. L. I. 198, 64 frūdi Lucr. 6. 192 frūdes Næv. I. 1: (fraudis) fraus fraude C. I. L. 198, 69 XII Tabb. 10. 8 Bruns cett. (de stirpe cf. Curt. Et.[4] 222 Diar. K. II. 399), defrūdare Men. 686, 687 Ter. Phorm. I. 1. 10: defraudare Pl. Asin. 91. 94, clūdo: claudo; nūgæ: naugæ, de qua voce cf. p. 79. Significatione discreta: *rūdus: raūdus* (de quib. p. 79); *(cotis) cōs* [1]) rupes [2]) qua ferrum acuitur: *(cautis) cautes* rupes (Rad. ka- kan- Van. Lex. I. 197). Sive can-tis sive cā-tis primariam formam ducimus, necesse fuit inde fieret cō-tis, tum cautis. Neque enim nisi ex u vel o au fieri potuit. De *fluo: fleo, lŭo lū: *lauo lăvo, scĭd-: *scīd-: scæd-, lĭd-o: læd-o* jam p. 6 mentionem fecimus. Multa autem sunt quorum primitivæ formæ vetustate obsoleverint, de iis Corssenus copiose disputavit de enunt. I; et magnum numerum exemplorum attulerunt Curtius Etymol. et Fickius in lexico et Schleicher in compendio et variis locis alii. Et ad illud genus quod primum posui referri deberent omnes quæ diphthongum haberent syllabæ, si verum esset, quod Corssenius multique alii arbitrantur, breves vocales in diphthongos protenus abiisse. Sed quoniam ii qui de vocum naturis disputant, consentiunt, quæ tractim pronuntientur vocales, eas in diphthongos sæpe mutari, quod vix cadere possit in vocales correptas, ducimur ad opinionem Benfeyi a productis vocalibus repetendas esse diphthongorum origines. Primo igitur brevis illa producta est, producta et simplex vocalis jam retenta est, jam in diph-

thongum mutata. Et cum inde ab antiquissima vetustate initia hujus mutationis sint repetenda, sive diphthongus sive simplex et longa illa usu prævaluit, altera fere est obsoleta. At restant etiam exempla quæ in aliis linguis priorem illam simplicem et productam, in aliis habeant vocalem diphthongum. Ut scr. krīdā: lat. loidos ludus; græc. μῖσος: lat. mærere; a. g. skīrī adj., scand. skīra lat. sin-cēr-us pro *sin-cīr-us: cærimonia; cum illis q. sunt 'lædere' et 'līdere' conferre licet aut scand. slīta (terere, vellere), aut, quæ est Fickii sententia s. v. sridh, a. g. slīthi sliđi goth. sleitha (damnum); græc. δῖ-ος, isl. tí-r dat. tív-i plur. tív-ar lat. dīvu-s dīus: scr. dēva osc. deiv-aì volsc. dēvē lat. (deiv-os) deiva C. I. L. I. 172, 178, 638, dēvās (= deva-is) dat. plur. C. I. L. I. 814 *dēus dĕus. Si ū et ī quibus respondeant in alia lingua simplices et productæ vocales, aut earum syllabaram quarum geminæ, simplici vocalis sono in diphthongos mutato, ipsa latina voce exstiterint formæ, in inscriptionibus sunt antiquioribus aut ejusdem ætatis aut non multo posterioribus, diphthongus est in posterioribus aut ejusdem fere ætatis: illis quidem locis non omnibus est quod, ut Corssenus, sic nos putemus illas ī et ū factas esse ex diphthongis. Cf. vīvo C. I. L. 1028 veivont ib. 1271, Calīdius ib. 336 Otteidius ib. 634; ibi C. I. L. I. 199 ibei l. c. 196, iūs ib. 200, 202 ious 204, cett. Quod si verisimile est hæc scripturæ magis varietatem quam appellandi discrimina reddere, tamen hæc ipsa scribendi variantia deducit nos ad illam ætatem, cum non ita stabilis voces efferendi usus per varios sonos vagabatur. Inter eos autem sonos quin simplices diphthongis *nascentibus* ætate antecesserint non est dubium. Quamquam rursus diphthongorum elementa usu corrumpi atque in unum confundi inde ab ætate litterarum monumentis anteriori coepta sunt. Quamobrem de iis quæ exstant utra forma genere prior sit sane sæpe est ambiguum. Ad intentas vocales diphthongi a grammaticis hujus ætatis referri solent, et, quia diphthongi simplicibus sæpe quidem videntur esse graviores, fortasse referri debent. Ita erit earum locus in tertio illo genere. Quæ ut e simplicibus fierent, circumflexa vox fortasse aliquam vim attulit, spiritus autem ictum ad eam rem pertinuisse vix crediderim. Quamobrem ab illis intentionibus quæ spiritus vi continentur, fortasse sejungendæ sunt. Atque hæc de vocalium intentionibus spiritus pressione importatis hactenus. Sequitur ut breviter comprehendamus ea quæ de spiritus vi corripiendi proximam syllabam p. 84—108 disputavimus. Videbamus non solam hujus rei causam fuisse in spiritu unius syllabæ, et universi verbi appellationem, cum singulas syllabas coartaret litterasque redderet exiliores

ad eam rem valde pertinuisse; sed tamen est quædam vis graviter anhelatæ syllabæ etiam in alias, et ea major in contiguas.

Ac primum nescio an, etsi Curtius in diarii Kuhn. t. IX in aliam sententiam subtiliter disputavit, tamen aliqua vis fuerit exspiratorii accentus ad proximas syllabas tamquam tenuandi. Tenuantur sane eæ ipsæ syllabæ quæ exspiratorium accentum habent. Quæ quidem etiam corripiuntur. Quippe universi verbi vis quædam in eas ipsas syllabas valet. Neque tamen dubium est quin spiritus magni ad correptionem exiliorum syllabarum momenti sit. Ex quo efficitur et corripiendi et tenuandi voces plus quam unam causam esse; spiritus ictus ad eam rem nihil pertinere non efficitur. Accedit quod, cum in compositis, ut facio conficio, consæpio consipta Enn. Trag. 454 Ribb. *quinquartio: quinquertio (πένταθλος) Liv. Trag. 41 R., dispartio Afran. 2 dispertio Nov. 15 R., detractantibus Sall. fr. hist. III. 77 Kritz: detrect.; obstupesco: obstipesco; haruspex: rust. serm. harispex, cett., vocalis posterioris membri tenuatur, pressio spiritus est vel fuit in priori; — neque enim dubium est si præpositiones 'pro' et 're' coripiuntur: prŏfestus rĕcīdo cett., quin ea correptio non sit principalis positionis, nam constat 'prō' natura longam ab initio habere vocalem, et retinuisse in plerisque longitudinem; 're' quod proprie est 'red' per hos gradus: re + consona: rē-: rĕ- correptum, et nonnulla productæ formæ exempla relicta esse, supra vidimus; — aut analogia fortasse valuit ad eam rem. Ut quemadmodum 'anceps præceps trīceps', ita videtur dictum esse 'bĭceps'. Exempla quoniam in promptu sunt, et multa attulit Corssenus, plura afferre supersedeo. Atque etiam præter compositionem ea vis exstat: *Χαρμάδας Χαρμίδης*, antesto: antisto, flaccesco: flacciscunt Pacuv. 77; protenus: protenis Ritschl. Op. II. p. 245; torrus Non. p. 15 Serv. in Aen. XII. 298: torris (alia ap. Corss.). In hoc genere significatione discreta sunt: *festuca: fistuca* (cf. p. 30); *Decumus: Decimus*, quod utrumque est nomen proprium, alterum etiam adj. ordinale; *tempori tempore* abl. sing. et adverb.: *tempĕri* adv. Quamquam fortasse in 'tempĕri' quoque 'tempus' ablativo casu declinatum est. Cf. 'pigneri' Plaut. Captiv. 2. 3. 73, 'jecinori' et 'jocineris'. Multa adjectiva, tenuata vel correpta terminatione in præcipua significatione substantivi ponuntur: (gr. *γλαυκός* adj.: *γλαῦξ* subst.; *gibber* 3 gen. adj.: *gibber*, -is subst.; *capitale: capital* Varro; *sudus: sŭdis*; de quibus infra mentionem faciemus. Item ex subtantivis substantiva nova significatione: *Cornicinus* n. pr. Cic. Att. 4. 2. 4: *cornicen; nasus: nares* n. pl. pars nasi; ex adjectivo adjectiva: *Hortensius: hortensis*, cett. Deinde ad corripiendas

proximæ syllabæ vel consonas vel vocales ea vis aliquid nomenti attulit: Aufillus Anfilena Messalla Messalinus Vetullius Vetulinus (Vetullinus C. I. L. IV. 1599 (sed ea lectio dubia est), pollen: polenta. — *Perfidus: perfĭdus, et alia quorum principales formæ sunt obsoletæ, attuli p. 84.

Etiam ex his correptionibus apparet, contiguos productarum syllabarum ictus non semper fuisse æquales, et modo priorem modo posteriorem prævaluisse. Et præcedentis syllabæ 'exspiratorius' accentus: defrūtum (cf. βρῦτον Corss. I. 145) Plaut. defrŭtum: defrŭtum Verg. et insequentis: cōturnix cōturnix: cŏturnia; lōcusta lŏcusta; ('mutto' — duobus enim t. scribendum est, nam sic scribitur Hor. S. 1. 2. 68 et in Porphyrii comment. in eum locum et in Lucil. fr. VIII. 8 L. Muell.) *muttoniatus: mŭtoniatus Mart. III. 73. 1; (curru-s) *currulis: cŭrūlis ("curules equi, quadrigales" P. Diac. p. 49 M. et cŭrūlis sella) correptionem proximæ importavit. Discreta significatione: (a rad. kar eminendo, cf. κάρ-η cal-a-mu-s, crī-sta car-du-u-s, -cell-ere germ. hêr) *pro-cēr-u-s* (de corporis altitudine): **pro-cēr-us procĕr*, pl. *-ēs* (de alto dignitatis gradu et de summo genere); *fulg-or fulg-oris: fulg-ur fulg-ŭris*, quod, postquam vocalis genitivi correpta est, neutrorum analogiam sequitur. — *Alâtus: *ālāts *alĭts ăles -itis.* Constat ab auguribus aves quasi alatas dictas esse quasdam, ex quarum volatu res augurarentur et a poetis aves generatim; et similiter alia quæ celeriter volent. Proprie autem ales = alātus. Cf. Cythereæ puer āles; 'angues ingentes alites iunctæ iugo' Pacuv. et 'equi alati' Ov. Fast. 3. 415. Klotzii originatio, qui dicit ales junctum esse ex alis et eundi verbo, reicienda est; quia alis ire aves latine non dicuntur. — *Hædile hædīlia: Hædĭlia* mons. In his exemplis eos ictus qui graviores viderentur solos scriptura reddidi.

Figura illa quæ est *-eius* latine est contracta et correpta, ut in plura suffixa divideretur: *-eius -īus ĭus -is, Lūcejus (Luccejus): Lūcīom* Scip. elog.: *Lūcĭus.* *Turpileius Turpleio C. I. L. I. 65: Turpilius C. I. L. I. 181 cett. *Mummeius (cf. Mummei-anus C. I. L. I. 743): Mummius. Sic factum est ut contracta forma hujus figuræ (ē-ja) et *-jo -ĭo quæ ipsa positione brevis est, in unum confunderentur. Quomomodo ad contrahendas voces exspiratorius accentus pertinuerit, supra explicavimus. In hoc quoque genere alia promiscue ponuntur, alia significationibus discreta sunt. Promiscue ponuntur: juventus I. 1. 1: juventute Most. 30 cf. junior Plauti Menæchm, i. e. juvenior, et al. ejus gen., de quib. commemoravit Lorenz. ad Most. I. 1. 29; Ter. Phorm. 8 di..tioribus A, ditioribus Umpfenb. (ditiæ Plaut. Trin. 682); oblivisci Mil. Glor. 1359 (obli-

viscar) obliscar Att. 488 Ribb. obliscier Att. 190; obsēvisse: obsesse Att. 115 Ribb. adolēvisse: adolesse Ovid. Her. 6. 11, admōvisse: admosse Liv. 38. 453, cett. ălĭud: alid (in vetustiore latinitate et in sermone plebejo); canite: cante Carm. Sal.; terminatus: umbr. termnaz; præcoquus præcoquis præcox — et multa adjectiva sic contracta sunt — osc. Perkēnos: Perkens; inquietus: inquies; merces: merx; lacte: lac; *prævocon.: præcon-; prævides: prædes præs Lex. agrar., C. I. L. II. 715, ficedulæ: ficellæ, nitedulæ: nitellæ Lucil. (aperio) *aper-ī-cus: apricus; bessis: bes, semissis: semis; iurigo Plaut.. iurgo (At 'purigo' pro *purico dictum videtur); dextera: dextra Brb. Hbn.; iugulus: iuglus; congenuculo: congenuclat Coelius ap. Non. p. 89 fr. 44 Peter, congenuclati Sisenna ap. Non. p. 57 fr. 33 Peter (congenulati Non.); hīrula Lab. 22 R.: hilla Lab. 145 R.; dehibeo Plaut. præhibeo Plaut. prohibeo: debeo præbeo probeo Lucret.; opperitus Plaut. Most. 775 oppertus; *noventius (Bergk.) aut *noviventius (Corssen.): nuntius; formucapes P. Diac. p. 91 M. e conjectura Scalig.: forceps Curt. Grz [4] 486, dubitanter Stoltz. "die Lateinische Nominalcomposition" Innspr. 1877; 'Popedius' Sisenna ap. Non. 356: osc. Pùpdiis; cohors: chors, mira scriptio est C. I. L. II. 4414 cohrtem, cujus rationem reddere possum nullam, præterea de significationibus ejus q. e. chors jam mentionem fecimus; *mănĭluviæ: malluviæ Fest. p. 207 M.; latericulus laterculus; cérevisia: cervisia cervesia; Boiohæmum Boiohemum: Boihemum Brb. Hbn.; indūĭtĭæ: indutiæ; ŏdĕ-facio P. Diac. p. 179 (cf. tĕpĕ- călĕ-facio): olfacio; lat. minister pl. -strī (in prisco et fortasse in pleb. sermone mĭnĭster, cf. p. 51 et 88) osc. minstreis (= minores); anxietudo: anxitudo Att. ap. Non. p. 73; manipulus: maniplus; jŭvĭcundus: jūcundus; rĕlĭcŭus: reliquus.

Discreta significationibus sunt in hoc genere: *damnatus* generali significatione: *damnas* dare alicui aliquid; *puĕllus* in prisco et in rustico sermone (et *pulla;* de quantitate mediæ syllabæ cf. p. 88) dicitur de hominibus: *pullus* de animalibus — promiscua autem fuerunt 'suĭllus' et 'sullus' Plaut. Fest. p. 333 M. —; Lūcīna Macrob. Sat. I. 15, 18, Ovid. Fast. I, 55 Preller Mythol. p. 140: *Lūcĭna *Lucna Lūna; cŏlŭmen* 1) fastigium 2) summus gradus, qui summum locum obtinet 3) adminiculum firmamentum præsidium: *culmen* 1) et 2), non 3). Apud Plautum 'columen', non 'culmen' poni auctor est Brix. ad. Trin. 85. Harum autem *κάλαμο-ς cala-mu-s* et *cul-mu-s* discretio latinæ linguæ finibus non continetur. Calamu-s a græco fonte esse in Latinam linguam deductum, quod dubitanter dixerat Curtius Grz [4] n. 29, affirmavit Al. Saalfeldius in l. de vocabulis græcis in latinam linguam translatis Berol. 1874 p. 19, et id quidem non injuria. Primum

enim forma vocis obstat quominus calamus gemina latina vox habeatur. Nam cum a correpta vocali 'ă' copula in juncturis conglutinandis latinus sermo abhorreat, græco ă talibus locis respondent latinæ ŭ: gr. βούβαλος lat. bubulus gr. πέι-α-λος, lat. pat-u-lu-s, aut ĭ: τρυτάνη trutĭna, aut ĕ: φάλαρα phalera, aut nulla vocalis. Et quidem figura hæc -mo, si ab an-i-mu-s gr. ἄ-νε-μο-ς an-i-ma, victĭ-ma et superlativo -ŭ-mo -ĭ-mo: ips-ĭ-mu-s inf-ĭ-mu-s plur-ĭ-mu-s discesseris, stirpi ipsi, nulla interjecta vocali, addi solet: gr. γνώρ-ι-μο-ς γνωρ-ί-μη lat. nor-ma, *sup-mu-s summus, fūmus līmus hāmus gr. παλάμη lat. palma flamma gemma formus forma arma almus firmus. Quæ a græco sermone translata sunt alia huic latini sermonis legi acommodata sunt: μηχάνη marchina σκυτάλη scutula σπατάλη spatula πάσσαλος pessulus (sed hoc fortasse linguæ græcæ et latinæ commune fuit) πατάνη patina, κραιπάλη crapula, alia græcam vocalem retinuerunt: πτισάνη tisana, ἄβαξ abacus, κάκκαβος caccabus, κάνθαρος cantharus, κάρβασος carbasus, γαυσάπη gausapa, σίπαρος supparum (de quibus ment. fecit BEERMANNUS "Griech. Wörter im Lateinischen" in comment. a Soc. philologa Curtii 1874 ed. p. 109) hilărus calathus; item laganum lasanum lapsana astacus balanus grabatus (κράβατος); καμάρα latine variat: camara et camera; cantheri Luc. III. fr. 22 videtur idem esse quod canthari. Hortălus per deminutionem dictum ab Hortensio et Săgăna (a sāga?) singularia sunt et videntur analogiam græcorum nominum secuta esse. 'Calamitas' quia accentum exspiratorium habet in -ăm-, a ejus integrum est. Sed præterea nullum, quod genuinum latinum vocabulum certo dicatur, ă illud illo loco retinuit. Galbanus et galbĭnus fortasse a celtica aliqua lingua repetenda sunt; nam Galba celticum esse dicitur Suet. Galb. 3. Item vertăgus celticum esse dicitur (de quo supra commemoravimus). Găbătæ ("gabatas paropsidesque" Mart. 31. 18) etiam foris esse adsumptum videtur. Deinde miror quod TUCHHAENDLER l. c. p. 12 dicit vim vocabuli q. e. 'calamus' obstare quominus tralatum id esse putemus. Neque enim *calamus* in soluta oratione ante Plinii ætatem pro 'culmus', quod est apud Varronem, ponitur. Dicitur autem apud antiquiores *calamus* qui ad scribendum usurpetur Plaut. Pseud. I. 5. 131, odoratus Plaut. Pers. I. 3. 8, c-i quibus cecinerint Lucr. 4. 590, 5. 1380, apud Augusteæ ætatis scriptores etiam sagittæ "spicula calami Gnossii" Hor. c. I. 15. 17. Est igitur 'calamus' in numero vocum quas multas, imprimis ut res ad victum, cultum, artes, denique ad vitæ usum pertinentes significarent, Romani a Græcis mutuati sunt. Illis autem supra comparatis efficitur, quemadmodum palma et παλάμη, ulna et ὠλένη, sic *calamus* et *culmus* proprie

eandem fuisse vocem, quæ, linguarum latinæ et græcæ divortio facto, ut utriusque linguæ natura ferebat, duplicem speciem induit.

Sed ad reliqua transeo. *Lavātrīna* in prisca latrinitate dictum esse pro balineo auctor est Varro IX. 68: **lavătrīna* i. e. *lăvătrīna lātrina* apud antiquiores ponebatur eadem significatione qua illa forma Lucil. ap. Non. 212. 12, post ad immundi loci nomen translatum est. Hujus igitur vocis primæ partis contractionem posterioris syllabæ ictus importavit. Compósitus omnibus componendi verbi significationibus et a grammaticis pro nomine adjectivo de junctis vocabulis usuurpatur: *compóstus* poeticum est et dicitur vel arte compositus Lucilius apud Ciceronem: "quam lepide λέξεις compostæ", vel de eo qui se quieti dederit, Varro At. ap. Senecas patrem et filium: "placida composta quiete" et Verg. Aen. I. 249. Item cetera contracta et juncta verbi ponendi participio poeticæ dictionis sunt: *disposta* Lucret., *impostus* Lucret. et posteriores poetæ (et Tac. Ann. 11. 31 cod. Med. II, Ritter: 'impositus'); *repostus* Lucret. et post. poetæ, *repostor* Ov. Fast. II. 63; *suppostus* Verg. Aen. 6. 24 Sil. It. *sepostus* Sil.; *expostus* Verg. Stat. *depostus* solus Lucil. 3. 24 M. Simplex autem participium hujus verbi non contrahunt nisi Lucretius et Silius (Cf. Koffmanii l. s. v.). *Repositorium,* in quo positis lancibus mensa instruebatur, Petron. 60: *repostorium,* conclave ubi res pretiosæ servabantur, Capitolinus M. Ant. Ph. 17: (Marcus Antonius vendidit) "gemmas, quas multas in repostorio sanctiore Hadriani repererat."

Alitus partic. verbi alendi Plaut. Varro Cic. cett.: *altus* 1) = alitus Sall. Jug. 63. 3 Dietsch. Curt. Valerius Max. Seneca Ulpianus 2) nom. adjectivum de eo qui erigitur in altitudinem. (Simpulus = simplus) *simpulum: simplus,* Corss. de en. [2] II. 72. *Manīlius *Manĭlius: Manlius.*

Surrigere transitive "significat susum erigere: quo verbo utuntur rustici, quum tritæ friges ad ventilandum in areis eriguntur. Verg. Aeneidos lib. IV (v. 183): tot linguæ tot ora sonant, tot surrigit aures" Non. p. 49: *surgere* intransitiva vel potius mediali significatione.

Satis: sat 1) quantum sufficit = satis; 2) tantum quanto te contineas: Lucil. 5 fr. 33 M. "nam si quod satis est homini, id satis esse potesset, hoc sat erat". Verg. Eccl. 7. 33 "Sinum lactis et hæc te libe, Priape, quotannis Exspectare sat est; custos es pauperis horti" = satis est Liv. 3. 53; 3) tantum quanto quis satietur vel quantum mereat = satis; 4) adverbialiter cum adjectivis = satis; 5) speciatim ponitur apud Plautum et Terentium *sat agito* rerum mearum mearum = sat ago vel satis ago, (satis agito non item); et, communi loquendi usu,

satis do, accipio, peto, offero de pignore et cautione, non: sat do aut accipio, item *satis facio*, non sat facio.

?*Quattuor* adjectivum cardinale: *quatur *quater*. 'Quattuor' respondet scr. nom. katvara-s zend. katvar; *'quatur' scr. acc. ćatúra-s. Dictum esse olim in latina lingua *quatur, illud quoque satis signi est, quod 'quartus' contractum est pro *quaturtus scr. kathur-tá. Nam etsi fortasse recte Ascolius l. c. p. 56 'quater' ut di-s bi-s τρίς primo s littera terminatum esse, sic: *quatur-s *quatur quater, ut *socuro-s ἑκυρό-ς *socur-s 'socer', dixit, tamen non satis probabile est. Neque enim veri simile est pro 'ter' olim dictum esse *ter-s, quam litteram analogia defendi oportuisset, et in monosyllaborum terminatione -rs sæpius retinetur. Quamobrem 'ter' metathesi dictum pro 'tri' in adverbii vicem transiisse, cum in compositis promiscua sint ter- et tri- (trigeminus et tergeminus, cett.), crediderim. Et similem usus discretionem fuisse formarum quæ sunt 'quattuor' et 'quater'. Illa autem varietas, de qua supra mentionem fecimus: 'quattuor' et 'quattor', posterioris et rustici sermonis est.

Pulpamentum 1) = pulpa 2) = ὄψον ὀψώνιον: (*pulpmentum) *pulmentum* = ὄψον, cibaria, ('Salsamentum', ita et 'salmentum' a posterioribus dicta esse auctor est Charisius p. 265 K: "imperiti dicunt salmentum pro salsamento").

Facilitas: Facultas. De hac discretione mentionem fecit Angermannus in comm. de "studio discriminandi" p. 12: "Noch auf einen eigenthümlichen Fall von Doppelbildung aus der Wortbildungslehre sei aufmerksam gemacht. Das Adjectiv facilis erzeugt nämlich mit gleichem Suffix zwei verschiedene Wörter, *facultas* and *facilitas.* Dass ersteres lautlich aus *facilitas* hervorgegangen ist durch Verflüchtigung des i in der Antepænultima, kann nicht Zweifelhaft sein. Gleichwohl wird man dem in der Latinität bräuchlichen *facilitas* kein allzuhohes Alter Zutrauen dürfen, da es sich in seiner Bedeutung nur an eine abgeleitete von facilis geneigt anschliesst, während *facultas* an die Grundbedeutung anknüpft". Sed non vere statuit Augermannus *facilitatis* verbum quod in latinis litteris exstet, plane sejungendum esse ab illo, cujus contracta forma sit facultas. Nam *facilitas* pro *facultate* ponitur Plaut. Stich. 627 sqq., Gelas.: Ita ingenium meumst: Quicumvis depugno multo facilius quam cum fame. Epign.: Novi ego: aput me satis spectatast mihi iam tua ista facilitas (= facultas sc. pugnandi cum fame). Ambiguum est Novii fr. 98 Ribb. "Atqui facilitatem, video, haut uteris vulgariam". Neque enim una est illa vis *facilitatis* quam putat Angermannus: sed tres sunt significationes usitatæ duæ activæ, quarum altera dicitur aliquis aliquid facile perficere: ut illo loco Plautino facilitatem tuam, i. e. quam

facile famem vincas, novi. Pauca de ea significatione in posteriori sermone relicta sunt: facilitas pariendi Plin. 21. 24 (lätthet, förmåga att lätt); Qvintil. IV. 1. 61 "turbari memoria vel continuandi verba facilitate (sic. cod. Goth., alii: 'facultate') destitui" Id. I. 12. 11 de pueris sic dicit: "præterea secundum aliam ætatis illius facilitatem (i. e. facultatem facile et celeriter tradita percipiendi) velut simplicius docentes sequuntur, nec, quæ jam egerint, metiuntur". id. X. 7. "facilitatem extemporalem a parvis initiis paulatim perducemus ad summum" (lätthet (= förmåga) att uttrycka sig oförberedt). Hinc prono et levi transitu significatio generalis *facultatis* profecta est. Altera significatione *facilitatis* dicitur aliquid aliquis facere libenter (= facile) "in bonis rebus facilitas, in malis proclivitas" Cic. Tusc. IV. 12. 28. Tertia facilitatis significatione passive dicuntur a) res facile subigi vel tractari, sic: facilitas soli Plin. 18. 19; b) homines facile adduci ad aliquid (quæ signif. sola videtur cognita esse Angermanno); inde ducta est secundaria, qua *facilitas* comitatem et humanitatem significat. Non est igitur quod *facultatem* ab alia et obsoleta *facilitate* profectum esse censeamus. De illis autem quæ sunt *similitas.* Cæcil. ap. Non. 177. 1; 216. Ribb., Vitruv. 2. 9. 5 = similitudo, et *simultas* (primum proprie certamen parium vel pari conditione Hyg. fab. 84, — cf. æmulus pro æc-mulu-s et æq-uu-s, gr. *ἅμ-ιλλα* et *ὁμ-ός ὁμ-οῖο-ς;* —) tum inimicitia, potius statuendum fortasse est 'simultas' ab obsoleto quodam *similitas profectum esse. Esse antiquius et magis contractum vocabulorum quæ in -tas desinant genus, ex quo sint 'egestas' pro *egentitas, 'potestas' pro *potentitas cett. Aufrechtius disputavit in Diar. Kuhn. I. 260; post eum Paucker in ejus Diar. N. S. III. p. 139 sqq. Sed inter antiquiora illa quædam non sunt contracta: vetus-ta-s, venus-ta-s, volup-ta-s (cf. 'volup'), ne hæc quidem quorum secunda syllaba tenuata est spiritu primæ syllabæ: (majos) mājestas (tempus) tempestas. Et contractio ipsa illa inde ab antiquiorum monumentorum ætate repetenda est: famulitas Pacuv. Att. = famultas Læv., ævitas XII. tabb. = ætas El. Scip. C. I. L. I. 34 et C. I. L. I. 1009, 1202, Plaut. cett.; cum paupertas pro *pauperitas ubertas cf. ponderitas Acc. temeritas Plaut.; prosperitas posteritas proceritas. Fuit igitur in antiquissimo sermone plenarum et contractarum formarum varietas; multæ plenarum formarum post obsoletæ sunt, aliæ novatæ. Ciceronianarum vocum in -tas desinentium, quas enumeravit Paucker in supplementis lexiogr. latinæ Dorp. 1875 p. 53 non dubium est quin major pars sit Cicerone antiquior. — Ab antiquissima et communi forma **prus-īna* (cf. scr. prush prôsh-a-ti, pra + ush Bopp. lex. p. 258 b) nata sunt *prŭīna,* cujus primum s abjectum est, tum, communi latina lege, vocalis ante vocalem correpta

— ad ejus significationem explicandam Vaničekius p. 501 hos locos adhibuit P. Diac. p. 226 "pruina dicta, quod fruges ac virgulta perurat", Val. Flacc. 2. 287 "ratem canis urebat luna pruinis", et alios; cf. ἡ χιὼν καίει τῶν κυνῶν τὰς ῥῖνας Xen. Cyn. 8. 2, item franc. la gelée brûle les racines des arbres, — et **prūsĭna *prusna prūna*, quod primum spiritus vi contraxit pænultimam, deinde s abjecit. **Com-ventio conventio* 1) = conventus 2) pactum et al. res signif., (vide lex.) *coventionid* S. C. de Bac.: *contio* 1) = conventus 2) oratio in contione habita.

*Conjuncti *cojuncti* (cf. cojugi C. I. L. I. 1064, 1413): *conctos* C. I. L. I. 28 *cuncti* quod "significat quidem omnes, sed conjuncti et congregati, at vero omnes etiam si diversis locis sint" P. Diac. 50. Hæc originatio Corsseni est. Concti: conjuncti = hornus: hojornus Pott. E. F. I. 23. Cf. Corssen. Additament. Etymol. et Crit. pp. 297 et 298. *Providens: prudens* 1) = providens Cic. de Div. I. 49, doli prudens = d. providens Tacitus, cett. 2) cautus. 3) sciens 4) peritus. — *Uvidus: ūdus;* quæ significatione fere congruunt, nisi quod *ūvidus* etiam est = pluvius Verg. G. I. 418 "Juppiter uvidus Austris", "uvidus ventosusque coeli status" Col. 7. 3. 3 (v. Klotzii lex.). — *Provorsus* partic.: *prorsus* adj. (prorsi limites Fest. 234 M.) *prosa* oratio ap. argenteæ ætatis scriptores = prorsa oratio Donat. ad Ter. Eun. 2. 3. 14. Cf. *Provorsus adv.: prorsus (*prossus prōsus Plaut. Lucret. Liv. 27. 12. 15, cett. (Koffmane s. v.) et introvorsum: introrsum, *susvorsum: sursum dextrorsum lævorsum sinistrorsum, univorse: unorsum Lucil. unōse Pacuv. quorsum retrorsum. In his igitur primæ syllabæ ictus prævaluit. Alia via mutata sunt *dēvorsus -um* part.: **dēorsus -um* subst. **dĕorsum dorsum* i. e. deversa sive aversa pars corporis. Cf. *devorsus -um adv. deorsum (diōsum Ital. Luc. 4. 9 zosum ib. Act. 20. 9 Rönsch. p. 460) C. I. L. I. 199. 10 cett. dorsum ib. 199. 9. 20 adv. et *sēvorsum -us: sĕorsum -us, sorsum Lucret. Catull. Priap. adv. In his igitur primum v elisa est inter vocales, deinde correpta est ante vocalem, tum evanuit primæ syllabæ vocalis (cf. quæ de formis illis prūīna: prūna disputata sunt). Particulas quæ sunt 'versus adversus rursus prorsus' proprie esse nominativos participii, quod putat Cavallinus in lexico s. versus, veri simile est illud quidem, etsi illud non omni caret probabilitate, versus adverbium pro vert-tus adjecta figura adverbiali quæ est -tus, ut pen-i-tus fund-i-tus in-tus sub-tus a radice (vart-) vort- derivatum esse. Cf. mordi-cus a mordendo. *'Satis'* vero proprie nominativum esse feminini generis valde probabile est. Quominus Corsseno (in Diar. Kuhn. III. 287 sqq. de hac voce disserenti)

concedam *satis* esse ex *satius* contractione factum, obstat primum quod et pro prædicato vel subjecti vel objecti et pro objecto *satis* ponitur; adverbia autem, nisi verbo 'esse' addita, ut quo statu sit aliquis vel aliquid significetur (cf. Reissigi "Vorlesungen ueb. Lat. Sprachwissenschaft "Lips. 1839 §. 224), prædicati loco poni non solent. Deinde in -ius comparativa inest vis, in 'satis' non item. '*Nimis*', quod Corssenus pro *nimius* dictum esse putat, comparativam vim habet. Sed si a 'ni' et 'me'- quæ radix metiendi significationem habet jure hujus verbi originem duxit Corssenus (II. 366), ut sic diceretur quod modo careret, comparatio, si ulla est, in ipsa compositione inest. Ut 'potis', ita 'satis' et 'nimis' pro substantivis habenda sunt, quæ cum omni declinandi flexibilitate essent destituta jam pro adverbiis jam pro substantivis ponebantur et nominativo et accusativo casu, obscurata casuali significatione, quod etiam factum est in his: 'damnas' de uno et de pluribus, 'necessus', 'necesse', ut "quei sibei dixerunt necessus esse" S. C. de Bac., ubi 'necessus' ponitur pro accusativo casu neque est in accusativum declinatum; et 'partim' pro accusativo casu: Liv. 26. 46 'partim copiarum mittit, partim ipse ducit', pro nominativo: Cic. legg. 2. 17. 42 "partim ex illis distracti ac dissipati jacent" Madv. Gramm. 284. 3; et 'fors' abblativi loco (de quo aliter judicat Corssenus II. 601), 'nox' pro 'noctu' XII tabb. fr. 8. 12 Bruns. "si nox furtum faxit" = si quis noctu furtum fecerit Gell. I. 8. Macrob. S. I. 4. 19. Nisi 'nox' pro noct-s deincep-s (incep-s) osc. 'fort-is' = forte, de qua voce aliter expl. Ebelius Diar. Kuhn. VI. 209, aliter Mommsen "Unteritalischen Dialekte p. 245), lat. 'fors', græc. *πύξ λάξ* (de quibus aliter Curtius Et. 4287 et 364) addita s adverbiali figura, qua terminantur *ἀμφί-ς*, ob-s- os-, *sub-s- sus-, ab-s as-, pen-es, ul-s ci-s, dicta sunt. 'Repens' autem et 'recens' nescio an accusativo casu sint posita neutra. Satis autem et potis et nimis, quæ etiam prædicatorum vicibus funguntur, a principio adverbia esse non possunt; neque vero 'satius' aut cett. principales sunt formæ, sed ex *potis satis* comparando *potior potius satius*, — et 'potius' in adverbii vices transiit, 'potior' nomen adjectivum, 'satius' nomen adjectivum n. g. indeclinabile est et prædicative ponitur, ex 'nimis', addita generis distinctione 'factum est 'nimius, -ia, -ium'.

His igitur expositis efficitur 'exspiratorii' accentus latini vim producendi breves syllabas antiquissima et latinitatis monumentis antiquiore ætate fere esse circumscriptam, si quæ post producta sunt, ea et rara et dispersa esse; corripiendi autem tenuandi, detrahendi *finitimas* syllabas, et in eadem syllaba consonam magis quam

vocalem, vocalem magis quam consonam producendi vim omnibus linguæ latinæ ætatibus majorem fuisse et magis exstare. Altitudinem autem vocis multo minoris ad hæc momenti fuisse vidimus. Cujus vis in ceteras vocis partes his rebus definitur. Primum in iambicis vocibus ubi certatio quædam fuit inter acutum accentum pænultimæ et spiritum ultimæ, ad ultimam corripiendam acuta vox videtur interdum pertinuisse (p. 51, 86). Illud autem perantiqua ætate accidit, ut postquam acutus antepænultimæ accentus spiritus pressione enuntiari coeptus est, si ætate græcoitalica brevis antepænultima ante longam pænultimam acuta erat, modo acutum accentum spiritus pænultimæ, nŏ́veni nŏvéni, modo pænultimæ spiritum acutus antepænultimæ attraheret et pænultimam corriperet; ut cum commune masculini et feminini generis fuisset **nĕ́pōtis*, masculino hæc forma data est: **nĕpṓtis nĕpōs*, *-ṓtis*, feminino hæc: **népōtis: néptis*, v. p. 52, 53 annot. 1, 54 annot. Postremo ea ætate cum numerorum et accentuum distincta varietas magis magisque miscebatur, acutis syllabis summus ictus datus est, ipsæ productæ, aliæ correptæ vel detractæ v. p. 98, 99. Quamquam etiam sæpe factum est ut gravis syllaba si quæ spiritus pressione pronuntiabatur acutam vocem attraheret, p. 100, 101. Præterea fastigium vocis si conjunctum erat spiritu forsitan ipsum aliquid valuerit ad voces mutandas, sed neque id ita factum esse potest comprobari, et spiritus gravium syllabarum ad corripiendas tenuandas tollendas acutas vim sæpe attulit. Quare levior videtur fuisse et subtilior illa "anima vocis", quam quæ ad corpora vocubulorum mutanda magnum momentum afferret. Supra disseruimus verbi in unum comprehensi esse vim quandam in singulas syllabas; atque accentus, sive inclinatione soni sive spiritus pressione consistunt, ad eam vim referendos esse. Quæ vis qualis in accentu vocis, qualis in numeris, i. e. pressionibus spiritus, eluceat, paucis dicendum est. Ac primum accentus vocis non modo est lusus quidam musicus, jucunditatis causa institutus, verum etiam præcipue copula vocis est; in eo tamquam in cardine versatur vocis complexio. Unam et totam aliquam rem verbo intellegi ex accentu eminet; nam quia vis sua est verbo data, eam ob rem suo et certo tenore verbum effertur. Ita accentus est dictus "anima vocis" Diomedes 430 K., Pompejus p. 126 K. Apollon. Synt. IV a (8 Syll.): ***τὰ πλεῖστα τῶν μερῶν τοῦ λόγου διὰ τῆς ἑνώσεως τοῦ τόνου τὸ μοναδικὸν τῆς λέξεως ἀγορεύει.*** In hac igitur re positum est quod unum esse in quaque voce summum tenorem dicit Quintilianus. Signum est igitur unitatis vocis accentus, causa unitatis est in mentis natura, quæ speciem mente comprehensam "interprete lingua effert" complexione syllabarum. Non veram igitur rationem secutus est Koenigius, qui in libro illo "Ge-

danke, Laut und Accent" Vim. 1874 his tribus rebus: sententia verbo subjecta, et soni ipsius natura et accentibus totam verborum formationem effectam esse vult. Quæ divisio ob hanc quoque causam claudicat quod soni per se esse possunt, sententia vel ipsa res cum sonis quibusdam usu solo conjuncta est, accentus autem per se stare non possunt. Neque est enim quidquam unde generalis sermonis cognitio proficiscatur præter sonos et res quæ sonis redduntur. Et quoniam et in sonis singulis et in complexionibus aliqua significatione præditis sonorum et in ipsis significationibus ea cognitio versatur, accentus ad sonos in vocabula collatos referendi sunt. Neque vero tota vis complexionis in accentu posita est, nam universi vocabuli appellatio affert sæpe vim et ab accentibus et a significatione sejunctam, de qua re breviter jam mentionem fecimus et infra paucis agemus. Ne Dom. Pezzio quidem plane assentior, unitatem et complexionem vocis ita accentu exhiberi ut in latina et græca linguis omnino nullus fuerit singularum quibus voces conficerentur partium sensus. Ille in "Glottologia Aria" Augustæ Taurin. 1877 edita p. 35 de hac re sic scripsit: — "parra senza fallo ben naturale e fondata la ipotesi che la causa primordiale dello *accento* sia stato lo istinto ad elevare con tono più alto che le rimanenti sillabe quella che rappresenta il concetto di cui pareva al favellante massimo il valore rispetto al significato della intera parola. Ma in Grecia ed in Italia la memoria della costituzione intima, primordiale della parola venne sempre più meno ai favellanti. La parola cessò di apparire quale un tutto composto da parecchie parti: non si vide più chiaramente la moltiplicità delle molecole, per così dire, concorse a formarlo, ma soltanto l'unità della medesima. I significati delle singole parti si confusero sempre più nel senso sintetico del tutto: per conseguenza al tono primitivo indicante il vario valore relativo dei varii elementi di un vocabolo succedette un accento il cui solo ufficio è segnare la individualità, la indipendenza di una parola." Verum est illud quidem vim illam logicam acuti accentus, quæ qualis fuerit, dissentiunt Boppius, Benloevius, Benfeyus, Baudryus, M. Mueller, in græca et latina lingua non multum ea re consistere quod singulæ syllabæ præter ceteras significanter acutæ sint; et in his linguis singulæ partes vocum magis sunt obscuratæ. Scilicet in multis particulis, in multis nominum et verborum formis decurtatis singulæ partes vocabuli ipsæ non jam sentiebantur. Verum aliquis certe erat sensus, præsertim in lingua quæ tot mentis discrimina terminationibus redderet, figurarum in quibus vis quædam inesset, terminationum casualium, temporalium, modalium, personarum, numerorum, omnium denique discriminum qui-

bus intellectus orationis verbis contextæ pendeat. Neque enim ita universa species vocis menti obversatur, ut singula illa quæ in partibus vocabulorum posita sint simul discerni non possint [1]). Jam vero illa logica vis accentus ad juncturam verborum, non ad rationem syllabarum pertinet, cum verba in unum juncta uno et communi accentu efferuntur: quódam módo: quodámmodo, quántum vís: quantúmvis, quóm iám: quóniam, cf. nostrum 'vȁl kȁnd: 'vȁlkȁnd'. De qua re Varro ap. Gellium 18, 12. 8: "in priore verbo graves prosodiæ quæ fuerunt manent, reliquæ mutant", quem locum explanavit Schoellius l. c. p. 46. Item ad "accentus sententiæ" referendum est quod vocativus græcus accentum longius a fine nonnumquam retraxit (Ἀπόλλων) Ἄπολλον. Quod latine a nonnullis quidem factum esse Nigidii Figuli ætate, testimonio est quod ille apud Gellium in casu vocandi summo tono esse primam syllabam (*Válcri*), interrogandi, i. e. in genitivo, secundam (*Valéri*) dicit. Accentus acutus quo longius est a fine reductus eo altior est, vocantis autem est vox clarior. Mire eam rem interpretatus est Koenigius l. c. p. 116 "im Vocativ z. b. Ἄπολλον der Ton fortrückt, ebenso im Impt. z. B. εὔλεγε, denn die letzte Silbe wird beim auffordenden Anrufe kurz, indem man durch Kürze der Form eben den Wunsch ausdrücken will"(!). Vocativos et imperativos similitudinem quandam habere ipsi antiqui grammatici intellexerunt. Apoll. Synt. III. c 27. Trypho ap. Ammonium 117 "ἄδελφε γοῦν λέγουσι τὴν πρώτην ὀξυτονοῦντες ὡς ἄπελθε." Ac non modo clarior, sed etiam fortior videtur fuisse accentus imperativi, quam indicativi; nam indicativus in latina lingua s retinuit, imperativus abiecit, *legitis: legite*, credo, quia initium imperativi majore intentione enuntiabatur, exitus factus est exilior. Deinde ad rationem sententiam sive partes sententiæ accinendi referendum est quod ut in græca ita in latina lingua particulæ et pronomina quædam et verbum 'esse' enclitica erant. De distinctione significationum per locum accentus acuti facta, quæ in latina lingua magis ratione grammaticorum quam ulla ipsius sermonis lege continebatur, jam Schoellius disputavit. Hæc autem res, quæ, ubicumque fuit, sponte accidit, ab logica quadam et in acuta voce innata vi repeti non potest. Schoellius quæ fuerit vis accentus latini ita in incerto reliquit, ut tamen accentum acutum — nam de accentibus acuto circumflexo gravi solis disputavit — et logicam et rhythmicam, et quidem omnibus latinæ linguæ

[1]) Et in longioribus vocabulis stirpem a terminatione secundario accentu interdum distinxisse Romanos, testimonio est locus Martiani C. III. p. 68, 15 Eyssh. "sciendum est etiam uni vocabulo accidere omnes tres accentus posse, ut est 'Argilêtum'".

ætatibus, habuisse vim (l. c. p. 22 et ibid. annot. 3) putet. Sic enim: "Hujus autem rei initium vel in eo cernere possumus", inquit, "quod ultimæ syllabæ quæ quidem facillime gravitatem significationis exuunt (? ut vel finalium nomine appellentur) apud Latinos accentum iam non recipiunt, cum in lingua et sanscrita et græca, utpote quæ ætate aliquanto priore et integriore ad stabilem quendam gradum pervenerint, haud raro acutæ sint. Quod nescio an solum sufficiat ad eorum opinionem evertendam, qui non nisi rhythmicum quoddam quasi principium accentui latino vindicant, logicum prorsus respuunt." Non respuo equidem neque principium neque vim logicam latini accentus, quæ qualis esset eruere jam temptavi, sed in eo quod graves sint ultimæ syllabæ illam positam esse vim, non facile crediderim. An vero Latini et Aeoles sine acuto accentu ultimas syllabas pronuntiarunt quod sensu et iudicio logicæ illius vis carerent, quo ceteri Græci atque Indi præditi essent? Sanæ rationi magis consentaneum est, si quibus hujuscemodi differentiis cognatæ dialecti discretæ sunt, ea ab appellandi consuetudine repetere. Neque vero finales syllabæ quibus discrimina "grammatica" continerentur, dum florebat latinitas, gravitatem significationis omnino exuerant. Hæc denique est vis in adcantu vocis posita qua partes vocabuli cohæreant et se invicem sustentent et integræ maneant.

'Exspiratorios' autem accentus vocum polysyllabarum vidimus esse longis syllabis et, contiguis brevibus quibusdam, non omnibus descriptos. Ex eo ipso apparet, 'rhythmicam' maxime esse eorum vim, qui, quemadmodum adcantus vocis ad modulationem sonorum, ita ad numeros orationis pertinent. Quoniam autem rhythmus sine temporum continuorum et ab aliis distinctorum serie est nullus, numeri ipsi vocabulorum ea causa continentur quod omne vocabulum a mente una et universa specie comprehenditur, et syllabæ ejus uno contextu ore efferuntur. Sed cum vocis fastigium in quoque vocabulo unum sit, percussiones polysyllabarum vocum latinarum plures esse possint, unitas illa vocis universo vocis rhythmo, non singulis ictibus exhibetur. Quamobrem et in adcantu vocis et in modulatione numerorum, sed aliter in hac quam in illo, unitas vocis apparet. Quoniam autem aliæ syllabæ majore, aliæ minore spiritus pressione proferuntur, reliquum est ut quæramus ad solam numerorum distinctionem eæ pressiones referendæ sint, an habeant etiam vim logicam, vel etiamne eo pertinuerint, ut, siquæ syllabæ significatione essent graviores, iis plus ponderis quam ceteris appellando daretur. Primum igitur compositorum prior pars qua generalis notio magis describitur, aliquid ponderis habere solet: annus

quinquennis, as semis, rego sur-rigo surgo, cett; sed tamen quod prŏ in nonnullis v., rĕ posteriori ætate plerumque correptum est, et multa alia composita quorum præpositio exspir. pondere caret satis signi sunt etiam verba ipsa prævalere potuisse. Deinde quia nominativi peculiaris forma non fuit, quæ certa et constans analogia defenderetur, exspiratorii accentus stirpis prævalentes in nominativorum terminationes vim attulerunt, ut variis modis corrumperentur, contraherentur, tollerentur. Ut amōr amŏr præcoquus præcoquis præcox, *socerus socer, cotis cos, (potis) *compotis compos, (opis) inopis inops *principus princeps tōrale tŏral cett. Prævaluit igitur in illis vocabulis pars vocis significantior, quæ graviore spiritu pronuntiaretur. Item vocales radici adjectæ et suffixa quorum significatio insignis non est sæpe corrupta sunt et correpta: optumus: optimus, Lūcejus Lucīus: Lucĭus, sūīllus: sullus, columen: culmen nūcūleus: nucleus, hominanus: homnanus hūmanus, anxietudo: anxitudo Non. 73, ŏlĕfacio: olfacio, latericulus: laterculus, magistero magis-tro, magisteres Buech. "Grundriss der decl." p. 11: magistri, -tulo: -tlo vitulos: umbr. vitluf, -culo: -clo, *bara *bero: bro, meno mino: mno (Pilumnoe alumnus lamna) iurigo: iurgo cett. Sed tamen interdum pars verbi quæ minus significans fuisse videatur, ipsius soni pondere prævaluit radicique sive stirpi detrimentum attulit: *mammilla: mămilla, sagax: săgax, (mutto) mūtoniatus, currulis cūrūlis, *lūcerna: lūcerna, *pūsillus pūsillus, Hispānus Spanus (rust. form.); (pollen) pŏlenta. Cum et stirps et adjecta figura exspirationis vim habuerunt, dēbēs, mensas mōlē, fructui Argilētum siccitate, ea fuit in vocabulo tamquam ponderum æqualitas, quam fuisse in antiquissimo sermone dicit M. Mueller Gramm. Sanscr. p. 142 "originally the accent fell on the strong base, and on the strong terminations, thus establishing throughout an equilibrium between base and termination." Sed ea æqualitas nonnumquam turbata est, sive stirpis, traxisse: traxe, cessisse: cesse, præbet: præbĕt, sive terminationis pressio, *mōlēstu-s: mŏlestu-s aucta alteram syllabam prægravavit. Nec vero, etsi satis magnus numerus verborum illam habent æqualitatem, ea res per totum latinum sermonem pertinuit. Immo sæpius etiam fuit inæqualitas, sive terminatio, dŏmō, ămās, sive stirps, lūcĕ sīdĕrā lædĕrĕt, fuit gravior. 'Exspiratorii' igitur accentus latini pariter atque accentus acutus circumflexusque 'phoneticis' legibus circumscripti, 'rhythmicam' vim maxime habebant. Et quamquam ipsius rei natura sermo eo deferebatur ut significatione graviores syllabas

spiritu intenderet, et non pauca ejus intentionis exempla reperiuntur, tamen non constanter ea ratio adhibita est.

Quoniam igitur quæ fuerit in accentibus latinis complexarum voce litterarum singulas litteras vel syllabas mutandi vis manifesta, consideravimus, nunc denique cetera genera ubi conjunctarum litterarum sive universi verbi, cujus simul perciperentur et appellarentur litteræ, vis valuit ad voces mutandas sive geminandas breviter complecti licebit. Primum correptæ et coartatæ sunt non numquam litteræ iis locis ubi spiritus unius syllabæ ad eam rem valere non posset. Ut vocales corripiuntur: 'fēbris': 'fĕbris', glōmus: glŏmus; strīges: strĭges; *ūterus: ŭterus, *pūtus, (adjectivum = pūrus) scr. pūta rad. pū: pŭtus; *scōpus, cf. scāpus scōpæ: scŏpus; *rēfero rēfert: rĕfĕro; quandō quidem: quandŏquidem (nisi exspiratorii accentus vis ad secundam syllabam corripiendam pertinuit: quandŏquidem); *nōta (cf. nōtus): nŏta; ioubeo iūbeo: iŭbeo; suibus sūbus: sŭbus dat. abl. pl.; *frevtus *frē-tu-s (cf. sprē-tu-s crē-tu-s ex-plē-tu-s) partic. verbi fervendi: frĕtum dicitur mare tanquam fervens sive æstuans; (lingua) lingula *līgula (lingula: *līgula = vennuncula: vēnūcula = pollinctor: pollictor = Quinctilis: Quīctilis C. I. L. I. 841): lĭgula Martial. 14. 120; [rūtrum: rŭtrum, sed fortasse ipsa positione variat quantitas pænultimæ, cf. arā-trum verātrum verētrum — talĭtrum an talītrum? fulgĕtrum ferĕtrum]; *fīt: fĭt, cf. fīunt; *fīmus: fĭmus, cf. suffīmen fū-mu-s gr. θυμός; — dissyllaba latina substantiva, quorum est -mu-s -ma positio vocalem ante m producere solent: dū-mu-s grū-mu-s lī-mu-s hā-mu-s rē-mu-s glō-mu-s Lucret. pō-mu-s pōmum brū-ma grō-ma fā-ma lā-ma lī-ma plū-ma rī-ma rū-ma spū-ma strū-ma trā-ma; neque enim tăm-a Lucil. inc. 39 L. M. id suffixum habet, cf. tŭm-eo, neque dŏm-u-s, cf. δέμ- dom- isl. timb-r timb-ra, cŏma a græca lingua videtur esse tralatum, cf. κόμη; — fortasse a stirpe sru srev- *Revmus *Rēmus: Rĕmus; videsne *vidēn: vidĕn cett., at in alia causa est *potīsne vel *potīne: potĭn; *pū-tu-s: pŭtus (puer), cf. scr. pō-ta catulus Pott. Lex. Rad. IV. 763, gr. πῶ-λο-ς lat. pū-su-s; *plouēre plŏvēre Petr. 44: *plūvere, cf. plŭv-ia plŭv-iu-s, plŭere, perplōvere transitiva sign.: "pateram perplovere in sacris cum dicitur significat pertusam esse" Fest. p. 250 = perplŭere, "venit imber lavit parietes, perpluont" (sc. parietes) Plaut. Most. 111; discr. sign. *blacterare* (= balare) *blăterare* (= garrire, strepere) Plautus Cæcilius Pacuvius Afranius: *blăteras* (fere tumultuaris) Hor. Sat. 2. 7. 35; vītrum Prop. 5. 8. 37: vĭtrum Hor. C. 3. 13. 1; [? *manus (scr.

mánus) *mans mās Benf. Lex. Rad. 11. 36 gen. *māsis *māris: māris]; (mōles) *mōlestus: mŏlestus [1]). Discreta sunt in hoc genere significatione, si modo forma discreta sunt, *mollior: mŭlier*, cf. Curt. Grz." p. 327: "μαλκ-ενίς· παρθένος Κρῆτες Hes. Letzteres Wort hat vielleicht im lat. mul-ier seine Analogie, das wir möglicher Weise mit dem Comp. moll-ior identificiren dürfen, wie schon Isidorus that (vgl. θηλύτεραι)". Fortasse *olīvum*, quam antiquiorem formam retinuerunt poetæ: *oleum*, quod vulgaris sermonis est. Si ab una et principali forma profecta sunt sive hic fuit transitus: olīvom *olĭvum *olĭum oleum, *ŏlĭvum 'oleum' erit ad 'olivum', ut *plŭvere pluere ad plōvere, sive hic: olīvum: *olīum, talis erit ratio: olīvum: *olīum oleum = dīvus: dīus = vīvus: vīus = Dāvus: Dāus. Et hoc veri similius videtur v primo detractum esse, deinde vocalem ante vocalem correptam. Eodem modo *olīva: olea*. *Olivaster: oleaster, cujus deminutivum olivástellus principalem formam retinuit. Communis europæa forma videtur fuisse *alaiva*, cf. græc. ἐλαία pro ἐλαίϝα litth. *alĕju-s* goth. *alêv*. Neque enim, cum arbor ipsa genuina sit in Italia, satis probabile est quod vulgo putant (cf. Hehn. de herb. cons. p. 98 sqq.), nomina oleæ et olei in latinum sermonem a græco esse tralata. De arbore *Oliva* a Cicerone et ab Augusteæ ætatis poetis promiscue ponitur cum *olea*, a Catone Varrone Columella *olea* solum ponitur (v. Gesneri lex. rust. s. v); de baca *olea* et *oliva* promiscue usurpabantur. *Olivum* ap. scriptores rusticos non est. Horatius *olivum* dicit quod ad ungendum, cf. Catull. 6. 8, Syrio fragrans olivo, usui esset Hor. S. 2. 7. 34; 2. 3. 321; 2. 1. 59; *oleum* quod ad lucendum et ad cibi paratum Hor. C. I. 8. 8; S. I. 6. 123. De *olivo* ap. Plaut. pro *oleo* v. Lorentii ann. ad Pl. Pseud. 204 — — Sōcors: sŏcors Prudent. — — Ante vocalem vocalem dominante latini sermonis lege corripi, nemo ignorat. Sic: clauaca Varr. S. M. 165, 10 R. clōaca: clŏāca; cett., cf. p. 102. In ea tamen vocabula ubi posterioris et rustici sermoni corruptione vocales mediæ vocis conjunctæ sunt, illa lex constanter non valuit.

Deinde sunt in hoc genere multæ crases, syncopæ aphæreses apocopæ, adsimilatæ litteræ. De quarum causis supra p. 141, 42, 43, 102, 107 breviter exposuimus. Neque vero sola est illa inertiæ sive negligentiæ causa ("laziness" M. Mueller II. p. 176), ad quam solam has mutationes referunt SCHLEICHER, CORSSENUS, MUELLER, BRUECKEUS, verum etiam aliæ in animi et oris naturis, quæ cum simul vigeant, tamen aliam ille, aliam hoc vim afferat. Cf. STEIN-

[1]) Ad hanc correptionem pænultimæ vis aliquid momenti videtur attulisse, cf. sagax, quod in eadem causa est. Neque enim certis finibus dividitur illud genus ab hoc de quo nunc agitur.

THALI comm. de assimilatione et attractione in "Zeitschr. f. Sprachw. u. Völkerpsychologie t. I. Primum *crasi* contiguarum vocalium duæ syllabæ in unam confunduntur, de qua re egimus pp. 102—108. Atque ad multas, non omnes hujus generis contractiones spiritus intentionem cum coartandi consuetudine valuisse, et in quibus valuerit illo loco demonstravimus. Hoc igitur loco commemoro imprimis ea exempla, ubi ad contrahendas syllabas spiritus vis nihil aut non multum pertinuisse videatur. [*Di-u-s* [1]) = dies, obsol. præter hoc compositum 'nu-dius' tertius quartus quintus sextus, et fortasse trī-duum, quatri duum pro *trī-dium *quatri-dium, cf. *diu-s subst. n. (inter-diu-s, cett.: *dum* particula Schw.-Sidler in Diar. Kuhn. t. X. An *dum* a stirpe pronominali *-da?* de quo Bréalius Mém. de la Soc. de ling. de Paris I. p. 192.]. — Suffixa casuum cum terminationibus stirpium postquam contrahebantur, plenior forma aliquamdiu retinebatur; neque vero uno tempore in omnibus vocibus antiquior forma obsoleta est aut nova usitata. Gen. Sing. thematum in U exeuntium principale -uos (S. C. de Bac.) inde ab primordiis litterarum in ūs (pro quo ōs Augustus scripsit Suet. Oct. 87) contractum est, tamen ut -uus etiam prima imperatorum ætate retineretur (Buech. Grundr. d. Decl. p. 31). Gen. sing. stirp in a desin. -ais C. I. L. I. 57, inde primo āi (dissyllabum) quod in semone curiæ ad Gracchorum ætatem, apud hexametrorum scriptores antiquiores et Lucretium, deinde a͡i monosyllabum quod in sermone plebejo etiam imperatorum priorum ætate nonnumquam retinebatur, postremo inde a Plauti ætate -æ Buech. l. c. 33. Gen. sq. 5:tæ decl. *ēis ēi ĕi e͡i ē (rē faciē diē fidē) ī (plebī progeniī luxuriī) Buech. p. 35. I pro ii gen. sg. voc. in -io- desin v. Corss. [2] II. 697—715. Sed in hoc genere sæpe manifesta est vis spiritus. Dativ. sing. 1:mæ decl. āï (disylt.) a͡i, inde et æ (e) et ā (exeunte 5:to sæc.) Buech. l. c. p. 53. Dat. sing. 4:tæ declin. -ū-ī (post et quidem inde a Plauti et Terrntii ætate -ŭī): -ū Plautus Terentius Lucilius Lucretius Sallustius Vergilius Cæsar Augustus Livius Tacitus passim Buech. l. c. p. 57. Ex ūī, non ex ŭī correptione factum esse ū, et ex eo quod u prævaluit, et ex comparatis linguis efficitur. Constat enim intentam in dativo singulari stirpium quæ -u terminantur esse vocalem, cf. scr. sūnáv-ē, zend. paçav-ē. Eodem modo ex antiquiore dativi sg. 5:tæ declin. -ēī, quod est apud priscos poetas, contractum est ē (fidēī: fidē). 'Hic' pron. in dativo singulari discretas has habet formas. Principalis forma *hō-ī-ce* C. I. L. I. 197, 26: 1) *hu͡ic* monosyll. C. I. L. I. 1024, 1294, pro quo demum apud

[1]) *Litteris obliquis voces significatione discretas denoto.*

Avienum et Sidonium hŭĭc, substantivam et adjectivam pronominis vim retinuit; 2) *hōc* adv. C. I. L. I. 1431 cod. Bembin. Terentii, *huc* inde a Plauti ætate adverb. = in hunc locum. Neque enim ablativo casu positum est, quoniam in ablativo casu terminus petendi numquam ponitur, neque locativo, qui ubi quis sit, non quo qui veniat, præter nonnulla sanscritica exempla, significat. Dativi autem principalem eam fuisse vim ut motum in locum significaret, quod et Doeleckius in "Deutsch-lateinische Grammatik" anno 1814 edita et post illum nonnulli putaverunt, et ex eo apparet quod omnis dativi latini usus ab illa significatione facile derivatur, et, quamquam accusativus, qui propriam localem non habeat significationem, tamen usu eam vim obtinuit, ut magis quam dativus terminum petendi significaret; tamen principalem illam vim in lingua sanscrita multis exemplis expressam esse demonstravit Delbrueckius in commentatione de vedico dativo Halis 1867 ed. Ne in latina quidem lingua illa vis prorsus obsolevit, et manifesta est in his: "clamor it coelo" Verg. Aen. 4. 451; Georg. 4. 562 "viamque affectat Olympo"; Aen. 6. 126 "facilis descensus Averno" (Dræger. Hist. Syntax. I. 394), "manus tendere alicui" Cic. et Cæsar, "accessit delubris advena nostris", Ov. Met. 15. 745, pariterque cum multis verbis compositis. In lingua græca, ubi dativi et locativi terminationes, significationes dativi et locativi et instrumentalis confusæ sint, magis obscurata quidem est propria dativi vis, sed est ex illa aliquid relictum, cf. *τῇ Δήλῳ ἔσχον* Thuc. 3. 29. 1 Krueger Gr. I. 48. 1. 2; *ἐπί τινι* dicitur de fine quem quis aliqua re sequatur, *προσιέναι τινί* adire ad aliquem, *ἐπιτίθεσθαί τινι* aggredi aliquem, *περιπίπτειν τινί* amplecti aliquem cett. In germanicis linguis cum dativus et localis (et quadam ex parte instrumentalis) confusi sint, pauca reliqua sunt ex illa principali significatione. Sed etiam illis confirmatur hæc sententia. Ut gothice aliquem in aliquem locum venire verbum quod est 'qiman' et præpositiones 'in' et 'ana' cum dativo conjunctæ significant, Luc. 19. 5: jah biþê qam ana þamma stada; in prisca sup. germ. l. widhar widar wider, etiam cum dativo ponitur: ort uuidar orte Carm. Hildebr. et Hadubr. Eodem modo isl. mót (móti), í gegn, gegn. Item in antiqua suecana lingua dativi sunt qui quomodo a locali significatione derivati sint facile appareat: sænda manne buþ, föra man sinum hæraþshötþinga, koma tiunda biscupi, aliaque. Quæ cum ita sint 'hōc hūc' potius a dativo quam ab ablativo, quod Autenriethius, profectum esse, aut quam a locativo, quod Delbrueckius putat, statuendum est (cf. de discret. I p. 37). Et quoniam ho-i-c hōc hū-c dativo casu positum est, ō productum est. Cum autem productum esset, id ponderis habuit, ut i extereretur. Nam in thematis quæ

-a litt. primo terminata sunt -ai dativi cum a thematis contractum est, ut longa fieret vocalis, i finalis evanesceret (Schleicher): gr. *οἴκῳ* lat. agrōi Mar. Vict. p. 2415 P. agrō. Locativi autem thema in hoc genere — nam quæ stirpes i et u terminantur vocalem stirpis in illo etiam casu intendunt — aliter est comparatum, in quo brevem stirpis vocalem brevis terminatio excipit: **hŏ-i-c heic hīc* adverb., proprie localis casus, cf. illīc istīc — non igitur *hōc hūc* et *hīc* sunt discretæ ejusdem positionis formæ — scr. *açva-i: acvē lat. *humŏ-ĭ *humei humī gr. *οἴκο-ι οἴκοι χαμα-ί χαμαί.* Ex quo colligitur græcas stirpes quæ a et o terminantur dativi positionem retinuisse; item in latina lingua prima et secunda declinatio producta stirpe, quarta producta casuali terminatione veram dativi formam præ se ferunt. Quamobrem ī dativi consonantium thematum propriam dativi positionem, non translatam esse ab illis thematis quæ i terminantur verisimile est. Illa quæ sunt 'eo illo quo ultro intro retro citro utro utroque neutro porro quo-ad ad-eo eo-dem' dativos esse, ex iis quæ de 'hoc huc' dispntata sunt efficitur. Ut ho-i-ce huic: hoc (huc), sic quō-i quoi cui: quō. Sed alia est ratio dativorum qui sunt e-i ill-i utr-i neutr-i ad hos qui sunt e-o ill-o utr-o. Nam hi adverbiales dativi stirpium quæ in a et o desinunt declinationem sequuntur, illi ad stirpes in i desinentes translati sunt. Ea varietas in pronominibus quæ sunt 'is' et 'qui' frequens est, quorum declinatio est ex utroque genere mixta. Cf. 'ea eum eo eā ei eæ ea eos eas earum eis', quæ 1:mæ et sec. declin. sunt, et 'em im' XII Tabb. ībus Com. et Lucret., 'ei' dat. sg., quæ 3:iæ decl. sunt. Item 'quæ quam quā qui quos quas quorum quārum quīs queis' (dat. abl. pl.) 1:mæ et 2:dæ, et 'quis' n. sg. 'quem quībus' 3. declin.; item abl. sing. et 'quō' et ad stirpium in i desinentium analogiam 'quī'. Hu-i-c pro ho-i-c autem et cu-i pro quo-i veri sunt dativi secundæ declin.; qui cum i retinerent, nominum autem dativi abjecissent, non jam ex eodem genere esse visi sunt; quo factum est ut etiam stirpis o in u mutari posset. — — De ii et ī stirpium quæ in -io exeunt v. Corss.[2] II. 762 sqq.; coiit: coit Stat. Ach. I. 458 Theb. 8. 332, adiit: adīt Sen. Lucan. Stat., exiit: exit Plaut. Verg. Grat., abiit: abit Plaut. — Juv.; periit: perit; eodem modo infin. variant: periisse: perisse, cett. — *Gratiis* 1) abl. pl. 2) adv. Comici et Cic. Verr. 4. et 5. Halm: *gratis* adv. Cic. Ov. cett. (v. lexicon Georgesi). — Prehendo: prendo et al. contractiones v. p. 102 et sqq. in quibus etiam spiritus vis nonnumquam apparet; semēsus Verg. Aen. 3. 244; 8. 297: semessus Hor. S. I. 3. 81; II. 6. 85 Holder, semēsus sæpissime; so-lui (pro *se-lui) Catull. Tibull. 4. 5. 16: solvi; fluito: flūto; induitiæ pr. serm.: indūtiæ; quadrijuga: quadriga; *dii: di; *diis: dis, in rustico sermone

diibus = dis Or. 2118, 4606: dībus Or. 1307, 1676. — *Coemo* (proprie conjungo, in unum confero, cf. coemptio) emend oparo: *cōmo* 1) conjungo, 'comptus' conjunctus Lucr. Lachm. ad Lucr. p. 135 2) c. crines 3) exorno. *Coïtus* 1) conjunctio 2) concubitus 3) coitus humoris dicitur, "si crassiores sunt": *coetus:* 1) = coitus 1) Lucret. 2) congregatio sive conventus sive circulus hominum 3) = coitus 2) Arnob. [?Aisne *ain:* *an* conjunctio Klotz. s. v. minus probabile est quam quod Fickius Lex. p. 339 et 424 conjectavit, 'an' ad radicem 'an' pron. demonstr. referendum esse]. Tuendi verbum has habet participii formas: *tuitus* active, cf. Plin. Ep. 6. 29. 10 "tuitus sum Iulium Bassum, ut incustoditum nimis et incautum ita minime malum", item Quintil. et Frontin. et Paul. dig.: *tutus* 1) reflexive Hor. S. II. 1. 20 "recalcitrat undique tutus" (= se tutans), "tutus" (= som söker akta sig) "et intra spem veniæ cautus" Hor. A. P. 28; 2) passive Cic. Verr. 5. 15. 39 nullius res tuta, "nullius vitæ sæpta, nullius pudicitia munita contra tuam audaciam et cupiditatem"; inde = securus 3) de rebus etiam activa significatione = quod præsidio est (som ger skydd) Sall. Jug. 74 "nam ferme Numidis magis pedes quam arma tuta sunt". *Tuitus* ipsam verbalem vim retinuit et objectum regere potest, *tutus* non item. *Martius:* *Mersus* Ebel. Kuhn. Ann. VI. 417 nomen gentile. Sed ea discretio est Marsicæ, non Latinæ dialecti. Neque enim -rti- latine ita contrahi solebat ut fieret -rs-. In Umbrica autem, cui nescio an Marsica fuerit magis cognata, fortasse id factum est, cf. umbr. 'carsom'. [1]) *Vīviparus* adj. = vivos pariens Appul. *viiparus: *vīpera* subst. = anguis vivos pariens ('vipera' pro *vipara, cf. æquipero

[1]) *'Carsum'* VI a 12. 13 *"Tudcror todcor: vapersusto avieclir ebetrafe ooserclome presoliafe Nurpier — Vapersusto avieclir carsome Vesticier — carsome Hojer, pertome Padellar"* non potest esse pro 'cado' (quod putare videtur Brealius l. c. p. 50), loca enim quæ fuerint in vicinia Iguvii ibi dicuntur. Si nimiæ temeritatis non est de re tam dubia conjecturam facere, fortasse dictum est *kuhartium *khartium 'carsum' de loco consæpto, ut latine dicitur 'cohors chors cors' (-tis); et 'Cortona' quæ dicta esse videtur pro *Cohortona nomen est urbis primo umbricæ. H cum præcedenti vocali extritum est etiam in hoc 'erahont' 'erihont' 1623. VI b 50: 'eront' VI b 24. Quod autem umbricum 'carsum' retinuit, lat. 'cors' a mutavit in o, non obstat, quominus cognata ea ducamus. Eadem est enim in ipsa latina lingua vocalis radicis ghar variantia, cf. har-a her-c-tum hir-u-do hor-tu-s co-hor-s. Præterea umbr. 'kumaltu' a retinuit, lat. 'commolito' in o mutavit. *'Tettom'* illo loco videtur esse i. q. latine 'tectum'. 'Tectum' enim umbrice fieret *tehtom (i. e. tētum) necesse erat, cf. uhtur = auctor, rehte = recte, subahtor = subacti. Ut in latina, ita in umbrica lingua consonans longam vocalem excipiens nonnumquam geminabatur. Quam geminationem latina apographa paucis locis: ē-su = essu issoc VI a 42 VII b 3 Fīsiu Fissiu VI a 43; etrusca scriptura numquam reddidit, cf. p. 135, ubi pro "scriptione" legendum est: "etrusca scriptione", et Brealii l. c. p. 337. Cum autem *tettom* sit in tabula latinis litt. exscripta, verisimile est *tettom* esse = tehtom (tētom) = tectum.

= æquiparo). — (Sēvērus) *sēvēr-iu-s: sērius, et alia nonnulla quæ a formis plenioribus sunt repetenda. Sed ea commemorare a nostra ratione alienum est; neque enim omnium vocum originationes — quod infinitum est — hoc libro complecti studeo, verum eam quæ in litteris et monumentis exstat variantiam sermonis si non singillatim persequi, at generatim definire. Ad has contractiones etiam spiritus plerumque valuit, cujus vis quæ in quamque vocem fuerit est ad definiendum lubricum illud quidem, sed in quas voces valuerit ex iis quæ jam disputavimus nescio an appareat.

Gravius etiam contrahuntur interdum voces, in quo genere etsi singularum syllabarum pondus — de quo supra quæsivimus — multum valuit, cf. formucapas: forceps, cett.; tamen in nonnullis exemplis studium illud universa vocăbula coartandi pariter est expressum. Atque recentiores ii grammatici qui de originibus et mutationibus vocum quærunt, multa hujus generis exempla attulerunt: *rumorigerare: rumigerare, *munerificus: munificus, *hostipets: hospes, *semimenstris: semestris, cett.; quæ etsi facili conjectura invenias, tamen, cum principales formæ in litteris non sint, h. l. enumerare nolo. Hoc autem contractum esse auctoritate Verrii Flacci confirmatur: ventilabrum Col.: vēlabrum, P. Diac. 77 (cf. ēventilatum = ēvēlatum ibid.). Pro 'laboriosus' Cæcilius apud Non. p. 489 12 habet 'labosus'. Sed hoc videtur esse non contractum, sed analogia falsa sive vitiosa quam dicunt effectum, cum terminatio quæ est -osus ab aliquo, qui quæ esset stirps non recte intellegeret, ad lab-, non ad labori- adjecta esset; sic: oblivi-osu-s, quod contractum esse ex *oblivionosus non puto, aliaque. Pro *lapidicidina quod molestius et tardius videbatur, dixerunt Romani semper aut 'lapicidina' aut 'lapidicina'. Cf. Consentii ars p. 391. 22 K. "cum dicit quis lapidicinas et lapicidinas: in utroque metaplasmus non est per transmutationem, quoniam utrumque certa etymologia recte et latine dicitur." ('Lapicædinæ' C. I. L. III. 70). (Portitor) *portitor-ium* τελωνεῖον Gloss. græc. lat.: (portus) *portorium* quod in telonio sive 'portitorio' exigitur. A portu, ut porti-tor, ita, quoniam suffixum est -tor-io-, dici debuit *portitorium, sed cum originatione illa vulgari et levi, de qua modo mentionem fecimus, stirps vocis esset ipsa positione decurtata, dictum est 'portorium'; ut Capena (porta) pro *Capuena, senator a senatu, non *senatitor quod ratio postulet, pō-torius ap. Plin. quod a 'potu' non a 'potore' dictum est pro *potitorius. Usu autem, non positione, contracta sunt 'canda' C. I. L. IV. 1291 pro candida, 'frida' pro 'frigida' C. I. L. IV. 3040 aliaque, in quibus vis exspirandi primam syllabam apparet, sed de eo genere jam explicavimus. — Privignus: prugnus (prisc. lat.) P. Diac. p. 226, cf. *brevima: brūma.

Finales syllabas accentus exspiratorii vi detractas esse jam vidimus. Sed ut in his 'memor-is, -e' "antiquissimi" Prisc. VII. 341 'inmemoris' Prisc. VII. 354. 12 'celeris concordis' Prisc. ibid. 'volupe' Plaut. vis spiritus apparet, ita sunt quæ non tam unius syllabæ pondere quam universum vocabulum appellandi neglegentia contracta esse videantur: 'dō' 'gau' Enn., 'pā', 'pō' C. Sal. Fest. 205; gr. *δῶ βρῖ κρῖ βᾶ μᾶ ῥᾴ λίς* Buttmanni Gr. Græc. m. 56. 13; *laserpitium* herba = sirpe Pl. Rud. 3. 2. 16 l. *σίλφιον* silphium Cat. Plin.: *laser* 1) herba 2) sucus illius herbæ. Cum 'lac sirpicum' Solin. 27 ore populi deformatum esset 'laserpitium', hoc gravissima contractione factum est: 'laser' (de quo Savelsberg. in A. K. XVI). — Prima syllaba omissa: ambidens P. Diac. p. 4. 17; *es-um* Varro: *s-um* **es-im* (ex cujus forma princ. *ero* fut. Buchholtz. l. c. I. 15., cf. Cavallin de fut. opt. p. 7. — Bugge esum: ero): *sim.* De pleb. sermone postremæ ætatis cf. Corss. II. 629. Schuch. II. 365. Moeller l. c. p. 13.


Consonantes eadem appellandi mollitia, qua sonos singulos prætereunt aut non satis exprimunt homines (cf. p. 41), nonnumquam omissæ sunt, vel primæ vel mediæ vel postremæ. Atque aphæresi hæ detractæ sunt. C primam vocis litteram omissam interdum esse comparandis cognatis linguis et vocibus et conjectando collegit Corssenus Symb. 2 sqq. et de en. [2] I. 34 et Btr. z. It. Sprachk. 1—103 et Ntr. p. 26—39, ad ea autem exempla adici fortasse debent **crumen rūmen,* cf. p. 77. Ne ego quidem in ipsis litteris et monumentis geminas hujus generis formas inveni præter hoc oppidanæ latinitatis 'Tesiphon' pro Ctesiphon C. I. L. V. 500. De G prima omissa Corss. [2] I. 82. Earum quæ G prima omissa factæ sunt geminæ formæ principales nonnullæ exstant, cf. Corss. l. c. Sign. discr.: *gnaivo-s *Gnaivo-d* n. pr. Scil. el. Gnæus Gneus Festus p. 96 Næus C. I. L. III. 1728 add.: *nævus* "corporis macula" (nativa) Cic. — T primæ omissæ hoc unum exemplum vidi 'slis' pro stlis C. I. L. I. 38. 198. 7 Corss. [2] I. 182. — D ante r fortasse et ante v antiquissima ætate detractum est Corss. Symb. et. p. 367, sed ejus rei nullum exemplum est cujus principalis forma exstet. Ante j: Diovis: Jovis, osc. Diùvia: lat. sabell. Jovia osc. Joviia umbr. Iovio- Corss. l. c. 211; Diana: Jana Varro r. r. I. 73. 5. Macrob. S. I. 9. De pleb. et postr. sermone v. Corss. l. c. p. 214. Schuch. I. 68. Dies: ies C. I. L. III. 2225 [**di-a *di-am*= die-s die-m Corss. I. 213: *jam;* sed probabilius est quod conjectavit Curtius Et. 620 'jam' dictum esse pro 'jasmin'] — P: gr. *πλυντήρ:* lat. lunter; *planca: lanx* (cf. *πλάξ*) Corss. [2] I 114. (Ut *plæ-tu-s: lætus, Corss. I. 376, sic) *Plætorius* C. I. L. I. 206, 296, 460, 461: *Lætorius:* C. I. L. I. 571. — V: exempla, in quibus detractum esse

ante r l u hanc litteram, quamvis principalis forma in litteris non exstet, conjectura assequaris, affert Corssenus [2] I. 311. 312. — *Volpius: Ulpius C. I. L. III. 1552. 4321; Volsinienses: Ulsinienses C. I. L. I. tr. 474. Exempla de plebeio sermone sumpta attulit Schuch. II. 509. Volcisci Plaut.: ulcisci Froehde A. K. XXII. 254. [J: fortasse, ut v, ita j vel detractum est vel cum simili vocali coivit contractione, quod samprasaranam sanscrite dicitur in his: jambrices: 1) *ambrices; 2) jimbrices: *imbrices; jacio -ĕre: *jicio: icio* Doederlein VI. Synonym. s. v. Prisc. X. 496 K "abicio-conicio-inicio; invenitur tamen etiam simplex, 'icio icis'." Nam ut telum jaci, ita ici i. e. feriri aliquis dicitur: Cic. div. II. 66. 135 "Ptolemæus in prælio telo venenato ictus". Analogiam sectatur Gell. 4. 17. 7. — S: exempla s primæ ante c p f t m l r omissæ, quorum principalis forma non exstat, v. ap. Corssenum [2] I. 277. 278. Quibus exemplis hæc addenda sunt præsertim quorum principalis forma exstet: stlocus (Quint. I. 4. 16 'stlocum', sed lectio dubia, alii: 'stlotum', quod fortasse legendum est 'stlatum') Fest. p. 312 M; quam formam oppidano loquendi genere diutius retentam esse testimonio est hæc inscriptio "sæculi c. secundi" (Momms.) Tortonæ inventa: STLOC. P. ARRII P. L. VIATORIS, C. I. L. V. 7381, *slocus: locus; stlis Fest. ibid. Quint. l. c. slis (de qua forma vidimus supra): lis. (ster-no) *stratus* a- -um part. perf., **stlatus*, cf. *stlata* s. f. "genus navigii latum magis quam altum et a latitudine sic appellatum" Fest. p. 312: *latus* -a -um adj.; (ut *spar-cu-s, cf. nostrum spar-a: par-cu-s, sic *sporc-u-s *spurc-u-s* adj.: *porc-u-s* subst. Bugge A. K. XIX. 438.

Ecthlipsis in media voce — cujus nulla fere exempla afferemus, nisi principales formæ exstant — fuit harum consonarum. C: Corss. [2] I. 35. 36. Inter exempla a Corsseno allata, hæc quinque h. l. nominare debeo: [arctus:] artus Brb. Hbn.; [farctus:] fartus Brb. Hbn.; *forctus* partic. activa sign. P. D. p. 102 (etiam 'hortus', "forctum et hortum pro bono dicebant") *forctis* P. D. p. 84 "frugi et bonus sive validus" "constans probus", Fest. p. 348 prisc. lat.: *fortis*, cujus cum mutata forma significatio paululum mutata est. Cf. Corss. symb. etymologic. p. 171; mulctare mulcta Tac. Germ. c. 12 Ritter: multare multa (usitatior et potior forma), osc. 'multa' Brupp. l. c. p. 89, umbr. 'muta'. (Quinque) *quinctus adj. ordin., cujus hæc liberæ civitatis ætate fuit discretio: *Quinctus* nom. proprium C. I. L. I. 1008: *quintus* adj. ord.; post. imperatoribus dominantibus, Quintus quintus dicebatur utraque significatione; Quinctius: Quintius, -a, Quinctilis: Quintilis, quæ a libera civitate plenius dicta essent, imperatorum ætate variasse demonstravit Bramb. Hbn. s. v. Sed 'Cintius' C. I. L. I. 854 et 'Cuntus' C. I. L. I. 939 indicio sunt ipsa illa antiquiori ætate in cottidiano sermone has

voces esse contractas. De plebeji et postr. sermonis hujus generis contractionibus sanctus: santus, cett. v. Corss. l. c. p. 36. — *Conctor* Pl. *cunctor* 1) moror 2) (per-) *cunctor* diutius vel assidue sciscitor sive fortasse proprie moram alicui sciscitando injungo: (per)-*contor* = percunctor, quod 'percontor' melius scribitur Brb. Hbn. p. 53 Schweizer-Sidler A. K. XIII. 301 et q. sq. Originatio illa Festi p. 214 M. et Donati ad. Ter. Hec. I. 2. 2 a 'conto' repetita, etsi speciem probabilitatis præ se fert, tamen reicienda est, quia in optimis codd. Plautinis est perconctor percunctor (Ritschl.), in cod. Veron. Liv. V. 32. 8 (Brambach) 'percunctatus'; a 'perconctor' 'percontor' proficisci potuit, a 'percontor' 'perconctor' non potuit. Mixtus: mistus; sexcenti: sescenti; *Sextius* nomen gent., S. Calvinus C. I. L. I. 632. Cic. Brut. §. 130, S. Hilario ib. 1037. S. Afer C. I. L. II. 4970. S. Gratus Faustus Nigellio Major Secundus aliique C. I. L. V. p. 1127 Momms., S. Masclinus Primus Pullænius Sabinus C. I. L. III. p. 1084 M. Liv. 30. 26. 27. Africanus Tac. Ann. 13. 19 Paconianus. Tac. Ann. 6. 39: *Sestius* patriciæ gentis vir a C. Iulio ad pop. accusatus a. u. c. 302. Liv. 3. 33. P. Sestius Capito cos. a. u. c. 302. Fast. cons. p. 492 ("Capitolinus" Liv. 3. 32) X vir a. 303. Momms. l. c. p. 629; L. Sestius tr. pl. prætor a Cicerone defensus Cic. ib. et al. locis; Sestii quattuor in inscr. Hispaniensibus Huebner p. 730; S. Hermes Nepos Victor S—ia Redita S—ia Ursina Momms. C. I. L. III. p. 1084; in inscr. Pompej. Sestii Proculus et Venustus Zangemeister l. c. p. 232; in inscr. Gall. Cis. S. Rufio S—ia spendusa, Ursa Momms. C. I. L. V. p. 1126. Osce Σεστες LIV Enderis. *Sextilius* nom. gent. Momms. C. I. L. p. 629. S. S—ius plebeius tr. mil. cos. pat. a. u. 375. Liv. 6. 30. S. Tregellanus Liv. 27. 10. S. Felix Tac. Hist. 4. 70. S—ia mater Vitelli Tac. H. 2. 64. In corpore inscr. Galliæ Cisalpinæ sedecim Sextilii quorum sunt diversa cognomina septemque Sextiliæ nominatæ sunt a Mom. p. 1126. In inscr. Pomp. S. Capito et S. Verus Zangem. l. c. Inscr. Hisp. S. Sulo (?) duasque S—ias Huebn. l. c.: (Sestilius) Sestlia I. N. 5199. — Osc. μεδδιξ: meddìss meddis Enderis p. 40; lat. merx: mers Pompon. 116 Ribb. — In his igitur ante s c detracta est. Post s in his: scirpus (Brugman. Curt. Stud. IV. 110. 156. Sigismund ibid. V. 138.) Plaut. Ter. Andr. 941 U Plin. 7. 56 (57) Sillig.: sirpus Columella 8. 15 Gesner. [*'scirpare' autem quod tamquam sit scripturæ variantis verbi q. est 'sirpare' in lexicis ponitur, videtur esse commenticium. Nam 'sirpare' est in fragm. Varronis ap. Non. p. 83 et Varro L. L. V. §. 137 et 139 M; ne *scirpiculus quidem in litteris inveni, etsi non dubium est quin olim fuerit, cf. Pl. Rud. 523 "o scirpe, scirpe, laudo fortunas tuas, qui semper servas gloriam aritudinis", ubi scirpus = 'sur-

piculus' Capt. 816 Lucil. ap. Non. p. 490 vel 'sirpiculus' Colum. 10. 305. Prop. IV. (V.) 2. 40. 'Scirpiculæ' autem scil. falces Caton. 11 suspecta est fide et nescio an Salmasius ad Solin. c. 35 p. 414 cum conjiceret scriptum 'sarpiculæ' recte a sarpendo i. e. putando dictum esse putaverit; atque etsi perquam dubia est Varronis originatio a scirpando L. L. V. 137, tamen testimonio est in Varron. R. I. 22 recte editum esse 'sirpicula', non scirpicula]. *Scævus* (cf. Brugman Curt. Stud. IV. 156) 1) sinister 2) pravus, infaustus "scævus iste Romulus" Sall. fr. Hist. I. 45. 5. Kritz, ubi Kr. sc. "infaustum atque calamitosum" interpretatur ('sævus' Vat. 2): *sævus* proprie dicitur qui stragem faciat, sævus in armis Aeneas 12. 107, tum horrendus, infestus, crudelis, rabidus. A radice scarp, cf. gr. σκάριφος, in nostra lingua *skarfva: karfva,* cum in latina lingua in altera forma s, in altera c detracta esset, discreta sunt: *sarpĕre* putare ("sarpta vinea putata" Fest. 322 M. Kuhn A. K. II. 129. IV. 22 sqq.): *carpere;* Curt. Et. 264 cfert theod. sarf, scarf (sv. skarp). In 'carpere' s primæ vocis detracta est, ut in græcis κνιπός, = σκνιπός, κνήφη = σκνήφη, κιμβάζειν ὀκιμβάζειν conquiniscere cunctari: σκιμβάζειν conquiniscere [καπάνη: σκαπάνη, ligo et fossa?] κῦτο-ς Lycophr. 1316 = σκῦτος, τέγος tectum, cubiculum: στέγος tectum domus, et in iis exemplis quæ supra p. 165 allata sunt. G: In aliquot vocibus mediis omissam esse conjectando assequaris, de quibus Corss. [2] I. 40 et 83 sqq. [Sed spiritus vi factæ sunt hæc, cf. p. 138, geminæ formæ: aprugnus: aprunæ Ed. Diocl. 4. 43. *agmen: ex-āmen* apium, servorum = turba; ab exigendo dictum esse libræ exāmen non injuria putat Cavallinus s. v.; figere *figuere: fivere "item pro figere" Van. l. c. p. 390]. — T: slis de quo supra p. 165. 'Posmeridianus' autem Cic. Or. 157 'posquam' 'posridie', ecthlipsi orta esse ex 'postmeridianus' 'postquam' postridie' negavit Ritschelius Op. II. 541 sqq. Qui etsi id mihi non plane persuasit, fieri enim potuit cum pro 'post' dictum esset 'pos', ut, quemadmodum a post postquam et cett., ita a pos posquam et cett. dicerentur, tamen multas et graves attulit rationes cur ecthlipsis t statui non deberet. [Spiritus vi: *tri-ret-mo-s tri-res-mo-s Col. rostr. tri-rēmi-s Corss. I. 181]. In sermone plebejo postremæ ætatis t non modo ante r, sed etiam inter vocales t elisam esse nonnullis exemplis ostendit Schuchardtus I. 130. De t in fine vocabuli omissa cf. exempla ab illo l. c. allata. [At spir. vi D: 'sēd' in compositis duas habet formas; ante vocalem enim d retinetur: sēd-itio, ante consonas omittitur sē-jungere; quo-d-circa: quō-circa Goetze Stud. I. 2. 189; sed ante consonas non modo vocalis spiritu sed etiam quo mollius vox exiret, d sublata est]. P: op-s- sup-s-: os- sus- Corss. I. 121. In plebejo sermone 'scriptus': 'scritus' Or. H. 6432. Corss. I. 123. R: De r in mediis



De Futuro Herodoteo.

scripsit

S. J. CAVALLIN.

In commentatione illa "*De modis atque temporibus orationis obliquæ apud Herodotum*", quam proximo anno edebam, de usu futuri indicativi et optativi in enuntiationibus explicativis et de illis futuri infinitivis, qui post declarandi sentiendique verba usurpantur, mentionem feci; plurima autem, quæ ad futuri usum Herodoteum pertinent, relinquere necesse fuit, utpote quæ non ad quæstionem propositam referri possent. Inter quæ tamen multa sunt, quæ ad perfectam grammaticæ græcæ cognitionem utilia videantur; ut primum quidem indicativi futuri usus tum in enuntiationibus quibusdam primariis, tum in nonnullis enuntiationum secundariarum generibus, qui diligentius perspiciatur, dignus videtur; deinde de illis infinitivis, qui post μέλλω occurrunt, et de significatione hujus verbi apud Herodotum disputationem instituere non supervacaneum videtur; tum vero futuri participii, ut omnino in lingua græca, ita in locutione Herodotea usus certioribus terminis, quam vulgo a Grammaticis factum est, circumscribendus videtur. Quamobrem decrevi in hac commentatione omnia, quæ ad futuri usum Herodoteum pertinerent, complecti et quum illa, quæ in antecedenti commentatione de futuro continerentur, ceteris temporibus permixta essent, placuit ea quoque, si aliquo modo possem, emendata in unum et eundem locum conferre; neque tamen majorem hujus commentationis particulam efficient.

Sed quoniam mihi propositum est, ut de unius temporis usu apud unum scriptorem exponam, duæ res præmittendæ sunt. Namque et de ipsius futuri origine et principali significatione mentio est facienda, et de iis futuri formis, quibus utitur Herodotus, quæstio instituenda.

Ac quamvis dissimilia esse videantur varia futuri genera, quæ futurum primum, secundum, atticum, doricum vocant, tamen inter viros doctos, qui in linguis comparandis versati sunt, constare videtur, omnia quasi ab uno fonte derivanda esse; omnibus enim communem fuisse terminationem σȷω, εσȷω (scr *sjāmi*, *asjāmi*), cujus forma medialis futurum verbi εἶναι efficit ἔσομαι (lat. *ero* = *esio)*. Sed hanc ipsam terminationem σȷω sjāmi ex duabus radicibus compositam esse statuunt; una ἐσ, *as* (verbi substantivi), altera *ja* (quod in græco ἰέναι, latino *ire* invenitur), quæ quidem radix etiam in optativo [1]) et in illis verbis, quæ littera ȷ præsens formant [2]), inesse dicitur. De propria autem vi temporali formæ illius asjāmi dissentiunt, utrum futuralis significatio quasi fortuito formæ illi indita sit, ita ut revera nihil aliud sit nisi præsens ad similitudinem eorum, quæ cum ȷ formata sunt, fictum, ut Schleichero et Schmidtio videtur, an, id quod Benfeyo et Curtio placet, major vis addenda sit radici ȷa, ut sit idem, quod Galli dicunt: *je vais*, Britanni: *I am going to;* radicem vero *ja* Curtius statuit cum verbo substantivo compositam esse eam potissimum ob causam, ut hoc tempus a verbis cum ȷ formatis et ab optativo distingueretur [3]). — Ad primam autem et principalem futuri formam proxime accedere statuunt doricum illud futurum, in quo ȷ vel in ι transierit, ut in dialecto dorica ante ω et ο, vel in ε, quod cum sequentibus vocalibus contrahatur. Idem litteræ ȷ accidisse in futuris a verbis in -ίζω formatis, ubi tamen σ excidit; in ceteris futuris ȷ, in futuris atticis et liquidis σ quoque evanuit; de liquidis autem dubitant, unde exortum sit illud ε, quod cum sequenti vocali contrahitur; nam præterquam quod nonnullis hæ formæ præsentia esse visa sunt a radice *ja* formata, aliis, ut Schleichero, hoc ε e radice ἐσ, quacum compositum est *ja*, ortum videtur; aliis, ut Curtio, videtur esse auxiliaris quædam vocalis [4]). Ceterum ut de multis aliis rebus, quæ ad originem temporum et modorum verbi græci pertinent, ita de futuro multa sunt, de quibus viri docti dissentiant; quæ omnia afferre neque ad eam quæstionem, quam nobis proposuimus tractandam, de futuro Herodoteo opus esse arbitramur, neque ad hanc ipsam rem illustrandam admodum multum valere existimamus. Nam ut diligentissima illa formarum originis cognitio, quæ linguis comparandis efficitur, si totam artis syntacticæ rationem respicimus, utilissima

---

[1]) Curtius Das Verbum der Griechischen Sprache II p. 77.

[2]) Curtius das Verb. I. p. 294 sq.

[3]) Vide Curtius das Verb. II. p. 298—300.

[4]) Cfr Curtius Das Verb. II. p. 305, 306 et Clemm, Die neuesten Forschungen auf dem Gebiet der Griech. Composita in Curtii Studiem VII. p. 65.

esse potest, ita ad varios formarum apud singulos scriptores usus cognoscendos et ad singulos locos intelligendos et interpretandos minus videtur necessaria esse.

De prima autem et principali futuri temporis, quale in litteris græcis exstat, significatione etiam pauca afferenda sunt. Ac quod dicunt futurum et optativum ab eodem quasi fonte originem ducere, sunt, qui futuro modalem potius quam temporalem significationem addere velint. Et ne loquar de iis, qui futurum conjunctivo aoristi originem debere censent [1]), id quod his nostris temporibus nemini, opinor, credibile videbitur, sunt tamen nonnulli rerum grammaticarum scriptores, qui modali illi significationi majus, quam justum est, momentum addere videantur. Ut Akenius ille vir doctissimus futurum dicit esse quasi e conjunctivo in indicativum refictum et proprie nihil aliud nisi exspectationem, ut fiat aliquid, significare [2]), eumque secutus Kochius docet apud Atticos scriptores futurum usurpari pro Homerico illo conjunctivo ("Modus der Erwartung") in talibus enuntiationibus primariis, in quibus de aliqua re sententia pronuntiatur, ita ut a significatione optativi potentialis non multum abhorreat [3]). (Mirum tamen est, quod nullis exemplis hunc futuri in enuntiationibus primariis usum confirmat). — Ad hanc autem futuri significationem probandam afferunt futuri indicativi usum et in interrogationibus deliberativis et in enuntiationibus relativis et ab ὅπως incipientibus et participium futuri ad finem indicandum sæpe usurpatum [4]). Sed ut in medio relinquamus, quæ antiquissimis temporibus inter optativum (conjunctivum) et futurum intercesserit ratio, si futuri usum, qualis in litteris græcis exstat, respiciemus, non, credo, dubium videbitur, quin prima et principalis existimanda sit futuralis illa significatio, quæ et in indicativi usu in plurimis enuntiationibus primariis et in multis enuntiationum

---

[1]) Cfr illud quod affert Forssmannus, De Infinitivi Temporum Usu Thucydideo, in Curtii Studien VI pag. 10.

[2]) Aken, Die Grundzüge der Lehre von Tempus und Modus im Griechischen p. 17: Das Futur ist eine *indicativische Rückbildung* aus dem Conjunctiv — — —. Solcher Abstammung gemäsz will das Futur ursprünglich nur eine Erwartung aussprechen, und zwar ebensowohl, dasz etwas jetzt schon sei, wie von der Zukunft. —

[3]) Koch, Griech. Schulgr. § 105. 3. Die Attiker gebrauchen als Modus der Erwartung in selbstständigen Urtheilssätzen das Futurum — —. Mit dem Futurum wechselt der *modus potentialis*, da der Ausdruck *es steht zu erwarten* leicht sich vertauschen läszt mit dem Ausdrucke *es ist denkbar*, *es kann sein*.

[4]) Aken. l. l. p. 17. Dies modale Element zeigt sich noch in der Prosa in dem Wechsel mit dem Conj. in zweifelnden Fragen, wo der Unterschied gleich Null ist; — im μή bei Fut. pro Imperat., besonders in den Finalsätzen, wo in manchen Fällen der Indic. Fut. die einzig mögliche Modalform ist, auch nach Præteritis et cet. Cfr. Koch. § 105. 3 Anm. —

secundariarum generibus elucet, et præterea semper fere et in optativo et in infinitivo et nonnumquam in participio occurrit. Quum autem in ipsa futuri temporis notione incerti aliquid inesse videretur, facile fieri potuit — id quod Kochius statuit — ut nonnumquam illa exspectationis magis quam futuri temporis significatio exstaret. In deliberativis vero interrogationibus non difficile videtur modalem illam e temporali significatione deducere. In enuntiationibus relativis et ab ὅπως proficiscentibus etiam relativa vox, in qua finalis vis inesse quodam modo videtur, ad significationem mutandam nonnihil valere potuit; itemque illis locis, ubi participium finalem habet vim, hæc significatio non tam in ipsa participii forma inesse quam ex participii usu, pro enuntiatione relativa vel finali vel consecutiva usurpati, videtur esse repetenda.

Præterea observandum est futurum tempus et ad præsens et ad aoristum respondere, quum actionem et durantem et ingredientem vel momentaneam exprimere possit. Utram vero singulis locis indicet, aut minoris momenti est, quum futurum tempus respiciatur, aut ex iis, quæ ipso loco continentur, repetendum est.

Jam vero enumeranda sunt illa futura, quæ apud Herodotum occurrunt, unde appareat, et quibus verbis in futuro tempore utatur Herodotus, et quo modo singulorum verborum futura formaverit et flexerit, præsertim quum non nullæ sint formæ, quæ Herodoto propriæ esse videantur, aliæ antem sint formæ, quæ utrum futura sint necne, in dubium possit vocari. In his autem futuri formis indicandis editiones criticas Steinii (Berolini 1869 & 71) et Abichtii (Lipsiæ 1869) potissimum sequemur neque ad antecedentes editores multum respiciemus. Et primum quidem activa futura afferemus, deinde media, tum vero passiva et futura tertia, quæ vocant.

I. Activa igitur futura occurrunt:

1) E verbis puris,

a) in *α* exeuntibus, quod *α*, etiam antecedente *ϱ*, in *η* mutatur: *ἀμήσω, ἐρευνήσω, ὑπο-μνήσω, νικήσω, ἐξοπτήσω, πεινήσω, περήσω* (III. 72.), *στήσω* (*ἀπανα- ἀπο-, διακατα- ἀντικατα- συ-*), *συλήσω, τελευτήσω, τολμήσω, φήσω* (II. 49. III. 155. IV. 45), *ἐπιφοιτήσω, χρήσω oraculum edere*, ut I. 19, *χρήσω suppeditare* III. 58. *χρήσει* VII. 8. *ἀποχρήσει* VIII. 130. *ἐκχρήσει* III. 137. *καταχρήσει* IV. 118. Præterea *ἐάσω* VI. 55. VII. 9. et *διασπάσω* VII. 236. —

b) in *ε*, quod in *η* producitur *ἀδήσω, αἱρήσω* (sæpe ut III. 151. V. 43. VI. 76. 89. *ἐξαιρ.* VI. 33. VIII. 112. *κατ-* I. 71.) *αἰτήσω, ἀλγήσω, ἀμελήσω, ἀμηχανήσω, αὐτομολήσω, ἀνα-βλαστήσω, βοηθήσω, δεήσει, ἐνδεήσει, διηκονήσω,*

δοκήσω (pro δόξω, quod sæpe occurrit, IV. 74), ἐθελήσω, εἰδήσω, ἐπιθυμήσω (St. I. 216?), ἐπιχειρήσω, εὐδαιμονήσω, εὑρήσω, ἐπι-ζητήσω, verba ex ἥσω composita, ἀπήσω (II. 15. IX. 18, sed VII. 193 Steinius ἀφήσειν legit propter sequens Ἀφέται) [1]. ἐπ-, μετ-, παρ-, προ-, συν-, ὑπ-ήσω. θήσω (ἀνα-, ἀντι-, ἐπι-προσ-), καρηδοκήσω, κινήσω, κρατήσω (ἐπικρ.-), κυρήσω (ἐγκυρ-), λιπαρήσω, μελήσει, (μεταμ.-) ἀνα-μετρήσω, ναυμαχήσω (προν-) νοσιήσω (ἀπον-) οἰκήσω (συν-), ὁμολογήσω, ἐπι-ποθήσω, ποιήσω, πολεμήσω, στρατηγήσω, στρατηλατήσω, σχήσω (non tam sæpe quam ἕξω, occurrit tamen V. 42. IX. 19. ἀνασχ. V. 106. VII. 14. ἐπισχ. VII. 139. κατασχ V. 72.) τιμωρήσω, ὑπηρετήσω, ὑπουργήσω (ἀντυπ-), ἐκφορήσω, παρα- φρονήσω, χαιρήσω, χρυσοφορήσω, χωρήσω (ἐκχ-, προσχ-, συγχ-). — Vocali ante σ non producta κορέσω I. 212, 214 et συγκαλέσω III. 74. —

c) in ο, quod in ω producitur αἰστώσω, ἀξιώσω, δηλώσω, δώσω (ἀντι-, ἀπο-, μετα-, παρα-, προ-), θανατώσω, κυρώσω VI. 86β. 126, ὀρθώσω. —

d) in ceteras vocales vel diphthongos τίσω (ex τίνω ut VII. 136). — θύσω, λύσω (ἀπο-, δια-, κατα-), μηνύσω. — παύσω (κατα-). — δια-σείσω. — βασιλεύσω-, ἐπι- βουλεύσω, δουλεύσω, καλλιστεύσω, κελεύσω, κινδυνεύσω, παρθενεύσω III. 24? κατατοξεύσω, φονεύσω. — οἴσω II. 92, ἀνοίσω II. 5. VII. 149. ἐξοίσω III. 71. 75. —

2. E verbis mutis occurrunt futura,

a) in -ψω, συνάψω, ἀναβλέψω (II. 111), γράψω, θάψω, θρέψω I. 84 (ἐπιθρέψω VIII. 142), ἀποκρύψω, composita e λείψω ἀπο-, ἐκ-, κατα-λείψω. πέμψω (ἀπο-, συμ-), ῥέψω, ἀποτρέψω, ἐκτρίψω (VI. 37).

b) in -ξω, ἀπ-αλλάξω intr. IX. 106. ἄξω (ἀν-, ἀπ-, ἐπ-, κατ-), ἀρήξω, ἄρξω (ὑπ-), δέξω (ἀπο-), διδάξω, δόξω, ὑπ-είξω, ἕξω (sæpe ut II. 41. III. 1. 74. 137. 159. IV. 95. 114. 139. παρέξω ut I. 9. III. 73. V. 19. 91. VII. 158. IX. 87. 122), ζεύξω (III. 102), ἥξω, λέξω (κατα-), συμμίξω, πρήξω (δια-) ῥήξω, στίξω, ἐπιτάξω, φυλάξω (διαφ-).

c) in -σω, κατίσω, λήσω, πείσω (ἀνα-), ἀποπλήσω (VII. 29), κατασπείσω, στασιάσω, σώσω, φράσω χρηίσω. —

3. E verbis liquidis futurum secundum, quod vocatur, formis solutis, præter quam quod -εο in ευ nonnumquam contrahitur [2].

a) in λ, ἀποβαλέω I. 71. VIII. 65. συμβαλέω III. 11. 135. IV. 134. VI.

---

[1]) Dem Etymon zu Liebe ist die aspirirte Form (statt ἀπήσειν) beibehalten.

[2]) De his formis confer: Reinholdus Merzdorf, Quæstiones Grammaticæ de Vocalium in Dialecto Herodotea concursu modo admisso modo evitato, in Curtii Studien VIII. 1 pag. 146—58, 163—175, de εο in ευ contractum p. 165.

111. — ἀγγελέω I. 43. IV. 14. 128. VIII. 54. 98. ἀπαγγ. IV. 152. ἐξαγγ. III. 134; παρ- VII. 147. — ἀπολέω I. 34. 112. V. 91 (bis). VII. 209. VIII. 60α. 138. IX. 18. — ἀποστελέω IV. 179. —

b) in ν, κερδανέω I. 35. VIII. 60, οὐνομανέω IV. 147. σημανέω I. 75. 209. II. 9. III. 37. IV. 99. 127. V. 54. 92η. VI. 39. VII. 77. 213. ἀποσ. V. 20. διατειρανέω III. 12. — ἀποκτενέω III. 30. 36. 62. 65. V. 92γ., μενέω IV. 119. 147 (ubi nonnulli μένειν legunt) VII. 141. VIII. 57. 62. 108; ἐμμενέειν IX. 106 (nonnulli ἐμμένειν) παραμ. VIII. 5. ὑπομ. IV. 3. VII. 101. 209. IX. 90. — αἰσχυνέω IX. 53. ἀμυνέω III 155. τῶν ἀμυνεύντων St., Ab. præsens legit. VII. 168. -έειν, IX. 6. -εῦσι St. -έουσι Ab.; IX. 60. -έοντες St., Ab. —

c) in ρ, ἐρέω I. 5. II. 38. 40. III. 80. IV. 44. 129. VI. 43. VII. 49. 104. VIII. 100. — ἀπερέω I. 52. VII. 205. κατερέω III. 72. V. 92η προερέω I. 77. 81. III. 61. προσερέω V. 72. — διαφθερέω V. 51.

4. Futurum atticum, quod dicunt, ex his verbis occurrit a) in -α, semper contractum, ἐλῶ I. 207. II. 162. IV. 148. VII. 8β. 10. 33. 37. 57. 128. — ἀπελῶ VIII. 102. ἐξελῶ III. 59. V. 63. — διεξελῶ V. 52; δια-σκεδῶ I. 79. VIII. 68. — διεκπερᾷ III. 4, quod Steinius futurum esse censet [1]). — Forsitan huc referendum sit σιγᾶν VIII. 110, quod pro σιγήσεσθαι usurpatum videtur τοῖσι ἐπίστευε σιγᾶν ἐς πᾶσαν βάσανον ἀπικομένοισι. — b) Verborum in -άζω occurrit fut. δικᾶν I. 97 et fortasse ἀποδοκιμᾷ I. 199, quod tamen, utpote quod cum præsenti conjunctum sit, præsens quoddam insolitum esse potest [2]). — c) E verbis in -έω sine contractione futurum καλέω VII. 15. πέμπει ἄγγελον ἐπὶ Ἀρτάβανον καλέοντα, quod tamen etiam præsens esse potest; Cfr ὑποτελέειν IV. 201. — Huc referri potest διαχέειν, quod futurum esse videtur II. 150. — E verbo αἱρέω, præterquam quod futurum αἱρήσω sæpe occurrit, αἱρέω ter ita usurpatur, ut futurum esse videatur. III. 155. V. 43. VI. 82; Steinius V. 43. VI. 82 futuri formam esse statuit, Abichtius contra præsentia pro futuris usurpata esse dicit [3]). — d) E verbis in -ίζω hæ futuri formæ occurrunt, in qui-

[1]) Itemque Ab., Bæhr., Bredow. pag. 390. — Curtius Das Verb. II. p. 309 hoc futurum non affert, sed tantum περάαν Fut. zu πέρνημι oder πιπράσκω. — Kr. περᾷ conjunctivum esse existimat neque, si significationem formæ respicias, quicquam impedit, quo minus ita esse statuamus. —

[2]) Vide: Curtius Das V. II. p. 308. Steinius utramque formam fut. atticum esse dicit ad I. 97. Cfr. Ab. ad III. 4.

[3]) III. 155. ἤδη ὦν ἢν μὴ τῶν σῶν δεήσῃ αἱρέομεν Βαβυλῶνα. — V. 43. χρησόμενος — —, εἰ αἱρέει ἐπ' ἣν στέλλεται χώρην, (h. l. Cobetius αἱρέῃ legendum censet). — VI. 82. μαθεῖν

bus scribendis Steinius et Abichtius in eo dissentiunt, quod ille *εε*, *εει* in *ει* plurimis locis contrahendum statuit, hic autem formis solutis plerumque utitur, quamquam neuter satis sibi constat. Steinium autem Merzdorfius sequitur, docens [1]) nihil esse planius, quam quod Ionibus dupplex *εε* post mollem vocalem *ι* adeo inopportunum eorumque ori adeo incommodum fuerit, ut hujus conjunctionis vocaliciæ molestiam contractione vocalium *εε*, *εει* in *ει* evitarent: *καταγιεῖν* (St., Ab. *-έειν* I. 86) *καιακοντιεῖ* (St., Ab. *-έει* IX. 17), *ἀτρεμιεῖν* (St., Ab. *-έειν* VIII. 68*β*.), *θεσπιέειν* (uterque VIII. 135), *κομιεῖ* (St., Ab. *-έαι*) [2]), *μακαριεῖν* (St, Ab. *-έειν* IX. 93), *νομιοῦμεν* (St., Ab. *-εῦμεν*, id quod rectius Merzdorfio videtur esse [3]) II. 17), *ὀπωριεῦντες* (uterque IV. 172. 182), *καταπλουτιεῖν* (uterque VI. 132). —

II. Jam postquam activa futura enumeravimus, sequitur, ut eundem ordinem servantes futura media afferamus. Signo A. ea futura indicabimus, quorum cetera tempora forma activa utuntur; signo D. autem derponentia notabimus. Ceterum observandum est personam II sg. *-εαι* solutam manere, antecedente consona, sed antecedente vocali *ε* *-έεαι* in *-έαι* per hyphæresin mutari, quamquam Steinius *-έεαι* scribendum censet [4]). Occurrunt autem hæc futura media.

1. E Verbis puris,

a) in *-α*, A. *ἀνα-βήσομαι* IV. 82. *ἀποβ.* I. 32. II. 82. sæpius, *διαβήσομαι* I. 75. 189 sæp. *ἐκβ.* VII. 209. *καιαβ.* V. 106. *προβ.* I. 5. VIII. 60. *συμβ.*

— — *τὴν ἀτρεκείην ὅτι οὐκ αἱρέει τὸ Ἄργος.* Steinius, multa verba afferens, quæ duobus futuris utuntur, etiam refert Æsch. Ag. 126. *χρόνῳ μὲν αἱρεῖ* (vulg. *ἀγρεῖ*) *Πριάμου πόλιν ἅδε κέλευθος πάντα δὲ* — — *Μοῖρα λαπάξει*, ad quod adjici possit Soph. Philocteta, 113 *αἱρεῖ τὰ τόξα ταῦτα τὴν Τροίαν μόνα.*

[1]) l. l. pp. 150. 151. 157. 158. Cfr de his formis Herodoteis Curtius Das Verb. II. 312, ubi tamen formas *κατακοντιεῖν*, *μακαριεῖν*, *κατα-πλουτιεῖν* non attulit.

[2]) Mirum sane est, quod h. l. Abichtius *κομιέαι* legit II pers. fut. medii. Eum sequi videtur Merzdorfius l. l. pag. 145, qui tamen *κομιῇ* legi mavult. Sed tamen h. l. *μηχανᾶσθαι ὅκως τὸ σῶμα τοῦ ἀδελφεοῦ καταλύσας κομιεῖ*, apparet *κομιεῖ* esse III pers. fut. activi. Nam ne illi quidem, credo, scriptores, qui sæpe post *ὅτι*, nonnumquam post *ὡς* in recta oratione (vide Kühner § 551. 4) pers. I et II utuntur, post *ὅκως* personas I et II pro III usurpant. Nedum Herodotus, qui uno tantum loco II. 115 *ὅτι* cum pers. I in recta oratione conjungit, putandus sit post *ὅκως* h. l. pers. II ponere potuisse, pers. III et antecedente, *δύναται*, et subsequente, *ἀμελήσει*.

[3]) vide l. l. p. 169. —

[4]) De hac re Cfr Merzdorf. l. l. p. 144. 145 et Fritschii De vocalium græcarum hyphæresi, in Curtii Studien VI. p. 129, 130 ubi Steinium satis refellere videtur. —

II. 3. — A. καταβώσομαι VI. 85. — A. ἀπο- δρήσομαι VII. 210. διαδρ. III. 135. VIII. 60. 80. — D. δυνήσομαι VI. 107. VIII. 57. 65. — D. καυχήσομαι VII. 39. — A. κερδήσομαι III. 72 (bis). — D. ἀνακτήσομαι I. 50. προσκτ. V. 31. VII. 8α. VIII. 136. — μηχανήσομαι V. 30. — D. ἐπιμνήσομαι I. 5. 51. 177. II. 101. — ὁρμήσομαι V. 34. — πειρήσομαι I. 124. II. 163 sæpe. — στήσομαι transitive I. 98. III. 84. VII. 175. 236 (βασιλέα, πόλεμον), intr. V. 111. — ἐπαναστήσομαι I. 89.' III. 62. 65., ἀντιστ. VIII. 75., ἀποστ. III. 36. IX. 90. 106. καταστ pass. τύραννος κ- εται III. 143. παραστ. trans. IV. 136; intr. III. 155. VII. 46. — χρήσομαι *oraculum consulere* I. 46. 47. IV. 145. 163. sæp. — D. χρήσομαι *uti* I. 29. II. 17. 41. III. 71 sæpe. διαχρ. I. 110. VI. 11. καταχρ. IV. 146. — ἐπιπτήσομαι VII. 15.

b) in -ε, αἱρήσομαι V. 49. ἀναιρ II. 41. IV. 14. IX. 33. — ἀπαιρ. I. 71. IX. 82. — ἀλεξήσομαι VIII. 81. 107. — D. βουλήσομαι I. 127. IV. 137. D. ἐκγενήσομαι IV. 111. — D. δεήσομαι I. 69. 141. II. 44 sæp. — D. ἐπειρήσομαι I. 67. 158. 174 sæpe. — εὐνομήσομαι I. 97. — εὑρήσομαι III. 148. IX. 6. — D. ἀπ-εχθήσομαι I. 89. — D. ἀπηγήσομαι I. 185. II. 161. IV. 38. 145. κατηγ. VII. 8α. — D. θεήσομαι (St., Ab. θηήσομαι I. 8. VIII. 86. IX. 25). — θήσομαι γέλωτά τινα III. 29. ἐπιθήσομαι IV. 135. V. 31. VIII. 7. IX. 89. προσθ. I. 109. καταθ. VI. 41. συνθ. VII. 145. ὑποθ. V. 98. — A. μαθήσομαι IX. 11. ἐπιμ. II. 160. V. 91. — D. μαχήσομαι IV. 127. VII. 102. 103. 209. διαμ. IV. 125. — D. ἐπι-μελήσομαι V. 29. — ποιήσομαι μνήμην I. 15. 184. 193. II. 102. V. 74. VI. 54. λόγον II. 155. βουλὴν VIII. 40. ἀποθήκην VIII. 49. ναυμαχίην VIII. 4. 97. ὁδοιπορίην II. 29. ἐν οὐδενὶ λόγῳ VII. 16. — τιμωρήσομαι III. 145. VI. 87. VII. 9. —

c) in -ο, D. ἁλώσομαι I. 112. III. 153. VII. 102. — D. ἀντιώσομαι VIII. 9γ. 102. — A. γνώσομαι IV. 127. συγγ. VII. 12. — ὁμοιώσομαι VII. 158.

d) in ceteras vocales vel diphthongos, τίσομαι I. 10. — ἐκδύσομαι V. 106. — καταλύσομαι IX. 11. — D. ῥύσομαι I. 86. VII. 11. — A. πλεύσομαι II. 29. III. 135. ἀποπλ. IV. 147. VIII. 5. IX. 90. συμπλ. IV. 149. — A. ἀντιθεύσομαι V. 22. ἀποθ. VIII. 56. — παύσομαι I. 56. 155. V. 92. VII. 8β. IX. 93. — γεύσομαι II. 39. 41. — D. διακελεύσομαι I. 36. — μαντεύσομαι I. 46. — στρατεύσομαι III. 137. VII. 1. 11. ἐπιστρ. VI. 139. συστρ. IX. 11. — οἴσομαι I. 31. VI. 100. 132. VII. 213. — ἐξοισ. pass. VIII. 49. 76. προσοισ. VI. 101. συνοι. IV. 15. V. 82. 114. VI. 50. VIII. 86. — A. ἀκούσομαι I. 24. VII. 109. IX. 79. — ἀποκρούσομαι VIII. 61.

2. E verbis mutis.

a) in -ψομαι: D. παραμείψομαι V. 52. — ἅψομαι I. 198. — ἀπογράψομαι VIII. 135. — D. ἕψομαι IV. 97. VI. 65. VIII. 2. — ἐλλάμψομαι I. 79. VIII. 74. — A. λάμψομαι sæpe ut I. 192. III. 37. VIII. 10. 113. IX. 108 ἀπολ. III. 146. IX. 39. καταλ. IV. 33. VI. 39. παραλ. II. 120. VII. 157. — λείψομαι VII. 8a. 48. 113. IX. 53. — D. μέμψομαι II. 162. IX. 6. — A. ὄψομαι I. 9 sæp. ἐπόψ. I. 112. κατόψ. III. 17. VII. 8. προκατόψ. VIII. 23. περιόψ. I. 152. — D. ἐπισκέψομαι II. 109. — σκήψομαι VII. 28. — καταστρέψομαι I. 78. V. 89. VII. 8. 10a. 209. IX. 1. — τρέψομαι I. 97. 207. III. 135. VIII. 57. ἐπιτρέψομαι III. 155.

b) in -ξομαι: ἀπαλλάξομαι V. 67. VII. 222. — ἄξομαι VII. 8. — ἄρξομαι pass. III. 83. — D. δέξομαι (e δέκομαι) I. 126. VI. 112. VII. 102. — ἐνδ. VII. 237. — ἀποδέξομαι (e δεκνύω VIII. 89. — ἀνέξομαι IV. 162. — περιεξ. I. 71. — D. ἀπίξομαι II. 29. V. 23. VII. 8. — A. λάξομαι VII. 144. — ἐκπρήξομαι VII. 158. — D. καταπροΐξομαι III. 36. 156. V. 105. VII. 17. — τέξομαι VII. 49. — A. τεύξομαι I. 90. III. 155. IX. 108. 109. — A. φεύξομαι I. 207. VIII. 68β. IX. 53. ἐκφ. VIII. 6.

c) in -σομαι: D. ἀγωνίσομαι VIII. 26. — A. ἀναρπάσομαι VIII. 28. IX. 60. — δικάσομαι I. 96. — D. ἐλεύσομαι VI. 9. VIII. 130. ἐξελ. I. 146. VI. 106. IX. 37. κατελ. V. 125. — ἐργάσομαι VIII. 49. κατεργ. I. 24. III. 69. VI. 2 sæpius. — A. πείσομαι e πάσχω sæpe ut II. 13. V. 89. — πείσομαι e πείθω sæpe ut II. 146. IV. 119. V. 93. — D. πεύσομαι IV. 145. VIII. 141. IX. 58.

3. E verbis liquidis.

a) in λ: συμβαλέεσθαι III. 135. ὑπερβ. VII. 168. VIII. 24. — ἀπολέεσθαι I. 38. 112. VI. 29. VII. 156. 220 (Ab., St. ed. 1866). VIII. 12. 65. -έεται VIII. 3. 57. — εόμεθα IX. 42. — έεσθε III. 71. -εόμενος St. et Ab. VII. 218. VIII. 69. Contra VII. 146, St. ed. crit. -ούμενος ed. 1866 -εύμενος; Ab. -εόμενος.

b) in μ: A. δραμέονται VIII. 102. ἀνανεμέεται I. 173.

c) in -ν: ἀμυνεύμεθα (St., Ab. -εόμεθα VIII. 143), εὐφρανέεαι (St., Ab. -έαι). A. ἀποθανέεσθαι III. 143, -έεαι (St., Ab. -έαι IV. 163). — έεται IV. 190. — έονται IV. 95. -εύμενος (St., Ab. -εόμενος VII. 134). — D. μανέεται I. 109. — D. προσ-εμ-πικρανέεσθαι III. 146. — φανέεσθαι I. 60. -έονται III. 35. — D. ὑποκρινέεσθαι I. 164. VIII. 108. — ἀπολαμπρυνέεαι (St., Ab. -έαι I. 49).

d) in ϱ: διαφθερέεται VIII. 105. -έονται IX. 42 (his locis Ab. -φθαρέεται -φθαρέονται legit, quamquam V. 51 διαφθερέει legit.

4. Futura attica occurrunt: ἐπιτελέεσθαι VI. 140. — προκαλεόμενος III. 13 et ἐπικαλεύμενος V. 108; quæ tamen formæ etiam præsentia esse possunt. — ῥύομαι VII. 39. σὲ μὲν γὰρ καὶ τοὺς τέσσερας τῶν παίδων ῥύεται τὰ ξείνια· τοῦ δὲ ἑνὸς — — τῇ ψυχῇ ζημιώσεαι prope ad futuri significationem accedere videtur, cfr opt. ῥυοίατο IV. 135, neque tamen satis causæ esse videtur, cur has formas pro futuris habeamus. Ceterum ex verbis in -ίζομαι hæ futuri medii formæ occurrunt: D. ἀνταγωνιευμένους (St. et Ab. V. 109), D. ἐναγωνιεῦμαι (St. et Ab. III. 83 cfr ἀγωνίσονται VIII. 26). — ἀνδραποδιεῖται (St. et Ab. VI. 17). ἐξανδραποδιεῦνται (St., Ab. VI. 9). -ιούμενοι (St., Ab. -εύμενοι I. 66); κομιεῖ (VII. 49. 2 sg. St. ed. 1866, -έαι Ab. ed. critica; St. ed. crit. et Ab. ed. commentariis instructa κομίζεαι), κομιεύμεθα (St. et Ab. VIII. 62). — ἐπισιτιεῖσθαι (St. Ab. -έεσθαι VII. 176. -εύμενοι (uterque IX. 50), ἀνασκολοπιεῖσθαι (St. III. 132 et IV. 53. Ab. utroque loco -έεσθαι). — χαριεῖ (St., Ab. -έαι I. 90. Ceterum St. -εῖσθαι I. 158. III. 38 -εῖσθε IV. 94 legit; Ab -έεσθαι έεσθε). — Futuri significatione etiam utitur ἀνιεῦνται ex ἀνιάω VII. 236 [1]); ad futuri vim prope accedunt ἐναντιευμένου VII. 49 et ἀντιεύμεθα IX. 26.

5. Futurum doricum apud Herodotum non occurrit nisi e verbo πίπτω πεσέεται VII. 163. 168. VIII. 130.

Futura media passivæ significationis hæc referantur: ἀνδραποδιεῖσθαι VI. 17. ἐξα. VI. 9 [2]). — ἄρξεσθαι III. 83. VII. 159. 162. IX. 122 posterioribus duobus locis activo ἄρχων, ἄρξων oppositum. — ἐλασσώσεσθαι VI. 11. — εὐνομήσεσθαι I. 97. — περιέψεσθαι II. 115. VII. 140. — ζημιώσεσθαι VII. 39. — μετήσεσθαι V. 35. — θύσεσθαι VII. 197 (bis). — ἐξοίσεσθαι VIII. 49. 76. — πολιορκήσεσθαι V. 34. VIII. 49. 70. IX. 58. 97. — ἀνασκολοπιεῖσθαι III. 132. IV. 43. — καταστήσεσθαι III. 143. — ἐπιτελέεσθαι VI. 140. — ὕσεσθαι II. 4. — διαφθερέεσθαι VIII. 108. IX. 42. — Contra V. 35 ἐπαιρεθήσεσθαι legendum videtur, ut est apud Steinium, Abichtium, Dietschium, Krugerum, non ἀπαιρήσεσθαι, ut vult Bæhrius, præsertim quum ceteris locis ἀπαιρήσομαι transitiva utatur significatione.

Verbi εἶναι et sæpissime simplex futurum ἔσομαι occurrit et composita ἐνέσομαι III. 72. παρέσομαι V. 19. VIII. 144. περιέσομαι III. 146. IX. 42. —

---

[1]) Cfr. Merzdorf ll. p. 193.

[2]) Contra in activa significatione I. 66.

Verbum εἶμι et composita, ut apud ceteros scriptores, ita apud Herodotum in indicativo futuri vim habent ut ἴμεν IX. 43. ἄνειμι VII. 239. ἐπάνειμι VII. 137. ἄπιμεν VII. 141. ἀπίασι VIII. 60γ. ἔξεισι VII. 197. ἐπέξιμεν VIII. 143. πάριμεν III. 72. — Impf. περιήιε = περιιέναι ἔμελλε II. 120. — Infinitivus de præsenti usurpatus videtur post νομίζω IV. 94 [1]).

III. Passiva futura in -ήσομαι et -θήσομαι raro occurrunt; nullum admodum sæpe reperitur; sunt autem in -ήσομαι: ἀπαλλαγήσομαι II. 120. — φανήσομαι IV. 97. VII. 218. VIII. 108. IX. 111. ἐπιφ. VIII. 49. — in -θήσομαι: αἱρεθήσομαι II. 13. ἀπαιρ. V. 35. — συνκεντηθήσομαι VI. 29. — διακριθήσομαι VII. 206. — συλλυπηθήσομαι VI. 39. — μνησθήσομαι VI. 19. ἐπιμν. II. 3.

IV. Futura III, (exacta): εἰρήσεται II. 35. IV. 16. 82. VI. 96δ. κατειρ. VI. 69. — μεμνήσομαι VIII. 62. — ἐμπεπρήσομαι (ex optimis libris) VI. 9. — τετιμωρήσομαι IX. 78, ubi τετιμωρήσεαι omnes legunt pro τετιμώρησαι, quod exstat in libris.

V. Futura circumscripta hæc sunt: τελεύμενα ἔσται I. 206. III. 134. — βεβουλευμένα ἔσται I. 112. — κείμενα ἔσται VI. 86α. — διαφυγὼν ἔσεσθαι VII. 194.

His de origine et formis futuri præmissis sequitur, ut jam ad usum hujus temporis apud Herodotum nos transferamus.

I.

Futuri Indicativus.

I. In *enuntiationibus primariis* ut apud ceteros, credo, rerum scriptores, ita apud Herodotum futuri temporis usus minus late patet quam ceterorum temporum, utpote quum hic scriptor magis in eo elaboraverit, ut res gestas memoriæ mandaret et terras, gentes, mores, res, quales ipsius temporibus essent, de-

[1]) Ceteris quoque locis infinitivus ἰέναι ita usurpatur, ut nullam habeat futuri significationem, ut post jubendi l. voluntatis verba et similia: I. 41. IV. 3. 118. V. 62. VI. 56. 58. 140, VII. 31. 39. 160. VIII. 137. IX. 2. 21. 41. 46. 51. 53, aut ita, ut imperfecto respondeat ἰδομένους τὸν καπνὸν ἰέναι IV. 196. — participium VI. 112 ὁρέοντες — ἐπιόντας, VII. 101 ἐπιόντα ἐμὲ ὑπομεῖναι, IX. 53 τοὺς προσιόντας et cet. locis imperfecto respondet. — Omnino apud scriptores Græcos inf. ἰέναι post dicendi et sentiendi verba futuri vim habet, si non imperfecto respondet; participium vero antecedente ὡς plerumque futuri utitur significatione, ceteris fere locis præsentis vel imperfecti.

scriberet, quam in iis, quæ ad futurum tempus pertinerent, versatus sit. Et sane satis difficile sit de enuntiationibus primariis certa quædam præcepta tradere, quibus potissimum locis Herodotus futuri tempore usus sit, vel ordine quodam locos illos disponere, ubi hæc verbi forma occurrit, quum præsertim omnibus hujus temporis vis et significatio una fere et eadem sit. Illud autem monendum censeo — quod ex ipsa re satis procedit — in sententiis primariis Herodotum futuri tempore in recta, quam dicunt, oratione potissimum usum esse vel illis locis ubi homines quosdam vel loquentes vel colloquentes inducat. Sunt tamen loci, ubi in ipsa narratione Herodotus futurum usurpaverit; cujus quidam usus duo sunt genera. De his igitur primum mentionem faciemus; postea illos locos indicabimus, ubi in orationibus vel colloquiis afferendis futurum adhibuit Herodotus.

A. Nonnumquam igitur in ipsa narratione Herodotus futurum indicativi (et quidem sæpissime primæ personæ) usurpat, quum aut a) ex una ad alteram narrationis partem transgreditur vel res quasdam narrationi interponit aut b) ad ea, quæ in sequentibus allaturus est, legentes vel audientes delegat aut — id quod nonnumquam fit — c) res quasdam se non aperturum esse indicat. Hæc verba et locutiones, quas talibus locis adhibet, afferentes etiam illos locos, ubi in enuntiationibus relativis occurrunt, indicabimus et uncis interclusos illos, ubi hæ locutiones in oratione recta, quam dicunt, usurpantur.

a) *ἀναβήσομαι* IV. 82. *προβήσομαι* I. 5. — *κατὰ ταῦτα γράψω* I. 95. — *δηλώσω* I. 192. IV. 36. 81. 99. — *ἐρέω, θωῦμα μέγιστον ἐρέω* IV. 129, *μέγιστον θωῦμα ἐρέω* VI. 43, (*κατερέω* III. 72), (*ἐρέομεν* IV. 118), *εἰρήσεται* II. 35. IV. 16. 82 (VI. 86), (*κατειρήσεται* VI. 69). — *προσέσται δέ τι* — — *τῆς ἐμῆς ὄψιος* II. 99 et 147. — *παρήσομεν* (obs. plur.), *τοῦτον μὲν παρήσομεν τοσαῦτα ἐπιμνησθέντες* I. 14, *τὰ μέν νυν αὐτῶν πλέω παρήσομεν* I. 177. — *ἀπηγήσομαι* rel. en. I. 185. IV. 38. 145. — (*ἀντιθήσω* I. 207. VIII. 66), *προσθήσω* VII. 184 (bis). — *λέξω* IV. 14 (VIII. 140). — *λόγον ποιήσομαι* II. 153. — *ἐπιμνήσομαι* I. 5. — *ἐπιμνησθήσομαι* II. 3. — *μνήμην ποιήσομαι* I. 15. II. 102. VI. 54. — *νομιοῦμεν* (obs. plur.) II. 17. — *οὐνομανέω* IV. 47. — *σημανέω* (I. 209). II. 9. III. 37. IV. 127. V. 54. — (*οὐκ ἐπισχήσω* VII. 139). — *φήσω*: *οὐ γὰρ φήσω, οὐ μὲν οὐδὲ φήσω* II. 49. — *φράσω* II. 14. 24. 147. 155. III. 6. 103. V. 65. 111. VIII. 55 (68β) en. rel. II. 51. 156. — *χρησόμεθα* (obs. plur.) IV. 45. VIII. 85 (VII. 13. 16γ). — *ἄνειμι* VII. 239, *ἐπάνειμι* VII. 137.

b) ἐν τοῖσι ὄπισθε λόγοισι ἀποδέξω V. 22. — ὕστερον δηλώσω II. 101. ἐν ἑτέροισι λόγοισι δηλώσω I. 106. — τὰ ἐγὼ ἐν ἄλλῳ λόγῳ ἐρέω II. 38. — ἀπηγήσομαι: ἀπὸ προφάσιος, τὴν ἐγὼ μεζόνως μὲν ἐν τοῖσι Λιβυκοῖσι λόγοισι ἀπηγήσομαι, μετρίως δ'ἐν τῷ παρεόντι IV. 145 (vide supra). — ἐπιμνήσομαι en. rel. II. 101. — μνησθήσομαι: τὸ μέν νυν ἐς τοὺς Ἀργείους ἔχον, ἐπεὰν κατὰ τοῦτο γένωμαι τοῦ λόγου, τότε μνησθήσομαι VI. 19. — μνήμην ποιήσομαι. en. rel. βασιλέες τῶν ἐν τοῖσι Ἀσσυρίοισι λόγοισι μνήμην ποιήσομαι I. 184. — σημανέω: en. rel. δι' αἰτίην τὴν ἐγὼ ἐν τοῖσι ὀπίσω λόγοισι σημανέω I. 75, τὸν ἐγὼ ἐν ἄλλῳ λόγῳ σημανέω, ὡς ἐγένετο VI. 39, σκευὴν τὴν ἐγὼ, ἐπεὰν κατὰ τὴν Κιλίκων τάξιν διεξιὼν γένωμαι, τότε σημανέω VII. 77, τὴν ἐγὼ ἐν τοῖσι ὄπισθε λόγοισι σημανέω VII. 213.

c) I. 51. ἐπέγραψε τῶν τις Δελφῶν — — τοῦ ἐπιστάμενος τὸ οὔνομα οὐκ ἐπιμνήσομαι. — I. 193 ἐξεπιστάμενος μνήμην οὐ ποιήσομαι — cfr VI. 55, — ἄλλοισι γὰρ περὶ αὐτῶν εἴρηται, ἐάσομεν αὐτά.

Quum hic, quem nunc commemoravimus, futuri usus omnibus fere rerum scriptoribus communis est, alter, de quo jam mentionem faciemus, quum futuri indicativus II personæ in spatiis viarum et situ locorum indicandis usurpatur, Herodoto videtur magis esse proprius. Cujus usus causam recte Kruger explicare videtur, quum dicit [1]) Herodotum futuro uti, propterea quod iis, qui illos locos peragraturi sint, quasi viam monstret, idque eo meliore jure, si considerabimus, Herodotum in concione hominum ad ludos publicos concelebrandos undique confluentium historiam suam recitasse. Neque tamen negari potest hunc personæ II usum ab illo prope abesse, quum in lingua latina conjunctivus, in Græca indicativus cum ἄν temporis præteriti vel optativus cum ἄν occurrit, ita ut non certum quendam hominem, sed omnes, qui audiunt vel legunt, respiciat oratio (*dixeris, diceres*, φαίης ἄν, εἶπες ἄν). — Mirum sane est, quod Kühner [2]) hunc futuri usum cum illo comparat, qui in jussis vel imperiis indicandis occurrit. Quam-

[1]) Kr. Gr. Gr. Dial. § 53. 7. Anm. 2. Die zweite Person des Singulars des Futurs gebraucht Herodot bei itinerarischen Angaben, als wenn er einen künftigen Besucher zurechtwiese. Cfr. I. 53. 10. An. 4.

[2]) Kühner, Gr. Gr. § 387. 5. Endlich kann das Futur im Indikativ auch von einem Befehle gebraucht werden, da das, was ich einen Andern thun heisze, in der Zukunft liegt. Der Redende nimmt an oder erwartet mit Zuversicht, dasz der Angeredete das von ihm Verlangte thun wird. Das Futur ist daher eine mildere Ausdrucksweise für den Imperativ. — Mit diesem Gebrauche des Futurs hängt der dem Herodot eigenthümliche bei Reiseangaben zusammen, indem er sich mit der II Person an den Reisenden wendet. — Citat Kr. II. 53. 7. 2. Hic autem usus ad illud, quod § 387. 2 vel. 3 tractatur, referri oportuit.

quam enim hic uterque futuri usus ex eo explicandus est, quod, ut fiat aliquid, exspectatur, tamen in hoc de spatiis viarum et situ locorum usu nihil inesse videtur, quod ad jussum pertineat. — Ita autem futuri persona II verborum motum significantium usurpatur compluribus locis II. 29. — — καὶ ἔπειτα ἀπίξεαι ἐς πεδίον λεῖον. — — τὴν (λίμνην) διεκπλώσας ἐς τοῦ Νείλου τὸ ῥέεθρον ἥξεις — — — — καὶ ἔπειτα ἀποβὰς παρὰ τὸν ποταμὸν ὁδοιπορίην ποιήσεαι ἡμερέων τεσσεράκοντα — — αὖθις ἐς ἕτερον πλοῖον ἐσβὰς δυώδεκα ἡμέρας πλεύσεαι, καὶ ἔπειτα ἥξεις ἐς πόλιν μεγάλην. — II. 30, ἐν ἴσῳ χρόνῳ ἄλλῳ ἥξεις ἐς τοὺς αὐτομόλους. — II. 97, ἐς δὲ Ναύκρατιν — πλέων ἥξεις καὶ Ἄνθυλλαν τε κ. τ. λ. V. 52, ἐπὶ δὲ τοῖσι τούτων οὔρεσι διξάς τε πύλας διεξελᾷς καὶ διξὰ φυλακτήρια παραμείψεαι. — In habitu locorum describendo Herodotus etiam versatur II. 5 πρῶτα μὲν προσπλέων ἔτι καὶ ἡμέρης δρόμον ἀπέχων ἀπὸ γῆς, κατεὶς καταπειρητηρίην πηλόν τε ἀνοίσεις καὶ ἐν ἕνδεκα ὀργυιῇσι ἔσεαι, et IV. 28 ἐν τοῖσι ὕδωρ ἐκχέας πηλὸν οὐ ποιήσεις, πῦρ δὲ ἀνακαίων ποιήσεις πηλόν.

Atque eadem causa fuisse videtur, cur Herodotus de iis, quæ accidere solerent, futurum usurparet [1]), ut audientes vel legentes quasi præmoneret, quo modo res quasdam se habere reperturi essent, si inspiciendi facultas iis data esset. Quæ enim aut accidere aut aliquo in statu esse soleant, ea etiam tunc, si quis, rectene relatum sit, investiget, aut eventura esse aut in eodem statu futura, aliquis suo jure dixerit. Ita persona II usurpatur I. 139. τὰ οὐνόματα — — πάντα ἐς τωὐτὸ γράμμα — — τελέουσι — —· ἐς τοῦτο διζήμενος εὑρήσεις τελευτέοντα τῶν Περσέων τὰ οὐνόματα —· et I. 199 — — καὶ τὠπὸ τούτου οὐκ οὕτω μέγα τί οἱ δώσεις, ὥς μιν λάμψεαι. Persona III sæpius occurrit I. 173 εἰρομένου δὲ ἑτέρου τὸν πλησίον τίς ἐστι (Kr.), καταλέξει ἑωυτὸν μητρόθεν καὶ τῆς μητρὸς ἀνανεμέεται τὰς μητέρας. — I. 198 ὄρθρου δὲ γενομένου λοῦνται καὶ ἀμφότεροι· ἄγγεος γὰρ οὐδενὸς ἅψονται πρὶν ἂν λούσωνται. — II. 39 οὐδὲ ἄλλου οὐδενὸς ἐμψύχου κεφαλῆς γεύσεται Αἰγυπτίων οὐδείς. — II. 41, τῶν εἵνεκα οὔτε ἀνὴρ Αἰγύπτιος οὔτε γυνὴ ἄνδρα Ἕλληνα φιλήσειε ἂν τῷ στόματι, οὐδὲ μαχαίρῃ ἀνδρὸς Ἕλληνος χρήσεται οὐδὲ ὀβελοῖσι οὐδὲ λέβητι, οὐδὲ κρέως καθαροῦ βοὸς διατετμημένου Ἑλληνικῇ μαχαίρῃ γεύσεται. — IV. 74 ὃς δὲ μὴ εἶδέ κω τὴν καν-

---

[1]) Kr. l. l.: ähnlich die dritte (Person) von regelmäszig Vorkommendem. Observandum tamen fuerit etiam personam II ita usurpari. — Kuhner § 387. 3: Oft wird Futurum nur als ein feinerer und bescheidnerer Ausdruch *des Gegenwärtigen* gebraucht, in dem dasselbe nicht als ein wirklich Bestehendes, sondern als ein bloss unter gewissen Bedingungen in der Gegenwart Mögliches gesetzt wird.

ναβίδα, λίνεον δοκήσει εἶναι τὸ εἷμα. — Hic unus locus commemorandus videtur, ubi in enuntiatione relativa ex nonnullis codicibus Dietschius, Abichtius, alii futurum legunt I. 216, τῆς γὰρ ἐπιθυμήσει γυναικὸς Μασσαγέτης ἀνὴρ, τὸν φαρετρεῶνα ἀποκρεμάσας πρὸ τῆς ἁμάξης μίσγεται ἀδεῶς, ubi Abichtius statuit futurum eodem modo atque c. 198 ἅψονται adhiberi. Quum tamen hoc loco futuri usus ad explicandum satis sit difficilis, præsertim quum in enuntiatione primaria præsens occurrat, conjunctivus autem sine particula ἄν in sententiis relativis apud Herodotum nonnumquam usurpetur, melius et tutius videtur ἐπιθυμήσῃ legere [1]).

B. Jam ad eos locos transgrediamur, ubi in oratione recta, in orationibus, colloquiis, interrogationibus futurum usurpatur. — Atque hic primum moneamus, apud Herodotum sæpe fieri, ut enuntiationem illam, in qua futurum occurrit, antecedat imperativus quidam aut conjunctivus hortativus vel jussivus aut alia quædam locutio ejusdem fere significationis. Sententia autem illa, in qua futurum usurpatur et cui enuntiatio conjunctionalis vel participialis constructio sæpe subjuncta est, cum imperativo vel conjunctivo antecedente conjunctione quadam plerumque copulatur, ut

a) καί, his locis imperativus ille vel conjunctivus idem fere valet atque enuntiatio condicionatis, I. 89 κάθισον — οἱ λεγόντων —· καὶ σύ τέ σφι οὐκ ἀπεχθήσεαι — — καὶ ἐκεῖνοι — ἑκόντες] προήσουσι. — 97 φέρε στήσωμεν — βασιλέα· καὶ οὕτω ἥ τε χώρη εὐνομήσεται καὶ αὐτοὶ πρὸς ἔργα τρεψόμεθα. 112 (καὶ οὕτω). 124. 155 κέλευε — πρόειπε —. καὶ ταχέως — ὄψεαι —. III. 145. IV. 10 (καὶ ταῦτα ποιέουσα). — 79 ἕπεσθε, καὶ ὑμῖν ἐγὼ δέξω. — 127 φέρετε πειρᾶσθε καὶ γνώσεσθε; V. 31 (καὶ ταῦτα ποιήσαντι —), 39 τὴν μὲν ἔχεις γυναῖκα ἔξες, ἄλλην δὲ γῆμον, καὶ ποιέων ταῦτα, ἁδήσεις —.

b) γάρ, I. 9 θάρσεε Γύγη καὶ μὴ φοβέο μητ' ἐμεῦ — —· ἀρχὴν γὰρ ἐγὼ μηχανήσομαι κ. τ. λ. 71. 120. 207. II. 78 πῖνέ τε καὶ τέρπεο· ἔσεαι γὰρ ἀποθανὼν τοιοῦτος. III. 71. 81. 134. 155 (IV. 45). VII. 29. 150. VIII. 65 σίγα καὶ μηδενὶ — εἴπῃς· ἢν γὰρ — — ἀνενειχθῇ — ἀποβαλέεις τὴν κεφαλὴν — δυνήσομαι. 80. IX. 18. 89. 98.

c) δέ, I. 121 νῦν ἴθι χαίρων — — πομποὺς δ'ἐγὼ συμπέμψω· ἐλθὼν δ'ἐκεῖ εὑρήσεις —. 212. III. 122. IV. 98. 114. 136. V. 19. VII. 8δ. 16. 29. 235 (bis). VIII. 62. 65 ἀλλ' ἔχ' ἥσυχος, περὶ δὲ στρατιῆς τῆσδε θεοῖσι μελήσει; 80. IX. 2 πέμπε — — πέμπων δὲ διαστήσεις —.

---

[1]) Conjunctivus sine ἄν etiam occurrit II. 85. IV. 45. 66.

d) ἤ, VII. 142 ὦναξ χρῆσον ἡμῖν ἄμεινόν τι — —· ἢ οὔτοι ἄπιμεν — ἀλλ' αὐτοῦ — μενέομεν —.

e) οὔκων I. 206 βασίλευε τῶν σεαυτοῦ καὶ ἡμέας ἀνέχευ ὁρέων ἄρχοντας τῶνπερ ἄρχομεν· οὔκων ἐθελήσεις — —· σὺ δὲ εἰ — — — φέρε ἄπες —. IV. 118 μηδενὶ τρόπῳ — — περιίδητε — —. οὔκων ποιήσετε ταῦτα· ἡμεῖς μὲν πιεζόμενοι ἢ ἐκλείψομεν τὴν χώρην ἢ μένοντες ὁμολογίῃ χρησόμεθα. — V. 92η. ἐπιμαρτυρόμεθα — — μὴ κατιστάναι τυραννίδας ἐς τὰς πόλεις. οὔκων παύσεσθε ἀλλὰ πειρήσεσθε παρὰ τὸ δίκαιον κατάγοντες Ἱππίην· ἴστε ὑμῖν Κορινθίους γε οὐ συναινέοντας.

f) εἰ δὲ μή, IV. 163: εἰ δὲ ἐξοπτήσεις τὴν κάμινον, μὴ ἐσέλθῃς ἐς τὴν ἀμφίρρυτον· εἰ δὲ μή, ἀποθανέαι καὶ αὐτὸς καὶ ταῦρος ὁ καλλιστεύων. — Huc referri posse videtur VIII. 62 σὺ εἰ μενέεις αὐτοῦ καὶ μένων ἔσεαι ἀνὴρ ἀγαθός· εἰ δὲ μή, ἀνατρέψεις τὴν Ἑλλάδα, ubi verba illa antecedentia εἰ μενέεις και ἔσεαι prope ad cohortationem accedere videntur.

Jam ceteros locos afferamus, ubi singulæ futuri indicativi personæ in recta oratione occurrunt, et quum plurimis locis sententia illa primaria, cujus verbum in futuro tempore positum est, enuntiatione relativa vel conditionali vel constructione participiali determinetur, non alienum nobis visum est illas constructiones parenthesis signis interclusas indicare. Occurrit autem:

Persona I: I. 9. 36 (bis). 109 (bis — post εἰ). 116. 214. II. 115 (ἐπειδή). III. 3 (τοιγὰρ — ἐπεάν). 81. 83. 147 (en. rel.). 155 (ἢν bis). IV. 3 (part.). 97 (μέντοι). 119 (ter οὔτε — μέντοι — μέχρι δ'ἂν ἴδωμεν) 127 (bis — ἤν) 139. V. 30. 91 (ἐπείτε) 109. VI. 86β. 107 (οὐδὲ). 139 (ἐπεὰν). VII. 8α (bis). 8γ (bis — εἰ) 8δ (ὃς δ'ἂν) 11 (ἄνευ — σέο). 13 (μέντοι). 28 (ter). 29. 50 (bis — part. — τῶν ἄν). 150 (ἢν γάρ). 158 (part.). 160 (ἐπείτε). 161 (bis, uno loco οὐδ' ἤν). 172. 237. VIII. 60β (part. et ἤν). 60γ. 62 (65). (140β). 143 (bis, ἀλλ' ὅμως μήτε σὺ ἡμέας πειρῶ ἀναπείθειν, οὔτε ἡμεῖς πεισόμεθα. 144 (bis — μέντοι — ἐπειδάν). IX. 7α. 11 (part.). 27. 42 (primum ἐπεὶ — ἀλλ' sq. fut.; deinde tria futura antecedente participio). 87 (εἰ). 111 (μέντοι). 120.

Persona II: I. 35 (part.). 90 (bis; uno loco part.). 124 (ἤν). III. 29 (οὐ χαίροντες). 151 (τότε — ἐπεάν). IV. 132 (ἢν μή). 133 (part.) (163). V. 31 (bis). VI. 11 (ἤν). VII. 14 (ὡς — οὕτω). 17. 39 (ter — ὅτε — ἐπείτε — δὲ). 234. 236 (εἰ). VIII. 57. 60α (ter — uno loco part.). 60β (ter — ἢν — part.). 62 (μεμνήσεσθε). 68β. 75. 100 (οὐδὲν γὰρ ἐν Πέρσῃσί τοι δεδήληται τῶν πρηγμάτων, οὐδ' ἐρέεις, ὅκου ἐγενόμεθα ἄνδρες κακοί). IX. 2 (bis — uno loco εἰ).

11. 16. 78 *Μαρδόνιον ἀνασκολοπίσας τετιμωρήσεαι ἐς πάτρων τὸν σὸν Λεωνίδην*. 111.

His autem locis futurum a significatione imperativi non multum abesse videtur III. 122 *σύ νυν ὧδε ποιήσας ὀρθώσεις μὲν σεωυτόν, σώσεις δὲ καὶ ἐμέ*; V. 20 *τούτου μὲν πέρι αὐτοὶ ἀποσημανέετε*. VIII. 5 *οὐ σύ γε ἡμέας ἀπολείψεις, ἐπεὶ — δώσω*. 102 *σὺ δέ, τῶν εἵνεκα τὸν στόλον ἐποιήσαο, πυρώσας τὰς Ἀθήνας ἀπελᾷς*.

Persona III: I. 9 (ter). 11 (bis). 124 (*γάρ*). 128 (*οὐδ' ὥς*) 155. III. 35 (*εἰ* opt.). 62 (*εἰ δ'ἔστι ὥσπερ πρὸ τοῦ, οὐ μή τί τοι ἔκ γε ἐκείνου νεώτερον ἀναβλαστήσει*, quo uno loco *οὐ μὴ* cum futuro conjunctum apud Herodotum occurrit; cum conjunctivo I. 199 *τὸ δὲ ἀργύριον μέγαθός ἐστι ὅσονῶν· οὐ γὰρ μὴ ἀπώσηται* et VII. 53 *ἐπ' ἄνδρας στρατευόμεθα ἀγαθούς, τῶν ἢν κρατήσωμεν, οὐ μή τις ἡμῖν ἄλλος στρατὸς ἀντιστῇ κοτε ἀνθρώπων*). 72 (*ἡμέων ἐόντων τοιῶνδε οὐδεὶς ὅστις οὐ παρήσει*). 72 fin. (*ὃς ἄν*). 134 (*ἔσται — τελεόμενα*). IV. 3 (part.). 118 (bis — *δὲ* — *οὐδὲ*). V. 18 (*ἐπείτε*). 31. 51 (*ἢν μή*). 91. 92*α* (*ἦ δὴ ὅ τε οὐρανὸς ἔσται ἔνερθε τῆς γῆς, καὶ ἡ γῆ μετέωρος ὑπὲρ τοῦ οὐρανοῦ, καὶ ἄνθρωποι νομὸν ἐν θαλάσσῃ ἕξουσι καὶ ἰχθύες τὸν πρότερον ἄνθρωποι, ὅτε γε ὑμεῖς — — — τυραννίδας ἐς τὰς πόλις κατάγειν παρασκευάζεσθε*.). 98. VI. 11 (*ἤν*). 69 (*ἐπείτε*). 109 (*ἤν*). VII. 8*γ* (bis). 8*δ*. 11. 14 (*ἤνπερ μή*). 15 (*εἰ ὦν*). 35 (*ἤν τε — ἤν τε μή*). 102 (*ἤν τε — ἤν τε*). 235 (bis — part. genit. — part. dat.) 236. VIII. 57 (bis). 60*α*. 60*γ* (quater — *ἢν δὲ*). 65 (bis *ἤν*). 75. 100. 102 (*ἤν* bis). 114 (*τοι γάρ*). 144. IX. 11 (part. cum *ὡς*). 58. 111.

In interrogationibus directis perrarus est apud Herodotum futuri usus; occurrit tamen:

Persona I: I. 37 *κοῖος μέν τις τοῖσι πολιήτῃσι δόξω εἶναι; κοῖος δέ τις τῇ νεογάμῳ γυναικί — —*; III. 137 — *ἐπὶ τίνα δὲ τῇσδε προτέρην στρατευσόμεθα πόλιν; τίνα δὲ προτέρην ἀνδραποδίζεσθαι πειρησόμεθα*; His autem locis ad conjunctivi dubitativi vel deliberativi significationem propius accedere videtur, VII. 234 *Δημάρατε, τέῳ τρόπῳ ἀπονητότατα τῶν ἀνδρῶν τούτων ἐπικρατήσομεν;* et III. 72, ubi in enuntiatione relativa fut. occurrit, *φυλακὰς — διεστεώσας οἶδας — —· τὰς τέῳ τρόπῳ περήσομεν;*

Persona II: I. 71 *τοῦτο μὲν δὴ εἰ νικήσεις, τί σφεας ἀπαιρήσεαι, τοῖσί γε μὴ ἔστι μηδέν; —* V. 49 *παρέχον δὲ τῆς Ἀσίης πάσης ἄρχειν εὐπετέως, ἄλλο τι αἱρήσεσθε; —* VII. 103 *σὺ ὦν ἐθελήσεις αὐτίκα μάλα πρὸς ἄνδρας δέκα μάχεσθαι; —* IX. 58 *ὦ παῖδες Ἀλεύεω, ἔτι τί λέξετε τάδε ὁρέοντες ἔρημα;*

Persona III: I. 37 — *κοίῳ δὲ ἐκείνῃ δόξει ἀνδρὶ συνοικέειν;* — 155 *Κροῖσε, τί ἔσται τέλος τῶν γενομένων τούτων ἐμοί;* — II. 14 *εἴ σφι θέλοι — — ἡ χώρη — — ἐς ὕψος αὐξάνεσθαι, ἄλλο τι ἢ οἱ ταύτῃ οἰκέοντες Αἰγυπτίων πεινήσουσι — —;* III. 73 *ἡμῖν κότε κάλλιον παρέξει ἀνασώσασθαι τὴν ἀρχήν —;* — 137 *κῶς ταῦτα βασιλέι Δαρείῳ ἐκχρήσει περιυβρίσθαι; κῶς δὲ ὑμῖν τὰ ποιεύμενα ἕξει καλῶς;* 155 *τί δ', ὦ μάταιε, λελωβημένου σεῦ θᾶσσον οἱ πολέμιοι παραστήσονται;* IX. 122 *κότε γὰρ δὴ παρέξει κάλλιον ἢ ὅτε γε — — —;*

II. Inter illas *enuntiationes secundarias*, in quibus futuri indicativus usurpatur, primas enuntiationes explicativas a particulis *ὡς*, *ὅτι,* (*ὅκως*) vel a voce interrogativa proficiscentes afferemus, in quibus, ut in aliis quibusdam enuntiationibus, Herodotus tum primario, tum secundario tempore antecedente futuri indicativo utitur.

Post *ὡς* fut. ind. occurrit a) a tempore primario pendens I. 34 *τοῦτον δὴ ὤν τὸν Ἄτυν σημαίνει* (pr. hist.) *τῷ Κροίσῳ ὁ ὄνειρος, ὡς ἀπολέει μιν — —.* II. 13. VI. 9 *προισχόμενοι δὲ ἐπαγγείλασθε τάδε, ὡς πείσονταί τε ἄχαρι οὐδὲν διὰ τὴν ἀπόστασιν, οὐδέ σφι οὔτε τὰ ἱρὰ οὔτε τὰ ἴδια ἐμπεπρήσεται, οὐδὲ βιαιότερον ἕξουσι ἢ πρότερον εἶχον,* et infra — — *τάδε — σφι λέγετε ἐπηρεάζοντες, τά πέρ σφεας κατέξει, ὡς — ἐξανδραποδιεῦνται, καὶ ὡς — — ποιήσομεν — — καὶ ὡς — παραδώσομεν.* VII. 102. 157 *μὴ γὰρ ἐλπίσῃς, ἢν ἡμέας καταστρέψηται ο Πέρσης —, ὡς οὐκὶ ἥξει παρὰ σέ γε —.* — b) post tempus secundarium 1) persona II: IX. 48 *προσδεκόμενοι γὰρ — — ὡς δὴ πέμψετε — εὕρομεν.* — 2) persona III in oratione recta respondens *α*) pers. I: II. 121*γ*. *διαπειλέειν, ὡς ἐλθοῦσα μηνύσει αὐτόν* (141 *ὡς* = *quod;* in iis autem quæ sequuntur, *πέμψειν* legendum videtur pro *πέμψει*, quod est in Steinii editione critica). III. 61. 148. IV. 95 — — *ἀναδιδάσκειν, ὡς οὔτε αὐτὸς οὔτε οἱ συμπόται αὐτοῦ οὔτε οἱ ἐκ τούτων αἰεὶ γιγνόμενοι ἀποθανέονται, ἀλλ' ἥξουσι —.* 139. 158. V. 30. VI. 17. VII. 168 — — *φράζοντες, ὡς οὐ — περιοπτέη ἐστὶ — — ἢν γὰρ σφαλῇ, σφεῖς γε οὐδὲν ἄλλο ἢ δουλεύσουσι.* — VIII. 49. 100. 112. IX. 33. — *β*) pers. II: II. 111 *ἀπικέσθαι οἱ μαντήιον, ὡς ἐξήκει τέ οἱ ὁ χρόνος καὶ ἀναβλέψει.* — 121*α* *δοῦναι τὰ μέτρα — λέγοντα, ὡς — — ἔσονται.* 141. IV. 125. — *γ*) pers. III: I. 13 *τοσόνδε μέντοι εἶπεν ἡ Πυθίη, ὡς Ἡρακλείδῃσι τίσις ἥξει —.* — 84 *Τελμησσέων δικασάντων, ὡς περιενεχθέντος τοῦ λέοντος τὸ τεῖχος ἔσονται αἱ Σάρδιες ἀνάλωτοι.* II. 152 *ἦλθε χρησμός, ὡς τίσις ἥξει.* III. 69. 143. 148. IV. 155. V. 105. VI. 13. 61. 86*α*. VII. 148. VIII. 3. 10. 60. IX. 17. 42. 90 (*ὡς* — — *καὶ ὡς*).

Post ὅτι a) a tempore primario pendens I. 207 δῆλα γὰρ δή, ὅτι νικέοντες Μασσαγέται οὐ τὸ ὀπίσω φεύξονται, ἀλλ' ἐπ' ἀρχὰς τὰς σὰς ἐλῶσι et paulo infra τὠυτὸ γὰρ ἀντιθήσω ἐκείνῳ, ὅτι νικήσας τοὺς ἀντιουμένους ἐλᾷς ἰθὺ τῆς ἀρχῆς τῆς Τομύριος. III. 71 ἐπίστασθε, ὅτι ἀπολέεσθε κάκιστα. VII. 11. VIII. 79. 144. — b) post tempus secundarium 1) persona I: VII. 104 ἀρχῆθεν ἠπιστάμην, ὅτι ἀληθείῃ χρεόμενος οὐ φίλα τοι ἐρέω. IX. 7β. ἐπείτε ἐξεμάθετε τὸ ἡμέτερον φρόνημα σαφέως, ὅτι οὐδαμὰ προδώσομεν τὴν Ἑλλάδα. — 2) persona III: α) personæ I or. rectæ respondens I. 3 ἐθελῆσαι — — ἐπιστάμενον πάντως, ὅτι οὐ δώσει δίκας; 127 ἐκέλευε τὸν ἄγγελον ἀπαγγέλλειν, ὅτι πρότερον ἥξει (si Abichtium et Dietschium sequimur) [1]) παρ' ἐκεῖνον ἢ Ἀστυάγης αὐτὸς βουλήσεται. 156. VI. 82 μαθεῖν δὲ αὐτὸς οὕτω τὴν ἀτρεκείην, ὅτι οὐκ αἱρέει τὸ Ἄργος. VIII. 109. IX. 89. — β) personæ III: VII. 150. 177.

Duobus locis factum est, ut duæ illæ particulæ ὅτι et ὡς, interposita enuntiatione secundaria, anacoluthice una occurrerent III. 71 ἢ ἴστε ὑμῖν ὅτι ἢν ὑπερπέσῃ ἡ νῦν ἡμέρη, ὡς οὐκ ἄλλος φθὰς ἐμεῦ κατήγορος ἔσται, ἀλλὰ κατερέω —. — IX. 6 — — προεῖπαί τε, ὅτι εἰ μὴ ἀμυνέουσι Ἀθηναίοισι, ὡς καὶ αὐτοί τινα ἀλεωρὴν εὑρήσονται.

De ὅκως vide infra.

In interrogationibus obliquis futurum usurpatur non solum illis locis, ubi, quid futurum sit, interrogatur sed etiam in interrogationibus dubitativis. Sunt autem enuntiationes quædam secundariæ, a relativa voce proficiscentes, quæ re vera interrogationes obliquæ sint; de aliis autem dubitari potest, utrum relativæ an interrogativæ existimandæ sint; quas quum in commentatione nostra *de modis atque temporibus orationis obliquæ apud Herodotum* eodem loco atque interrogationes obliquas tractare necesse esset, quod in illa commentatione nullam de relativis sententiis, quæ non ad orationem obliquam pertinent, fecimus mentionem, in hac commentatiuncula in relativis sententiis tractandis afferemus.

In interrogationibus de eo, quod futurum sit, futurum occurrit: 1) post tempus primarium, pers. I: IV. 127 γνώσεσθε τότε, εἴτε ὑμῖν μαχησόμεθα — εἴτε καὶ οὐ μαχησόμεθα. — pers. III: I. 32 σκοπέειν δὲ χρὴ παντὸς χρήματος τὴν τελευτήν, κῇ ἀποβήσεται. — 206 οὐ γὰρ ἂν εἰδείης, εἰ — — ἔσται ταῦτα τελεόμενα. II. 82 ἐξευρημένα — — τῇ ἕκαστος ἡμέρῃ γενόμενος ὁτέοισι ἐγκυρήσει καὶ ὅκως τελευτήσει καὶ ὁκοῖός τις ἔσται. 114. V. 12 (pr. hist.). VII. 16β. VIII. 79. — 2) post

---

[1]) Steinius, Krüger, Flemmer, Lhardyus, Johanssonius ἥξοι legunt, quæ lectio cum codicibus magis quam cum Herodotea scribendi consuetudine congruere videtur. Cfr I. 13. II. 152.

tempus secundarium, respondens pers. I: V. 43 ἐς Δελφοὺς οἴχετο χρησόμενος τῷ χρηστηρίῳ, εἰ αἱρέει ἐπ' ἣν στέλλεται χώρην [1]. — pers. III: I. 55 ἐπειρώτα δὲ τάδε χρηστηριαζόμενος εἴ οἱ πολυχρόνιος ἔσται ἡ μουναρχίη. 86. II. 2. 3. 15 οὐδὲ ἔδεέ σφεας ἐς διάπειραν ἰέναι, τίνα γλῶσσαν πρώτην ἀπήσουσι. VI. 138. VII. 147 ἑτοῖμοι αἱρέειν αὐτά, ἐσβλέποντες ἐς τὸν βασιλέα, ὁπότε παραγγελέει. 205. 209. VII. 67. 101 βουλευσάμενος ἔφη ὑποκρινέεσθαι, ὁκότερον ποιήσει τούτων. 130. IX. 13.

In interrogationibus dubitativis: 1) post tempus primarium: I. 11 φέρε ἀκούσω, τέῳ καὶ τρόπῳ ἐπιχειρήσομεν αὐτῷ. III. 72 ἴθι ἐξηγέο αὐτός, ὅτεῳ τρόπῳ πάριμεν ἐς τὰ βασιλήια καὶ ἐπιχειρήσομεν αὐτῷ. — 2) post tempus secundarium: I. 98 προβαλλομένων, ὅντινα στήσονται βασιλέα, ὁ Δηιόκης ἦν — — — καὶ προβαλλόμενος καὶ αἰνεόμενος. 135 ὁ Κῦρος ἐφρόντιζε, ὅτεῳ τρόπῳ σοφοτάτῳ Πέρσας ἀναπείσει ἀπίστασθαι. III. 84 ἐβουλεύοντο, ὡς βασιλέα δικαιότατα στήσονται. VI. 135 ἔπεμπον ἐπειρησομένους, εἰ καταχρήσονται τὴν ὑποζάκορον, ubi tamen Steinius καταχρήσωνται legit. VI. 86. γ Bæhrius legit ἐπειρωτέοντα, εἰ ληίσεται, recentiores editores ληίσηται. Etiam alii nonnulli sunt loci, ubi in interrogationibus dubitativis codex unus alterve futurum præbeat, ut: VII. 213 ἀπορέοντος ὅτι χρήσεται R. VIII. 36 ἐμαντεύοντο — εἴτε κατορύξουσι εἴτε ἐκκομίσουσι Rz. VIII. 135 οὐδὲ ἔχειν ὅτι χρήσονται τῷ παρεόντι πρήγματι; sed his locis tutius videtur conjunctivum servare.

Enuntiationes explicativas proxime subsequantur illæ, quæ a particula ὅκως incipiunt. Hæc autem particula, quæ, si propriam ejus vim et originem inspicimus, relativa vel interrogativa esse videtur atque ad ὡς eandem quam ὅστις ad ὅς, ὁπόσος ad ὅσος rationem habere — nam ὡς quoque re vera nihil aliud fuisse videtur, nisi particula relativa, quamquam postea mutata est significatio — apud Herodotum non paucis locis cum futuro tempore conjungitur, quos jam afferemus.

Hanc igitur particulam Herodotus nonnullis locis eodem modo adhibet, quo modo in enuntiationibus explicativis particulæ ὡς et ὅτι usurpantur, semper fere antecedente negatione, — et quidem cum futuro his locis III. 62 οὐκ ἔστι ταῦτα ἀληθέα, ὅκως — — — οὐδὲ ὅκως τι ἐξ ἐκείνου τοῦ ἀνδρὸς νεῖκός τοι ἔσται. VII. 159 τούτου τοῦ λόγου μηκέτι μνησθῇς ὅκως τὴν ἡγεμονίην τοι παραδώσομεν. 161 σὺ δὲ ὅκως μὲν στρατιὴν πέμψεις, μὴ ἡγεόμενος — — οὐ προφαίνεις.

---

[1]) Cobetius quidem censet h. l. αἱρέῃ legendum esse; sed hic tamen conjunctivus usurpari posse vix videtur. Miro sane modo Bæhrius dubitativos conjunctivos et explicare et latine reddere videtur; quem vide ad h. l.

In interrogationibus obliquis *ὅκως* his locis cum futuro occurrit: I. 75 *ἀπορέοντος Κροίσου, ὅκως οἱ διηβήσεται τὸν ποταμὸν ὁ στρατός* (dubitat.). II. 82 *ἐξευρημένα — — — — ὅκως τελευτήσει.* III. 4 *ἀπορέοντος τὴν ἔλασιν, ὅκως τὴν ἄνυδρον διεκπερᾷ* (dubit.). IX. 37 *σταθμησάμενος, ὅκως ἐξελεύσεταί οἱ τὸ λοιπὸν τοῦ ποδός* (dubit.). Sunt etiam alii loci, ubi facile sit principalem illam interrogandi significationem agnoscere; quos tamen ad ea, quæ sequentur, referre melius nobis visum est.

Plurimis autem locis, ubi *ὅκως* apud Herodotum occurrit, finalem quandam vel consecutivam videtur habere significationem. Finalium autem sententiarum duo sunt genera [1]). Aut enim sententæ iilius, e qua pendet enuntiatio finalis, verbum ipsum finalem vel consecutivam habet significationem, ita ut sententia illa ab *ὅκως* proficiscens ad enuntiationem objectivam vel explicativam proxime accedere videatur; aut nihil, quod ad finem indicandum pertinet, in sententia regenti inest, sententia autem illa ab *ὅκως* incipiens ad finem vel consecutionem significandam tota valet, in quo tamen genere perrarus est futuri usus. Prioris generis enuntiationes finales occurrunt:

a) post verba vel locutiones, quæ *deliberandi, consultandi, curandi* habent significationem, ubi facile est particulam interrogativam agnoscere. — *βουλεύομαι* III. 154 *ἐβουλεύετο, ὅκως αὐτός τε ἔσται ὁ ἑλὼν αὐτήν, καὶ ἑαυτοῦ τὸ ἔργον ἔσται* cfr. *ὡς* III. 84. IV. 134 *βουλῆς ἀγαθῆς δεῖ, ὅκως ἀσφαλέως ἡ κομιδὴ ἡμῖν ἔσται τὸ ὀπίσω.* — *διανοέομαι* VI. 133. *Οἱ — Πάριοι, ὅκως μέν τι δώσουσι Μιλτιάδῃ ἀργυρίου, οὐδὲ διενοεῦντο.* — *ἐπιτηδεύω* III. 102 *ἀναβαίνει, ἐπιτηδεύσας, ὅκως ἀπὸ τέκνων ὡς νεωτάτων ἀποσπάσας ζεύξει.* — *λελογισμένως* III. 104 *ἐλαύνουσι λελογισμένως, ὅκως καυμάτων τῶν θερμοτάτων ἐόντων ἔσονται ἐν τῇ ἁρπαγῇ.* — *μέλει* I. 9 *σοὶ μελέτω τὸ ἐνθεῦτεν, ὅκως μή σε ὄψεται.* — *ὁράω* III. 36 *ἢν δὲ πολλὰ τοιαῦτα ποιέῃς, ὅρα ὅκως μή σευ ἀποστήσονται Πέρσαι.* — *φροντίζω* VII. 8α *ἐφρόντιζον, ὅκως μὴ λείψομαι — — — μηδὲ ἐλάσσω προσκτήσομαι δύναμιν Πέρσῃσι.* — *φυλάττω* IV. 190

[1]) Madvigius (§ 122 et 123) distinguit inter conjunctivi usum in "Hænsigtssætninger ved Conjunctionerne *ἵνα, ὡς, ὅπως*, for at" — — — et "Gjenstandssætninger, der föjes til Præsens eller Futurum af Verber eller Talemaader, som betegne en Stræben, Omhu eller Virken paa Andre for at Noget skal skee eller icke skee, ved *ὅπως* eller *ὅπως μὴ* (saasom til *ἐπιμελεῖσθαι, σπουδάζειν, παρασκευάζειν, πράττειν, μηχανᾶσθαι* et cet.). — Dog bruges ogsaa (i Gjenstandssætninger) Futurum Indicativ for at udhæve Gjenstanden udtrykkelig som tilkommende eller varig i Fremtiden" —. — De origine et significatione vocis *ὅπως* vide § 123 Anm. 1. — Kühner distinguit inter Substantivsätze der Wirkung (§ 552) et Adverbialsätze der Absicht (§ 553) cfr. etiam § 550. 1 ubi de *ὅκως* =*ὡς* l. *ὅτι* agitur.

— θάπτουσι, φυλάττοντες, ἐπεὰν ἀπίῃ τὴν ψυχήν, ὅκως μιν κατίσουσι μηδὲ ὕπτιος ἀποθανέεται.

b) post verba *petendi, jubendi, cohortandi:* δέομαι III. 135 καλέσας — Δημοκήδεα ἐδέετο αὐτοῦ, ὅκως — — ὀπίσω ἥξει. — ἐντέλλομαι III. 135 ἐνετέλλετό σφι ἑπομένους Δημοκήδεϊ διεξελθεῖν — — — ὅκως τε μὴ διαδρήσεταί σφεας ὁ Δ. ἀλλά μιν πάντως ὀπίσω ἀπάξουσι. — παρακελεύομαι VIII. 15 οἱ μὲν δὴ παρεκελεύοντο, ὅκως μὴ παρήσουσι ἐς τὴν Ἑλλάδα τοὺς βαρβάρους, οἱ δέ, ὅκως τὸ Ἑλληνικὸν στράτευμα διαφθείραντες τοῦ πόρου κρατήσουσι.

c) post verba *faciendi* l. *efficiendi:* μηχανάομαι II. 121γ προστάσσειν μηχανᾶσθαι, ὅκως τὸ σῶμα — — κομιεῖ VI. 133 οἱ δέ, ὅκως φυλάξουσι τὴν πόλιν, τοῦτο ἐμηχανέοντο. — Cfr. II. 160 οὐδεμίαν γὰρ (ἔφασαν) εἶναι μηχανήν, ὅκως οὐ τῷ ἀστῷ ἀγωνιζομένῳ προσθήσονται. — ποιέω I. 8 ποίεε, ὅκως ἐκείνην θηήσεαι γυμνήν. — V. 23 ποιέειν (= imperat.), ὅκως μηκέτι ἐκεῖνος ἐς Ἕλληνας ἀπίξεται. 36 συνεβούλευε ποιέειν, ὅκως ναυκρατέες τῆς θαλάσσης ἔσονται. 109 ποιέειν χρεών ἐστι ὑμέας, ὅκως τὸ κατ' ὑμέας ἔσται ἥ τε Ἰωνίη καὶ ἡ Κύπρος ἐλευθέρη. IX. 2 οὐδὲ ἐᾶν ἰέναι — — ἀλλ' αὐτοῦ ἱζόμενον ποιέειν, ὅκως ἀμαχητὶ τὴν πᾶσαν Ἑλλάδα καταστρέψεται. 91 σύ μὲν ποίεε, ὅκως — — ἀποπλεύσεαι. Antecedente particula οὕτω VII. 18 ποίεε δὲ οὕτω, ὅκως τοῦ θεοῦ παραδιδόντος τῶν σῶν ἐνδεήσει μηδέν. — Cfr. VIII. 10 ἅμιλλαν ἐποιεῦντο, ὅκως αὐτὸς ἕκαστος — — δῶρα λάμψεται. — Anacoluthice ὅκως et ὡς conjuncta occurrunt I. 209 ποίεε ὅκως, ἐπεὰν ἐγὼ τάδε καταστρεψάμενος ἔλθω ἐκεῖ, ὥς μοι καταστήσεις τὸν παῖδα ἐς ἔλεγχον [1]).

Observandus est locus ille III. 142 ἀλλ' οὐδ' ἄξιος εἶς σύγε ἡμέων ἄρχειν, γεγονώς τε κακῶς καὶ ἐὼν ὄλεθρος· ἀλλὰ μᾶλλον ὅκως λόγον δώσεις τῶν μετεχείρισας χρημάτων, ubi editores (Bæhrius, Abichtius, Steinius) ὅκως ab omisso quodam ὅρα pendere statuunt [2]); comparant III. 36 ὅρα ὅκως μή σευ ἀποστήσονται Πέρσαι; sed ut cum illo compararetur, legendum erat ὅκως μὴ λόγον δώσεις (*cave, ne rationem reddere cogaris*). Præterea verba illa ἀλλὰ μᾶλλον ὅκως cum antecedenti ἄξιος artius conjuncta videntur, ut hæc exsistat sententia: *dignus es, qui rationem reddas.* Ac quamquam nullum exemplum proferre possumus, ubi ἄξιος cum ὅκως conjungatur, tamen liceat commemorare — id

[1]) Si lexico Schweighäuseri fides habenda est, in nonnullis libris conjunctivus καταστήσῃς legitur. — Steinius de hac re nihil commemorat.

[2]) Kr.: ὅκως sei bedacht dass du —. Citat 54. 8. 4. (7). Ab.: ὅκως kann auch ohne sich an einen Satz anzuschliessen mit dem Indicat. Fut. zum Ausdruck einer *dringenden Aufforderung* verbunden werden.

quod ex antecedenti satis apparet — Herodotum nonnumquam ὅκως cum futuro usurpare, ubi infinitivum exspectares; cfr. III. 135 ad δέομαι et ἐντέλλομαι, quos locos modo attulimus; post ἐντέλλομαι quoque l. l. primum infinitivus, deinde ὅκως cum futuro occurrit.

Post verba, quæ nullam finis habent significationem, ὅκως cum futuro occurrit III. 40 *τοῦτο ἀπόβαλε οὕτω, ὅκως μηκέτι ἥξει ἐς ἀνθρώπους.* — Ita etiam in locutionibus *οὐκ ἔστιν ὅκως fieri non potest, ut:* VII. 102 *ἔρχομαι — λέξων — — πρῶτα μὲν ὅτι οὐκ ἔστιν ὅκως ποτὲ σοὺς δέξονται λόγους.* 197 *ἢν δὲ ἐξέλθῃ οὐκ ἔστιν ὅκως ἔξεισι, πρὶν ἢ θύσεσθαι μέλλῃ* et *οὐκ ἔστιν ὅκως οὐ fieri non potest, quin* VIII. 65 *Δημάρητε οὐκ ἔστιν ὅκως οὐ μέγα τι σίνος ἔσται τῇ βασιλέος στρατιῇ.*

In significatione finali etiam particula ὡς cum futuro ind. usurpatur, III. 159 *ὡς δὲ ἕξουσι γυναῖκας — — τάδε προϊδὼν ἐποίησε* (ὡς ad προϊδὼν referendum est). VII. 161 *ὡς δὲ στρατηγήσεις αὐτῆς, γλίχεαι.* Compares V. 118 *αὕτη μέν νυν οὐκ ἐνίκα ἡ γνώμη, ἀλλὰ τοῖσι Πέρσῃσι κατὰ νώτου γίνεσθαι τὸν Μ. — —, δηλαδή, ἢν φυγὴ τῶν Περσέων γένηται καὶ ἑσσωθέωσι τῇ συμβολῇ, ὡς οὐκ ἀπονοστήσουσι ἐς τὸν ποταμὸν ἐσπίπτοντες.* — In consecutiva significatione ὡς I. 199 *οὐκ οὕτω τί οἱ μέγα δώσεις, ὥς μιν λάμψεαι.* — Sæpius ὥστε et quidem sine ullo vocabulo enuntiationis primariæ, ad quod referatur I. 155 *καὶ ταχέως σφέας — — γυναῖκας ὄψεαι γεγονότας, ὥστε οὐδὲν δεινοί τοι ἔσονται — —.* VIII. 140 *πυνθάνεσθε δὲ καὶ τὴν νῦν παρ' ἐμοὶ ἐοῦσαν δύναμιν· ὥστε καὶ ἢν ὑπερβάλησθε — — — — ἄλλη παρέσται παραπλησίη.* — Exposita in enuntiatione regenti voce determinativa III. 12 *αἱ τῶν Περσέων κεφαλαί εἰσι ἀσθενέες οὕτω, ὥστε — — διατετρανέεις.* III. 36 *κατακρύπτουσι ἐπὶ τῷδε τῷ λόγῳ, ὥστε εἰ μὲν μεταμελήσει — — οἱ δὲ δῶρα λάμψονται,* sequente infinitivo: *ἢν δὲ μὴ μεταμέληται — τότε καταχρᾶσθαι.* VII. 16γ *οὐ γὰρ ἐς τοσοῦτο εὐηθείης ἀνήκει τοῦτο — τὸ ἐπιφαινόμενόν τοι ἐν τῷ ὕπνῳ, ὥστε δόξει ἐμὲ ὁρέων σὲ εἶναι.* — Ab enuntiationibus finalibus et consecutivis non multum absunt illæ, quæ ab ἐπ' ᾧ τε, ἐπ' ᾧ incipiunt. Cum futuro ἐπ' ᾧ τε occurrit III. 83 *ἐπὶ τούτῳ ὑπεξίσταμαι τῆς ἀρχῆς, ἐπ' ᾧ τε ὑπ' οὐδενὸς ὑμέων ἄρξομαι.* VI. 65 *Κλεομένης συντίθεται Λευτυχίδῃ — — ἐπ' ᾧ τε, ἢν αὐτὸν καταστήσῃ βασιλέα ἀντὶ Δημαρήτου, ἕψεταί οἱ — —.* VII. 153 *τούτοις ὦν πίσυνος ἐὼν κατήγαγε, ἐπ' ᾧ τε οἱ ἀπόγονοι αὐτοῦ ἱροφάνται τῶν θεῶν ἔσονται.* VIII. 4 *πείθουσι Θεμιστοκλέα ἐπὶ μισθῷ τριήκοντα ταλάντοισι, ἐπ' ᾧ τε καταμείναντες πρὸ τῆς Εὐβοίης ποιήσονται τὴν ναυμαχίην.* — *ἐπ ᾧ* V. 82 *ἐπὶ τοισίδε δώσειν ἔφασαν,*

ἐπ' ᾧ ἀπάξει et VII. 158 ἐπὶ δὲ λόγῳ τοιῷδε τάδε ὑπίσχομαι, ἐπ' ᾧ στρατηγός τε καὶ ἡγεμὼν ἔσομαι [1]).

In enuntiatione temporali fut. occurrit I. 127 ἀπαγγέλλειν, ὅτι πρότερον ἥξει παρ' ἐκεῖνον, ἢ Ἀστυάγης αὐτὸς βουλήσεται. Temporali significatione etiam relativum illud ἐς ὅ utitur, quod cum futuro occurrit IX. 58 διωκτέοι εἰσί, ἐς ὅ καταληφθέντες δώσουσι ἡμῖν τῶν ἐποίησαν — δίκας (cum conj. sine ἄν VIII. 108).

In enuntiatione comparativa futurum occurrit V. 49 ὡς ἐγὼ φράσω.

In enuntiationibus causalibus III. 85 — — θάρσεε τούτου εἵνεκεν καὶ θυμὸν ἔχε ἀγαθόν, ὡς βασιλεὺς οὐδεὶς ἄλλος πρὸ σεῦ ἔσται. — VIII 5 οὐ σύ γε ἡμέας ἀπολείψεις, ἐπεί τοι ἐγὼ μέζω δῶρα δώσω, quibus locis ὡς et ἐπεί idem fere atque γάρ significare videntur; eadem ratio est VIII. 108 λέγων ὡς, εἰ λύσουσι — — τοῦτ' ἂν μέγιστον — κακῶν τὴν Ἑλλάδα ἐργασαίατο — — — — εἰ γὰρ ἀναγκασθείη — ὁ Πέρσης μένειν — πειρῷτο ἂν ἡσυχίην μὴ ἄγειν, ὡς ἄγοντι μὲν οἱ ἡσυχίην οὔτε τι προχωρέειν οἷόν τε ἔσται τῶν πρηγμάτων οὔτε τις κομιδὴ — φανήσεται, λιμῷ, τέ οἱ ἡ στρατιὴ διαφθερέεται — — ἔσται, quæ enuntiatio secundaria est orationis obliquæ. Hoc autem loco VIII. 70 ἀρρώδεον δὲ ὅτι — — μέλλοιεν, νικηθέντες τε ἐν νήσῳ ἀπολαμφθέντες πολιορκήσονται, futurum non ad enuntiationem quandam primariam orationis obliquæ refertur, sed tamen ex mente illorum, qui subjectum verbi ἀρρώδεον efficiunt, prædicatur. — Eodem modo post θαρρεῖν futurum usurpatur II. 141 — — ἐπελθεῖν ὕπνον καί οἱ δόξαι — ἐπιστάντα τὸν θεὸν θαρσύνειν, ὡς οὐδὲν πείσεται κακόν.

In enuntiationibus relativis futurum haud raro occurrit, et primum quidem ex illis, quæ veram futuri temporis habent significationem, a) in iis, ubi relativum non ad correlatum, quod dicunt, definiendum pertinet, sed tantum ad sententiam relativam enuntiationi antecedenti connectendam valet, ita ut relativum pronomen conjunctioni copulativæ vel adversativæ vel causali et pronomini demonstrativo respondeat. — I. 35 ἀνδρῶν τε φίλων τυγχάνεις ἔκγονος ἐὼν καὶ ἐλήλυθας ἐς φίλους, ἔνθα χρήματος οὐδενὸς ἀμηχανήσεις. I. 51 τοῦ ἐπιστάμενος τὸ οὔνομα οὐκ ἐπιμνήσομαι. 153 τοῖσι, ἢν ἐγὼ ὑγιαίνω, οὐ τὰ Ἰώνων πάθεα ἔσται ἔλλεσχα ἀλλὰ τὰ οἰκήια. IV. 38 ἀκταὶ διφάσιαι — — κατατείνουσι, τὰς ἐγὼ ἀπηγήσομαι. V. 23 ὅμιλος — πολλὸς μὲν Ἕλλην περιοικέει, πολλὸς δὲ βάρβαρος, οἳ προστάτεω ἐπιλαβόμενοι ποιήσουσι —. VII. 9 εἷς — ἄριστος — —

[1]) De his locutionibus cfr. Madv. § 166. b. not. — Kühner § 584 Anm. 3. Cum infinitivo occurrit ἐπ' ᾧτε, ut I. 22 διαλλαγὴ δέ σφιν ἐγένετο, ἐπ' ᾧ τε ξείνους ἀλλήλοισι εἶναι καὶ συμμάχους. VII. 154.

ὃς οὐκ ἐάσεις — (*neque enim patiere* —). 77 τὴν αὐτὴν Κίλιξι εἶχον σκευήν, τὴν ἐγὼ — τότε σημανέω. VIII. 50 πολιορκήσονται ἐν νήσῳ, ἵνα σφι τιμωρίη οὐδεμία ἐπιφανήσεται. — IX. 58 (γνώμην) — τὴν ἔτι πρὸς ἐμεῦ βασιλεὺς πεύσεται. 122 εἰσὶ — πολλαὶ μὲν ἀστυγείτονες, πολλαὶ δὲ καὶ ἑκαστέρω, τῶν μίαν σχόντες πλέοσι ἐσόμεθα θωυμασιώτεροι.

b) In iis sententiis, ubi relativo pronomine correlatum, quod dicunt, artius definitur vel distinguitur ab aliis rebus, quæ eodem nomine utuntur, ita ut enuntiatio relativa quasi attributo cuidam correlati respondeat. Quamquam non raro fit, ut correlatum aut omittatur (ita ut enuntiatio relativa ipsa eidem enuntiationis regentis parti, quæ correlato exprimi debebat, respondeat) aut in enuntiatione relativa attractione quadam ponatur. II. 57 ταῦτα καὶ ἄλλα, τὰ ἐγὼ φράσω, Ἕλληνες — νενομίκασι. 146 τούτων — ἀμφοτέρων πάρεστι χρᾶσθαι τοῖσί τις πείσεται μάλιστα λεγομένοισι. 156 ἐκ τούτου — τοῦ λόγου — Αἰσχύλος — ἥρπασε, τὸ ἐγὼ φράσω. III. 155 τῆς στρατιῆς, τῆς οὐδεμία ἔσται ὤρη ἀπολλυμένης —. IV. 145 διὰ πρόφασιν, τὴν ἐγὼ ἀπηγήσομαι. V. 106 ὄμνυμι μὴ ἐκδύσεσθαι τὸν ἔχων κιθῶνα καταβήσομαι —. VI. 12 κρέσσον — ἐστι τὴν μέλλουσαν δουληίην ὑπομεῖναι, ἥτις ἔσται —. VII. 11 ἵνα καὶ τὸ δεινόν, τὸ πείσομαι, τοῦτο μάθω. 16 β τοιαῦτά ἐστι, οἷά σε ἐγὼ διδάξω. 49 παρὰ πᾶσαν τὴν ἤπειρον, παρ' ἣν κομιεῖ (Hoc tamen loco St. ed. crit. et Ab. ed. commentariis instructa κομίζεαι legunt.) Observandus est locus ille III. 40 φροντίσας, τὸ ἂν εὕρῃς ἐόν τοι πλείστου ἄξιον καὶ ἐπ' ᾧ σὺ ἀπολομένῳ τὴν ψυχὴν μάλιστα ἀλγήσεις, τοῦτο ἀπόβαλε; ubi si ea, quæ enuntiatione relativa continentur, respicias, sententiam illam τὸ ἂν εὕρῃς melius ad φροντίσας referas, si constructionem verborum, propter conjunctivum cum ἂν ad ἀπόβαλε.

Si autem verbum enuntiationis regentis sentiendi (deliberandi) vel dicendi habet significationem, hæ enuntiationes relativæ ad interrogationes obliquas proxime accedunt, ut VI. 9 τάδε σφι λέγετε ἐπηρεάζοντες, τά περ σφεας κατέξει. 75 ἠπείλεε, τά μιν αὖθις ποιήσει. 109 δέδοκται, τὰ πείσονται, παραδεδομένοι Ἱππίῃ, eoque magis, si correlatum in relativa enuntiatione positum est, ut I. 71 μάθε ὅσα ἀγαθὰ ἀποβαλέεις. VI. 88 φράσας ἐν τῇ τε ἡμέρῃ ἐπιχειρήσει καὶ ἐκείνους ἐς τὴν ἥκειν δεήσει. 132 οὐ φράσας σφι ἐπ' ἣν ἐπιστρατεύσεται γαῖαν. VIII. 106 ἔλεγε — δεύτερα δέ οἱ ὑποσχνεύμενος ὅσα μιν ἀγαθὰ ποιήσει; quæ enuntiationes haud scio an rectius pro interrogativis quam pro relativis existimentur [1]. Pro interrogationibus obliquis etiam habendæ videntur enuntia-

[1]) Cfr. *De modis et temporibus etc.* p. 32. Madv. Gr. Gr. § 198. b); Bemerkungen, p. 25.

tiones VII. 163 *καρηδοκήσοντα τὴν μάχην, τῇ πεσέεται*, 168 *καρηδοκέοντες καὶ οὗτοι τὸν πόλεμον, τῇ πεσέεται* [1]), ubi contrarium factum est, ut subjectum enuntiationis dependentis pro objecto verbi regentis poneretur. Huc etiam referantur VII. 236 *τὰ τῶν ἀντιπολέμων μὴ ἐπιλέγεσθαι πρήγματα, τῇ τε στήσονται τὸν πόλεμον, τά τε ποιήσουσι*, ubi enuntiationes relativæ quasi appositum quoddam objecti *τὰ τῶν ἀντιπολέμων πρήγματα* efficiunt, et VII. 175 *βουλεύονται, τῇ τε στήσονται τὸν πόλεμον καὶ ἐν οἵοισι χώροισι*, VIII. 40 *βουλεύσωνται, τὸ ποιητέον σφι ἔσται*, qui loci deliberativam habere significationem videntur.

Sequantur illi loci, ubi enuntiatio relativa finalem vel consecutivam habet significationem. Finalis igitur significatio occurrit III. 122 *πέμψον ὅστις τοι πιστότατος τυγχάνει ἐών, τῷ ἐγὼ ἀποδέξω*. 134 *κατασκόπους μοι δοκέει — — ἄμεινον εἶναι — πέμψαι ἐς αὐτούς, οἳ — — ἐξαγγελέουσι*. IV. 162 *ἀπικομένη — — ἡ Φερετίμη ἐδέετο στρατιῆς, ἣ κατάξει σφέας ἐς τὴν Κυρήνην*. — Consecutiva significatio post *ὅς* III. 72 *ἔχω αὐτὸς σκῆψιν εὐπρεπεστάτην, τῇ πάριμεν*. IV. 97 *ἐπὶ γῆν μέλλεις στρατεύεσθαι, τῆς — — φανήσεται οὐδέν*. 134 *πρὶν — ἤ καί τι Ἴωσι δόξαι, τὸ ἡμέας οἷόν τε ἔσται διεργάσασθαι*. V. 67 *ἐφρόντιζε μηχανήν, τῇ αὐτὸς ὁ Ἄδρηστος ἀπαλλάξεται*. VII. 8γ *πυνθάνομαι — — οὔτε ἔθνος οὐδὲν ὑπολείπεσθαι, τὸ ἡμῖν οἷόν τε ἔσται ἐς μάχην ἐλθεῖν*. 46 *οὐδεὶς οὕτω ἄνθρωπος ἐὼν εὐδαίμων πέφυκε, τῷ οὐ παραστήσεται* —, 64 *εὔχετο μηδεμίαν οἱ συντυχίην τοιαύτην γενέσθαι, ἥ μιν παύσει* —. 102 *ἀληθείῃ χρήσασθαί με κελεύεις ταῦτα λέγοντα, τὰ μὴ ψευδόμενός τις ἁλώσεται*. 103 *εἰσὶ Περσέων τῶν ἐμῶν αἰχμοφόρων, οἳ ἐθελήσουσι — — μάχεσθαι*. 209 *ἔστι οὐδὲν ἄλλο ἔθνος ἀνθρώπων, τὸ σὲ βασιλεῦ ὑπομενέει*. — Post *ὅστις* I. 210 *μὴ εἴη ἀνὴρ Πέρσης γεγονώς, ὅστις τοι ἐπιβουλεύσει*. (III. 72 *οὐδεὶς ὅστις οὐ παρήσει*). VII. 49 *οὔτε γὰρ — ἐστὶ λιμὴν τοσοῦτος* —, *ὅστις — φερέγγυος ἔσται διασῶσαι*. VIII. 26 *ἐπείρετο, ὅτι τὸ ἄεθλον εἴη σφι προκείμενον, περὶ ὅτευ ἀγωνίσονται*. — Post *ἔνθα* I. 41 *σέ τοι χρεών ἐστι ἰέναι, ἔνθα ἀπολαμπρυνέαι τοῖσι ἔργοισι*. — *ἵνα* IV. 95 *ἥξουσι ἐς χῶρον τοῦτον, ἵνα — ἕξουσι τὰ πάντα ἀγαθά*. *ὅθεν* VI. 137 *ἐπὶ γὰρ χώρην τοιαύτην ἄξειν, ὅθεν χρυσὸν — ἄφθονον ἕξουσι*.

In enuntiationibus condicionalibus futurum non raro occurrit [2]) et quidem sæpissime ad apodosin futuro tempore utentem relatum. In his autem enuntiationibus hypotheticis futurum eandem fere habet significationem, quam conjunc-

---

[1]) Cfr. VIII. 67 ubi *κῇ* occurrit.

[2]) Dignum videtur, quod afferatur, Herodotum nonnumquam futuro *ἐθελήσω* cum infinitivo præsentis vel aoristi in circumscriptione quadam pro simplici futuro vel potius fortasse *μέλλω* cum infinitivo usurpare I. 32. 109. 207. II. 11. 13. 99.

tivus præsentis aut aoristi cum ἄν junctus, ita tamen, ut futurum clarius indicet ad futurum tempus actionem verbi pertinere. Respondet autem futurum post εἰ Latinorum tum futuro simplici, quod dicunt, tum exacto; neque vero in his enuntiationibus futurum III Græcorum facile occurrit. Nam si recte dicitur præsentis conjunctivus cum ἄν futuro simplici, aoristi conj. cum ἄν futuro exacto respondere, futurum Græcorum, quum et durantem præsentis et momentaneam vel ingredientem aoristi actionem exprimere possit, pro utroque tempore usurpari potest. Apodosis autem enuntiationis hypotheticæ, futuro tempore utens, esse potest:

1) Enuntiatio primaria I. 71 *τοῦτο μὲν δή, εἰ νικήσεις, τί σφεας ἀπαιρήσεαι.* 109 *οὐδ' εἰ παραφρονήσει τε καὶ μανέεται κάκιον, ἢ νῦν μαίνεται, οὔ οἱ ἔγωγε προσθήσομαι τῇ γνώμῃ —.* 212 *εἰ δὲ ταῦτα οὐ ποιήσεις, ἥλιον ἐπόμνυμι — — — ἦ μέν σε ἐγὼ — — αἵματος κορέσω.* II. 14 *εἴ σφι θέλοι — — — ἄλλο τι ἢ οἱ ταύτῃ οἰκέοντες Αἰγυπτίων πεινήσουσι, εἰ μήτε γε ὕσεταί σφι ἡ χώρη, μήτε ὁ ποταμὸς οἷός τε ἔσται ἐς τὰς ἀρούρας ὑπερβαίνειν;* 17 *εἰ δε τῷ ὑπ' Ἑλλήνων νενομισμένῳ χρησόμεθα, νομιοῦμεν —.* III. 73 *κότε κάλλιον παρέξει ἀνασώσασθαι τὴν ἀρχὴν ἤ, εἴ γε μὴ οἷοί τε ἐσόμεθα αὐτὴν ἀναλαβεῖν, ἀποθανεῖν;* VII. 8γ *εἰ τούτους καταστρεψόμεθα — γῆν — ἀποδέξομεν.* — 236 *εἰ δὲ διασπάσεις, οὔτε σὺ ἔσεαι ἐκείνοισι χρήσιμος οὔτε ἐκεῖνοι σοί.* VIII. 62 *εἰ δὲ ταῦτα μὴ ποιήσεις*[1]*). ἡμεῖς μὲν — κομιεύμεθα ἐς Σῖριν.* IX. 2 *εἰ δὲ ποιήσεις τὰ ἡμεῖς παραινέομεν — ἕξεις ἀπόνως κ. τ. λ.*

2) Enuntiatio secundaria (quibus locis sæpissime fit, ut enuntiatio regens inter protasin et apodosin intercludatur, ita ut enuntiatio regens apodosis enuntiationis hypotheticæ esse videatur, vel potius enuntiatio regens et apodosis quasi in unam notionem coalescant) et quidem a) enuntiatio explicativa ab ὡς incipiens II. 13 *τὸ ἔπος τοῦτο ἐθέλει λέγειν, ὡς εἰ μὴ ἐθελήσει σφι ὕειν ὁ θεὸς — — λιμῷ οἱ Ἕλληνες αἱρεθήσονται.* 121γ *εἰ δὲ τούτων ἀμελήσει, διαπειλέειν αὐτήν, ὡς — μηνύσει αὐτὸν ἔχοντα τὰ χρήματα.* III. 69 *εἰ γὰρ — — ἐπιλάμπτος δὲ ἀφάσσουσα ἔσται, εὖ εἰδέναι ὡς αἴστώσει μιν.* 143 *νόῳ λαβών, ὡς εἰ μετήσει τὴν ἀρχήν, ἄλλος τις ἀντ' αὐτοῦ τύραννος καταστήσεται.* IV. 125 *προλέγοντες, ὡς εἰ πειρήσονται ἐσβαλόντες, σφίσι πρῶτα μαχήσονται.* VIII. 3 *εἶκον — γνόντες, εἰ στασιάσουσι περὶ τῆς ἡγεμονίης, ὡς ἀπολέεται ἡ Ἑλλάς.* 112 *λέγων, ὡς εἰ μὴ δόσουσι τὸ αἰτεόμενον, ἐπάξει τὴν στρατιὴν — — καὶ — ἐξαι-*

---

[1]) Ita Abicht. legit. Contra Steinius *ποιήσῃς* conj. sine *ἄν*, quemadmodum VIII. 118 *οὐκ ἔστι οὐδεμία (σωτηρίη), εἰ μὴ τούτων ἀπαλλαγή τις γένηται τῶν πολλῶν ἐπιβατέων.*

ρήσει —. IX. 6 προεῖπαί τε, ὅτι εἰ μὴ ἀμυνεῦσι, ὡς — — εὑρήσονται. — b) ab ὅτι pendens III. 71 — εἰ χρήσεσθε, ἐπίστασθε, ὅτι ἀπολέεσθε κάκιστα. VII. 11 εὖ ἐπιστάμενος, ὅτι εἰ ἡμεῖς ἡσυχίην ἄξομεν, ἀλλ' οὐκ ἐκεῖνοι, ἀλλὰ καὶ μάλα στρατεύσονται — —. — c) enuntiatio relativa VI. 9 εἰ δὲ ταῦτα μὲν οὐ ποιήσουσι, οἱ δὲ — ἐλεύσονται, τάδε σφι λέγετε, —, τά πέρ σφεας κατέξει. VII. 209 — εἰ τούτους — καταστρέψεαι, ἔστι οὐδὲν ἄλλο ἔθνος — τό σε ὑπομενέει. — d) enuntiatio consecutiva cum ὥστε III. 36 κατακρύπτουσι τὸν Κροῖσον ἐπὶ τῷδε τῷ λόγῳ ὥστε, εἰ μεταμελήσει — καὶ ἐπιζητήσει —, δῶρα λάμψονται. — e) infinitivus futuri VI. 11 εἰ δὲ μαλακίῃ τε καὶ ἀταξίῃ διαχρήσεσθε, οὐδεμίαν ὑμέων ἔχω ἐλπίδα μὴ οὐ δώσειν ὑμέας δίκην βασιλέι — —. VII. 109 εἰ δὲ ταῦτα μὲν ὑποδύνειν οὐκ ἐθελήσεις, σὺ δὲ πάντως στράτευμα ἀνάξεις ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα, ἀκούσεσθαί τινά φημι — —. 172 εἰ μὴ πέμψετε, ἐπίστασθε ἡμέας ὁμολογήσειν τῷ Πέρσῃ. — f) participium futuri εἰ μή τινας ἄλλους πέμψετε, ἴστε ἡμέας ἐκλείψοντας τὴν τάξιν.

Nonnumquam fit, ut apodosis, quamquam non verbum in futuro tempore positum habet, tamen futuri habeat significationem. Ita in apodosi occurrit: a) conjunctivus prohibitivus IV. 163 εἰ δὲ ἐξοπτήσεις τὴν κάμινον, μὴ ἐσέλθῃς ἐς τὴν ἀμφίρρυτον. — b) optativus cum ἄν VII. 9 δεινὸν — ἂν εἴη πρῆγμα εἰ Σάκας μὲν καὶ Ἰνδοὺς — — — — — δούλους ἔχομεν, Ἕλληνας δὲ ὑπάρξαντας ἀδικίης οὐ τιμωρησόμεθα. 161 μάτην γὰρ ἂν πάραλον Ἑλλήνων στρατὸν πλεῖστον εἴημεν ἐκτημένοι, εἰ Συρηκοσίοισι ἐόντες Ἀθηναῖοι συγχωρήσομεν τῆς ἡγεμονίης —. VIII. 108 γνώμην ἐτίθετο, λέγων, ὡς εἰ λύσουσι τὰς σχεδίας, τοῦτ' ἂν μέγιστον πάντων σφι κακῶν τὴν Ἑλλάδα ἐργάσαιτο. — c) verba vel locutiones, quæ futuri quiddam indicant, ut γίγνομαι (ο: ἔσομαι) I. 32 εἰ δὲ ἐθελήσει τοὔτερον τῶν ἐτέων μηνὶ μακρότερον γίνεσθαι, — — μῆνες μὲν γίνονται —. VII. 236 εἰ δὲ — ἀποπέμψεις —, ἀξιόμαχοί τοι γίνονται οἱ ἀντίπαλοι [1]). — κίνδυνος ἔνι l. ἐστὶ (periculum erit) I. 207 εἰ γὰρ ἐθελήσομεν ἐσδέξασθαι τοὺς πολεμίους ἐς τὴν χώρην, ὅδε τοι ἐν αὐτῷ κίνδυνος ἔνι. II. 99 εἰ γὰρ ἐθελήσει ῥήξας ὑπερβῆναι ὁ ποταμὸς ταύτῃ, κίνδυνος πάσῃ Μέμφι κατακλυσθῆναί ἐστι. Compares I. 109 εἰ δ' ἐθελήσει τούτου τελευτήσαντος ἐς τὴν θυγατέρα — ἀναβῆναι ἡ τυραννίς, — ἄλλο τι ἢ λείπεται τὸ ἐνθεῦτεν ἐμοὶ κινδύνων ὁ μέγιστος. — VII. 50 εἰ δὲ ἐρίζων πρὸς πᾶν τὸ λεγόμενον μὴ τὸ βέβαιον ἀποδέξεις, σφάλλε-

[1]) Cfr. ea, quæ sequuntur, ἁλὴς δὲ ἐὼν ὁ ναυτικὸς στρατὸς δυσμεταχείριστός τε αὐτοῖσι γίνεται, καὶ ἀρχὴν οὐκ ἀξιόμαχοί τοι ἔσονται —.

σθαι ὀφείλεις [1]). II. 11 εἰ ὦν ἐθελήσει ἐκτρέψαι τὸ ῥέεθρον ὁ Νεῖλος, τί μιν κωλύει; (quid impediet?)

Nulla futurali significatione enuntiationis regentis futurum post εἰ occurrit I. 32 εἰ δὲ πρὸς τούτοισι ἔτι τελευτήσει τὸν βίον εὖ, οὗτος ἐκεῖνος, τὸν σὺ ζητέεις, ὁ ὄλβιος κεκλῆσθαι ἄξιός ἐστι. (ɔ: si bene vitam finiturus est, dignus est, qui felix prædicetur). IV. 45 οὔτε ὅστις οἱ ἦν ὁ θέμενος φαίνεται, εἰ μὴ φήσομεν —. VII. 46 ἐσῆλθέ με κατοικτεῖραι, ὡς βραχὺς εἴη ὁ βίος, εἰ — — οὐδεὶς ἐς ἑκατοστὸν ἔτος περιέσται, ubi εἰ (= si quidem) prope ad significationem causalem accedit, quemadmodum IV. 33 δεινὰ ποιευμένους, εἴ σφεας αἰεὶ καταλάμψεται ἀποστέλλοντας μὴ ἀποδέκεσθαι, ut sæpe ad verba affectuum; cfr Madv. § 194 c. et VII. 9, quem locum supra attulimus.

Omissa apodosi εἰ cum futuro occurrit VIII. 62 σὺ εἰ μενέεις καὶ μένων ἀνὴρ ἔσεαι ἀγαθός (sc. εὖ ἔχει)· εἰ δὲ μή, ἀνατρέψεις τὴν Ἑλλάδα [2]).

II.

Futuri Optativus.

Futuri optativus [3]), quæ verbi forma in lingua antiquiore apud Homerum, Hesiodum, antiquissimos lyricos et elegiacos non occurrit, ad orationem obliquam totus fere pertinens, post verbum regens in præterito tempore positum futuri indicativo orationis rectæ respondet, quemadmodum in lingua Latina periphrastica illa conjugatio, quæ e futuri participio et verbo *sum* efficitur, ad conjunctivum, imperfectum, infinitivum, ceteras quoque futuri formas exprimendas usurpatur. Neque vero necesse fuit omnibus locis post præteritum optativum futuri usurpare. Nam apud plurimos scriptores futuri indicativus longe sæpius post præteritum occurrit. At contra futuri optativi usus ita latius patet quam

---

[1]) Naber tamen (in Mnemosyna; cfr Bæhr.) legendum censet ὀφειλήσεις.

[2]) Cfr Madv. Gr. Ordf. § 194 b. Anm. — Kühn. § 577. 3 c. — Kr. I. 54. 12. 12. II. 54. 12. 7; quamquam quod dicit Kr. verbum antecedens potius repetendum esse quam εὖ ἔχει audiendum, ad hunc saltem locum referri non potest.

[3]) De futuri optativo cfr Madvigii Bemerkungen über einige Puncte der Griechischen Wortfügungslehre pp. 27—29. — Chr. Cavallin: Om Grekiskans Futuri Optativus, en föreläsning. Lund 1875.

periphrastica Latinorum conjugatio, ut non solum in enuntiationibus orationis obliquæ primariis occurrat, sed etiam in enuntiationibus secundariis (condicionalibus, relativis, aliis) usurpari possit, ut Xen. Anab. IV. 1. 25 *ἔφη εἶναι ἄκρον, ὃ εἰ μή τις προκαταλήψοιτο, ἀδύνατον ἔσεσθαι παρελθεῖν*, atque in talibus enuntiationibus, quæ, ad nullam orationis obliquæ enuntiationem primariam relatæ, ad orationem obliquam indicandam optativo utuntur Xen. Anab. I. 4. 7 *οἱ δ' ᾤκτειρον, εἰ ἁλώσοιντο:* si capti essent [1]). — Apud Herodotum duo tantum sunt loci, ubi ex omnium librorum auctoritate futuri optativus legatur, et quidem in enuntiatione explicativa IX. 38 *συνεβούλευσε — λέγων, ὡς ἐπιῤῥέουσι οἱ Ἕλληνες αἰεὶ ἀνὰ πᾶσαν ἡμέρην καὶ ὡς ἀπολάμψοιτο συχνούς*. In enuntiatione hypothetica VII. 226 — *τὸν δὲ — — εἰπεῖν — — ὡς πάντα σφι ἀγαθὰ ὁ Τρηχίνιος ξεῖνος ἀγγέλλοι, εἰ ἀποκρυπτόντων τῶν Μήδων τὸν ἥλιον ὑπὸ σκιῇ ἔσοιτο πρὸς αὐτοὺς ἡ μάχη*. — I. 127 plurimi libri præbent *ἐκέλευε τὸν ἄγγελον ἀπαγγέλλειν ὅτι πρότερον ἥξοι παρ' ἐκεῖνον*, quo tamen loco, Abichtium et Dietschium sequentes, præferendam censemus lectionem *ἥξει* [2]). — Ceterum nonnulli sunt loci, ubi grammatici aut editores contra auctoritatem librorum optativum futuri legere voluerunt. Ut III. 128 *ἀποπειρεόμενος δὲ τῶν δορυφόρων ἐδίδου τὰ βιβλία ὁ Βαγαῖος, εἴ οἱ ἐνδεξαίατο ἀπόστασιν ἀπ' Ὀροίτεω*, ubi Madvigius *ἐνδεξοίατο* legere vult [3]). Quum tamen hæc enuntiatio re vera condicionalis sit atque aliis quoque locis aoristi optativus eodem modo usurpetur, hoc loco nulla videtur opus esse mutatione. — Præterea duo sunt loci, ubi Krüger futuri optativum legendum censet. Unus est IV. 135, ubi Steinius, libros sequens, legit *οἱ δὲ ἄνθρωποι ἀσθενείης μὲν εἵνεκεν κατελείποντο, προφάσιος δὲ τῆσδε δηλαδή· αὐτὸς μὲν σὺν τῷ καθαρῷ τοῦ στρατεύματος ἐπιθήσεσθαι μέλλοι τοῖσι Σκύθῃσι, οὗτοι δὲ τὸ στρατόπεδον τοῦτον τὸν χρόνον ῥυοίατο*. Sed quum optativi illi *μέλλοι, ῥυοίατο* non bene absolute occurrant, et opus sit conjunctione quadam, qua ad antecedentia referantur, Reiskius post *δηλαδὴ ἵνα* inseruit, quæ tamen conjunctio non satis apte refertur ad verbum illud *μέλλοι*, quod haud scio an in enuntiationibus

---

1) Cfr Kühner § 594. 3. — Madv. Gr. Ordf. § 132. d. — Bemerkungen pag. 28. — C. Cavallin l. l. p. 14.

2) Optativum Stein., Krüg., Flemmer, Lhardy., Joh. receperunt. Cfr tamen I. 13. II. 152 ubi *ἥξει* occurrit.

3) Bemerkungen p. 24 not. Cfr quod de hoc loco disputavimus: "De modis et temporibus orationis obliquæ apud Herodotum", pagg. 39—40, ubi tamen minus recte hunc locum et alios nonnullos huic similes ad interrogationes obliquas retulimus. Hæ enim enuntiationes ab *εἰ* incipientes quamquam inter enuntiationes hypotheticas et interrogationes obliquas medium quendam tenere locum videntur, tamen ad enuntiationes hypotheticas propius accedunt.

finalibus non facile occurrat. Reizius autem προφάσιος δὲ τῆςδε δηλαδή, ὡς legendum censet, quam lectionem Bæhrius, Abichtius, Dietschius acceperunt, itemque Krüger, qui præterea ῥυοίατο in ῥυσοίατο mutavit. At, quamquam sane negari non potest esse, cur futurum exspectes, tamen propter futuri optativi raritatem audacius videtur ῥυσοίατο scribere, præsertim quum in oratione recta ἐπιθήσεσθαι μέλλω et ῥύονται ad idem tempus non inepte referri posse videantur [1]). — Alter locus est VII. 6 ἐξηλάθη — — ἐπ' αὐτοφώρῳ ἁλοὺς — — ἐμποιέων ἐς τὰ Μουσαίου χρησμόν, ὡς αἱ ἐπὶ Λήμνῳ ἐπικείμεναι νῆσοι ἀφανιζοίατο κατὰ τῆς θαλάσσης, quo loco Krüger ἀφανιοίατο legit. Quum tamen in oraculis et vaticiniis de rebus futuris præsens sæpe usurpetur, haud scio, an statui possit hoc loco præsentis optativum pro optativo futuri usurpatum esse [2]).

III.

Futuri Infinitivus.

Quemadmodum optativus, ita infinitivus futuri ad orationem obliquam primum pertinet et sæpissime post verba dicendi et sentiendi occurrit; deinde vero etiam post μέλλω, quod verbum, si propriam et principalem ejus significationem respicimus, sentiendi vim habere videtur, frequens est futuri infinitivi usus; tum etiam nonnulla alia sunt verba, quæ nonnumquam cum infinitivo futuri conjunguntur.

I. Jam antequam ad usum futuri infinitivi post dicendi et sentiendi verba transeamus [3]), illud monendum censemus, verba, quæ dicendi aut sentiendi me-

---

[1]) Optativus præsentis post μέλλοι sequitur etiam I. 210 τῷ δὲ ὁ δαίμων προέφαινε, ὡς αὐτὸς μὲν τελευτήσειν μέλλοι ἡ δὲ βασιληίη περιχωρέοι ἐς Δαρεῖον quo tamen loco quum difficilior ad explicandum videatur præsentis usus, haud scio, an assentiendum sit Krügero περιχωρέοι in περιχωρήσει mutanti. Eundem ab optativo præsentis verbi μέλλω ad indicativum futuri transitum invenias VIII. 70 ἀρρώδεον δὲ, ὅτι αὐτοὶ μὲν — ναυμαχέειν μέλλοιεν, νικηθέντες τε — — πολιορκήσονται. Cfr: De modis et temp. p. 17.

[2]) Cfr: De modis et temp. p. 19 not. 9.

[3]) Hunc futuri infinitivi usum jam in commentatione: *"De modis atque temporibus orationis obliquæ apud Herodotum"* pagg. 41—65; pp. 27—31 tractavimus sed una cum infinitivis ceterorum temporum. Quam ob rem non alienum videtur omnia, quæ ad futur infinitivi usum Herodoteum pertinent, hic uno loco exponere.

ram habeant significationem neque ad voluntatem indicandam abierint, de rebus futuris semper futuri infinitivo uti aut infinitivo præsentis vel aoristi cum ἄν juncto; locos autem illos, ubi aoristi infintivus de futuris rebus usurpari videatur, aut corruptos esse, ut aut aoristi infinitivus in futurum mutandus sit aut particula ἄν addenda, aut verbum, e quo pendet infinitivus, alia quadam uti significatione [1]).

A. *Dicendi* et *declarandi* verba cum futuri infinitivo conjuncta hæc sunt. — λέγω acc. c. inf. V. 90. VII. 49β. solus inf. VIII. 143 (neg. μή). — φημί acc. c. inf. I. 38. 39. 112. II. 13 (bis). III. 28. 36 (antec. præs. inf.). IV. 43 (antec. sol. inf. fut.). VI. 50. 76 (antec. præs.). 80 (omisso subjecto). VII. 10θ. 101. IX. 79. — Solus inf. I. 19. 37. 97 (δικᾶν). 164 (antec. præs.). III. 19. 39. 53. 58. 69. 74. 133. 135 (ter). IV. 9. 43. 84. 147 (οὐκ ἔφη μενέειν — ἀλλ' ἀποπλώσεσθαι, Steinius μένειν legit). 149 (bis). 162. 179 (2 inf.). V. 82. 92η (2 inf.). 103. VI. 86α. 106. 132. 133. VII. 10β. 38. 136 (bis). 222. VIII. 2 (2 inf.). 5 (2 inf.). 30 (2 inf.). 101. 113. 116. IX. 34. 53. (Obs. VI. 99 στρατευέεσθαι = στρατεύσεσθαι). — εἶπε φὰς VI. 67 αὐτὸς — — πεπειρῆσθαι, ἐκεῖνον δ' οὔ, τὴν μέντοι ἐπειρώτησιν — — ἄρξειν. — ἀμείβετο φὰς V. 39 τούτων οὐδέτερα ποιήσειν, ἐκείνους τε οὐ καλῶς συμβουλεύειν — — — οὐδέ σφι πείσεσθαι. — VII. 103 οἷον ἐφθέγξαο ἔπος, ἄνδρας χιλίους στρατιῇ τοσῇδε μαχήσεσθαι [2]) legendum videtur, ut est in nonnullis libris scriptum; apparet enim hunc infinitivum orationis rectæ μαχήσονται respondere; nisi quis forte statuit infinitivum aoristi in exclamatione usurpatum præteriti significationem amisisse, id quod tamen præcedente dicendi locutione, a qua quodam modo pendet, vix posse cogitari videtur. — εἶπον (l. εἶπα) a. c. i. I. 39. 110. II. 30 (post ὅτι anacoluthice I. 208). — ἐπιλέγομαι inf. VII. 49. 52. — λογίζομαι a. c. i. VIII. 136; inf. V. 35. VII. 176. — ἀμείβομαι a. c. i. V. 93 (ἦ μὲν); inf. VII. 149. — κρίνω a. c. i. VII. 19 antec. sol. inf. præs.

Postremo ea declarandi verba afferemus, quæ quum semper fere de futuris rebus usurpentur, longe sæpissime cum futuri infinitivo conjunguntur; qualia sunt verba *promittendi*, *minandi*, *vaticinandi* (et quodam modo *jurandi*).

---

[1]) De hac re confer: Madvigii Bemerkungen et c. III. Ueber die bedeutung des aorists im infinitiv pagg. 29—46 et Adversaria Critica I. Cap. IV. probabilitatis criticæ in rebus grammaticis æstimandæ leges explicantur et certo exemplorum genere declarantur pagg. 155—182.

[2]) Ita Steinius legit. Ab. Die. μαχέσασθαι, itemque Krüger citans præceptum illud Gr. I: 53. 6. 7 (9) de aoristo futurum indicante.

a) *Promittendi verba* ut latine sic græcæ semper fere futuri infinitivo utuntur. Occurrunt autem hæc apud Herodotum: *ὑποδέκομαι* a. c. i. V. 111 (neg. *μή*). VI. 11 (2 inf. neg. *οὐ*). — inf. I. 24 (*κατεργάσεσθαι*) [1]). III. 69 [1]). 74. IV. 119. 133. 148. VI. 2 [1]). 62. VII. 158. VIII. 29. 102. IX. 12. — *ἀναδέκομαι* inf. V. 91. — *ὑποδύω* VII. 134 *ποινὴν τίσειν,* Steinius tamen et Abichtius (ed. crit.) *τῖσαι* legunt, quæ lectio optime defendi potest, si verbo *ὑποδύω* tribuimus *suscipiendi* (*ἑτοῖμός εἰμι*) significationem. — *ὑπίσχομαι* l. *ὑπισχνέομαι* inf. III. 74. VII. 68. 215 [1]). IX. 16 [2]). — *ὑπίστημι* inf. IX. 94. — *προεῖπον* inf. I. 84 *τῷ πρώτῳ ἐπιβάντι δῶρα δώσειν.* — *ἐπαγγέλλομαι* inf. VIII. 142. — *εὔχομαι voveo, polliceor* inf. II. 181. IV. 76 *εὔξατο τῇ μητρὶ — θύσειν* [3]).

b) *Minandi verbum ἀπειλέω* cum inf. VI. 37 *σφέας πίτυος τρόπον ἠπείλεε ἐκτρίψειν* (bis); sine dubio etiam III. 124 ex uno codice legendum est *ἠπείλησε* — — *πολλόν μιν χρόνον παρθενεύσεσθαι*, quamquam editores præsens *παρθενεύεσθαι* retinent. — *ἐπαπειλέω* cum inf. I. 189 *οὕτω δή μιν ἀσθενέα ποιήσειν —.* (*ὡς* sequente ind. fut. II. 121*γ*).

c) *Vaticinandi* verba et locutiones dupplicem habent significationem. Aut enim, quid fiat, præcipitur, aut, quid eventurum sit, prædicitur. In priore significatione cum infinitivo vel præsentis vel aoristi, ut omnino verba jubendi in lingua græca, conjunguntur [4]). Altera significatione quum utuntur, legitimus est futuri infinitivi usus, ut post *χράω* a. c. i. II. 139. 147. 151. VII. 142.

---

[1]) Sunt quattuor loci — tres post *ὑποδέκομαι* I. 24. III. 69. VI. 2, quartus post *ὑπίσχομαι* VII. 215 — ubi quum libri manu scripti, tum editores inter formas *κατεργάσεσθαι* et *κατεργάσασθαι* dissentiunt. Dietschius et Krüger omnibus locis futurum legunt; III. 69. VI, 2. VII. 215 etiam Abicht. et Bæhr.; III. 69. VI. 2 etiam Steinius. At quamquam, credo, lectio *κατεργάσασθαι* defendi potest, si statuimus mutata nonnihil significatione *ὑποδέκεσθαι ὑπίσχεσθαι* idem esse quod *ἑτοῖμος ἔφη εἶναι* III. 75 (cfr *ἑτοῖμος ἦν* III. 137. 138. 144. 145. 147) *dixit se esse paratum*, tamen, opinor, hac in re ne nimium libris tribuamus, præsertim quum illis locis, ubi majus est formarum discrimen, semper post *ὑποδέκομαι* apud Herodotum futurum occurrat.

[2]) Alia significatione (*simulare, dicere se eum esse, qui*) præsenti utitur VII. 104 *οὔτε δέκα ἀνδράσι ὑπίσχομαι οἷός τε εἶναι μάχεσθαι οὔτε δυοῖσι.* — pf. II. 28 *οὐδεὶς ὑπίσχετο εἰδέναι.*

[3]) In precandi vel optandi significatione *εὔχομαι* cum inf. aoristi I. 27. 31. — *κατεύχομαι* cum præs. I. 132.

[4]) Cfr *χράω* cum inf. præs. IV. 150. 159. V. 1. 80; cum inf. aor. I. 69. 167; eodem modo *ἀνεῖλε* cum inf. præs. II. 52. VI. 34; *ἐγένετο χρηστήριον* I. 158 *ἐκδιδόναι.* — *χρηστήριον ἦλθε* VIII. 114 *αἰτέειν καὶ δέκεσθαι.* — VII. 189 *τὸν γαμβρὸν ἐπίκουρον καλέσασθαι.*

VIII. 51. Inf. fut. antecedente dativo III. 64. IV. 156. V. 44. VI. 76. — *ἀνεῖλον* dat. c. inf. fut. IX. 33 *Τισαμενῷ — ἀνεῖλε ἡ Πυθίη — ἀναιρήσεσθαι.* — *προαγορεύω*, antecedente dativo, acc. c. i. fut. I. 91 *προηγόρευε γάρ οἱ Λοξίης, ἢν στρατεύηται ἐπὶ Πέρσας, μεγάλην ἀρχὴν αὐτὸν καταλύσειν:* cfr I. 74 *τὴν δὲ μεταλλαγὴν — Θαλῆς — Ἴωσι προηγόρευε ἔσεσθαι.* — *προλέγω* I. 53 *προλέγουσαι Κροίσῳ, ἢν στρατεύηται ἐπὶ Πέρσας, μεγάλην ἀρχήν μιν καταλύσειν* [1]). — *ἀναίρεον εἶναι* de præsentibus VI. 69.

Sed etiam nonnullis locis, ubi nobis quidem ad res futuras prædicendas usurpatæ videntur hæ locutiones, cum præsentis vel aoristi infinitivo conjunguntur, quod in his verbis inesse potest significatio *fato constituere, ut aliquid fiat* [2]). Hujus rei unum est apud Herodotum exemplum VII. 220 *ἐκέχρηστο γὰρ ὑπὸ τῆς Πυθίης τοῖσι Σπαρτιήτῃσι — — — ἢ Λακεδαίμονα ἀνάστατον γενέσθαι ὑπὸ τῶν βαρβάρων ἢ τὸν βασιλέα σφέων ἀπολέσθαι:* responsum est fato constitutum esse, ut aut L. everteretur aut rex periret. Eodem modo post *λόγιόν ἐστι* VIII. 60 *ἡμῖν λόγιόν ἐστι τῶν ἐχθρῶν κατύπερθε γενέσθαι.*

Utraque significatio et præcipiendi et prædicendi nonnumquam uno loco occurrit, ut primum sequatur præsens vel aoristus, deinde futurum. Ut VII. 178 — *καί σφι ἐχρήσθη ἀνέμοισι εὔχεσθαι· μεγάλους γὰρ τούτους ἔσεσθαι τῇ Ἑλλάδι συμμάχους.* Cfr V. 89 *ἦλθε μαντήιον ἐκ Δελφῶν — — — ἄρχεσθαι τοῦ — πολέμου καί σφι χωρήσειν τὰ βούλονται· ἢν δὲ — —, πολλὰ μέν σφεας — — πείσεσθαι πολλὰ δὲ καὶ ποιήσειν, τέλος μέντοι καταστρέψεσθαι.* 114 *ἐμαντεύθη σφι — θάψαι — θύειν — καί σφι ποιεῦσι ταῦτα ἄμεινον συνοίσεσθαι.*

d) E *jurandi* verbis *ὄμνυμι* cum futuro occurrit I. 165 *ὤμοσαν μὴ πρὶν ἥξειν —.*

---

1) *καταλύσειν* St., Ab., Die. (1872), *καταλῦσαι* Kr., Lh., Bæhr., Joh. — *καταλύσαι*(?) Flemmer.

2) Madv.: Bemerkungen pag. 44 et Adversaria Critica I. pag. 176, ubi tamen nimis acerbe Steinium reprehendere videtur, quod VII. 220 (in editione commentariis instructa 1866) "pessime ex uno nullius auctoritatis libro pro *γενέσθαι*, quod librarii non tam facile attrectare poterant, *ἔσεσθαι* posuit, deinde ex paulo pluribus *ἀπολέεσθαι*." Nam ille liber, in quo *ἔσεσθαι* est, semper fere illis locis, ubi in ceteris aoristus non recte usurpatus invenitur, futurum præbet; unde forsitan colligi possit hoc loco legendum esse *ἔσεσθαι* l. *γενήσεσθαι*. At tamen quum satis constet ad vaticinandi locutiones præsentis vel aoristi infinitivum nonnumquam occurrere, ubi futurum exspectares, haud scio, an melius et tutius sit hoc loco auctoritati codicum aliquid tribuere. Præterea Steinius ipse in editione critica — *γενέσθαι* — *ἀπολέσθαι* — legit, itemque ceteri editores, excepto Abichtio, qui — miro sane temporum discrimine — *γενέσθαι* — *ἀπολέεσθαι* — legit.

ἐπόμνυμι. V. 106 θεοὺς ἐπόμνυμι — μὴ μὲν πρότερον ἐκδύσεσθαι [1]) — κιθῶνα — [2]). — ἐξορκόω III. 133 ἐξορκοῖ μιν ἦ μὲν οἱ ἀντυπουργήσειν. IV. 154 ἐξορκοῖ ἦ μέν οἱ διηκονήσειν. — Aliæ locutiones huc pertinentes sunt I. 29 ὁρκίοισι μεγάλοισι κατείχοντο δέκα ἔτεα χρήσεσθαι νόμοισι, τοὺς ἄν σφι Σόλων θῆται. I. 82 ἐποιήσαντο νόμον καὶ κατάρην μὴ πρότερον θρέψειν κόμην Ἀργείων μηδένα μηδὲ τὰς γυναῖκας — — χρυσοφορήσειν. I. 196 ἐγγυητὰς καταστήσαντα ἦ μὲν συνοικήσειν —. III. 74 πίστι τε λαβόντες καὶ ὁρκίοισι ἦ μὲν ἕξειν — μηδ' ἐξοίσειν —. VI. 74 ἄλλους ὅρκους προσάγων σφι ἦ μὲν ἕψεσθαι. IX. 91 δοὺς πίστιν — — ἦ μὲν Σαμίους ἡμῖν προθύμους ἔσεσθαι συμμάχους. — IX. 106 πίστι τε καταλαβόντες καὶ ὁρκίοισι ἐμμενέειν [3]) τε καὶ μὴ ἀποστήσεσθαι [4]).

B. Verba *sentiendi* (cognoscendi, existimandi, sperandi et exspectandi). — φαίνομαι inf. VII. 49 προφαίνω a. c. i. III. 65. — οἶκα fut. cum præs. VII. 162. οἰκός VIII. 68β. — δοκέω, quod verbum significatione et passiva (= *videor*) et activa (= *puto, existimo*) utitur. In illa significatione personali constructione cum dativo conjunctum cum fut. inf. occurrit II. 13 δοκέουσί μοι Αἰγυπτίων οἱ ἔνερθε τῆς λίμνης τῆς Μοίριος οἰκέοντες — — πείσεσθαι. Inter passivam autem et activam significationem quasi medium tenere locum videntur illi loci, ubi δοκέω cum solo infinitivo conjungitur, neque apponitur aut auditur dativus quidam illum, cui aliquid quodam modo se habere videtur, indicans; inf. fut. I. 31 δοκέων — δευτερήια γῶν οἴσεσθαι. III. 64 ἐδόκεε τελευτήσειν. 155. V. 35. VI. 41. VII. 213. VIII. 40. 136. IX. 3. 88. 106. 108. 114. — In activa significatione cum acc. c. inf., quamquam nonnullis locis omissus est accusativus ille I. 81 δοκέων οἱ χρόνον ἐπὶ μακρὸν ἔσεσθαι τὴν πολιορκίην. 141. III. 138.

---

[1]) ἐκδύσεσθαι Kr. eumque sequentes Ab. et St. (1866) legunt; contra ἐκδύσασθαι Bæhr., Stein. (ed. critica), Dietsch., Johanss. — Cum aoristo de præteritis ὄμνυμι legitur II. 179 χρῆν ὀμόσαι μὴ μὲν ἑκόντα ἐλθεῖν.

[2]) ἐπόμνυμι sq. or. recta I. 212 ἦ μὲν — — σε κορέσω.

[3]) Nonnulli libri ἐμμένειν.

[4]) Ad similes locutiones aoristi infinitivus occurrit I. 146 — αἱ γυναῖκες νόμον θέμεναι — ὅρκους ἐπήλασαν — μή κοτε ὁμοσιτῆσαι, ubi inf. ad νόμον refertur. — VII. 132 τὸ δὲ ὅρκιον ὧδε ἔσχε· ὅσοι — ἔδοσαν — τούτους δεκατεῦσαι τῷ ἐν Δελφοῖσι θεῷ. — Præs. inf. legitur. IV. 201 τὴν δὲ ὁμολογίην ἐποιεῦντο τοιήνδε τινά, ἐπὶ τῆς κρυπτῆς τάφρου τάμνοντες ὅρκια, ἔστ' ἂν ἡ γῆ αὕτη οὕτω ἔχῃ, μένειν τὸ ὅρκιον — καὶ Βαρκαίους τε ὑποτελέειν φάναι κ. τ. λ., ubi haud scio, an omittendum sit illud φάναι, quod editores plurimi uncis intercluserunt. — Cfr IX. 26 ὅρκια ἐπὶ λόγῳ τοιῷδε — κατιέναι — ἀπαλλάσσεσθαι — ἄγειν — —.

146. IV. 146. V. 15. 29. 30. VI. 102. VII. 32. 38. 147 (2 inf.). 168. 206. VIII. 68β. 86 (θεήσεσθαι) [1]). 106. 108 (bis). 130. IX. 56. 57. — IX. 109 credibile est legendum esse ὁ δὲ πᾶν ἂν μᾶλλον δοκέων ἐκείνην αἰτῆσαι [2]), ὑπισχνέετο καὶ ὤμοσεν — ἐπίσταμαι acc. c. inf. VII. 172. — γινώσκω I. 78 antec. præs. — νομίζω II. 82 (ἰέναι IX. 53). — πιστεύω dat. cum inf. fut. IV. 44. τοῖσι ἐπίστευε τὴν ἀληθείην ἐρέειν — (VIII. 110 τοῖσι ἐπίστευε σιγᾶν ἐς πᾶσαν βάσανον ἀπικνευμένοισι). — ἀπιστίη μεγάλη ὑπεκέχυτο II. 152 χαλκέους οἱ ἄνδρας ἥξειν ἐπικούρους. — οἴομαι acc. c. inf. IX. 89. — ὑποπτεύω acc. c. inf. III. 77. — συμβάλλομαι inf. VI. 107.

Sperandi et *exspectandi* vocabula (qualia sunt ἐλπίζω, ἔλπομαι, ἐλπίς, προσδοκάω, προσδέκομαι) quum de rebus futuris usurpantur, semper fere futuri infinitivo utuntur. Ut apud Herodotum invenimus post ἐλπίζω acc. c. inf. I. 56 ἐλπίζων ἡμίονον οὐδαμὰ ἀντ' ἀνδρὸς βασιλεύσειν Μήδων· οὔτ' ὦν αὐτὸς οὐδὲ οἱ ἐξ αὐτοῦ παύσεσθαί κοτε τῆς ἀρχῆς III. 143. VI. 140. VII. 192. 210. 212 (cum perf. inf.). VIII. 96. IX. 13. — Solus inf. I. 50 ἐλπίζων τὸν θεὸν μᾶλλόν τι τούτοισι ἀνακτήσεσθαι. 54. 56 (antec. a. c. i.). 71. III. 130. VI. 29. VII. 10α. 17. 168. VIII. 10. 12. 19. 24. 74. IX. 4. — κατελπίζω VIII. 136 [ἐλπίζω cum ὡς sequente fut. ind. VII. 157]. — ἔλπομαι acc. c. inf. VI. 109. VII. 218. — ἀελπτέω acc. c. inf. VII. 168. — οὐδεμίαν ἐλπίδα ἔχειν acc. c. inf. VI. 11. IX. 106. — πολλὰς ἔχειν ἐλπίδας acc. c. inf. III. 122. V. 30; solus inf. V. 35. 36 [3]). — Quemadmodum autem apud græcos pro indicativo

---

[1]) θεήσεσθαι Bæhr., Kr., Ab.; θεήσασθαι Stein.

[2]) Cfr Madv. Adv. Crit. I. p. 182. Bemerkungen pag. 44. Kühner § 389 e. An. 8 (pag. 164). — Unus codex αἰτήσεσθαι præbet; cfr VII. 38 Ξέρξης δὲ πᾶν μᾶλλον δοκέων μιν χρηίσειν.

[3]) Sunt autem etiam loci non ita pauci, ubi sperandi vocabula cum infinitivo vel præsentis vel perfecti conjuncta occurrunt. Fieri enim potest, ut aliquis de rebus præsentibus aut præteritis spem habeat, quum sciat rem factam esse neque, quorsus evaserit, cognoverit. Aliis autem locis Herodoteis factum est, ut ad ἐλπίζω et ἔλπομαι sperandi significatio omnino evanesceret et in credendi, putandi vel etiam timendi significationem abiret. — Itaque occurrit post ἐλπίζω acc. c. inf. præs. I. 22 ἐλπίζων σιτοδείην τε εἶναι καὶ τὸν λεὼν τετρῦσθαι. 27. 75. III. 62 ἐλπίσας μιν λέγειν ἀληθέα αὐτός τε προδεδόσθαι. 157. IV. 135. VIII. 108. IX. 110. — Solus inf. præs. I. 30 ἐλπίζων εἶναι ἀνθρώπων ὀλβιώτατος. — Acc. c. inf. perf., præter I. 22. III. 62 cum præsenti, IV. 84 ἐλπίζων τοὺς υἱέας στρατηίης ἀπολελύσθαι VII. 212. ἐλπίσαντές σφεας κατατετρωματίσθαι τε καὶ οὐκ οἵους τε ἔσεσθαι. — ἔλπομαι a. c. i. præs. VII. 237. IX. 13 ἐλπόμενός τί οἱ κακὸν εἶναι. — πολλὰς ἔχειν ἐλπίδας a. c. i. præs. III. 119. — Infinitivus cum ἄν, orationis rectæ indicativo cum ἄν respondens, his locis occurrit II. 26 διεξιόντα δ' ἄν μιν διὰ πάσης Εὐρώπης ἔλπομαι ποιέειν ἂν τὸν Ἴστρον τά περ νῦν ἐργάζεται τὸν Νεῖλον et II. 120 ἐγὼ μὲν ἔλπομαι, εἰ

futuri optativus præsentis vel aoristi adjuncta particula ἄν, ut res quædam modestius affirmetur, persæpe occurrit, ita pro infinitivo futuri præsentis vel aoristi infinitivum cum particula ἄν non raro invenimus, et quidem apud Herodotum post ἐλπίζω III. 51. — οὐδαμὰ ἐλπίζων ἡμίονον ἂν τεκεῖν. — post ἔλπομαι II. 11 ἐγὼ μὲν γὰρ ἔλπομαί γε καὶ μυρίων ἐντὸς χωσθῆναι ἄν. — ἐπίδοξος cum fut. VI. 12 πολλοὶ δὲ ἐπίδοξοι τὠυτὸ τοῦτο πείσεσθαι [1]). — προσδοκάω acc. c. inf. I. 43 παῖδα — σὸν — — ἀπήμονα προσδόκα τοι ἀπονοστήσειν VII. 235 (bis). — Solus inf. VII. 156. — προσδέκομαι acc. c. inf. III. 62 προσδέκεό τοι καὶ Ἀσινάγεα τὸν Μῆδον ἐπαναστήσεσθαι V. 34. VI. 100. VII. 235. VIII. 130 (2 inf.); [particip. futuri I. 89; ὡς sq. ind. fut. IX. 48].

Ex illis autem locis, quos antea indicavimus, nonnulli sunt, ubi, quum inter infinitivum et verbum illud, ad quod refertur, verba quædam interposita sint, haud sciam, an infinitivus ille rectius ad ipsam orationem obliquam pertinere quam a verbo antecedenti pendere statuatur. — Ut I. 112 ἐπιφοιτήσειν γὰρ κατασκόπους ἐξ Ἁρπάγου ἐποψομένους, ἀπολέεσθαι τε κάκιστα κ. τ. λ. ubi ex antecedenti οὐκ ἔφη audiendum est ἔφη. — III. 69 — — ὅμως μέντοι ποιήσειν ταῦτα. — VI. 132 φὰς αὐτοὺς καταπλουτιεῖν, ἤν οἱ ἕπωνται, ἐπὶ γὰρ χώρην τοιαύτην δή τινα ἄξειν —. VII. 136 αὐτὸς δὲ — ταῦτα οὐ ποιήσειν VIII. 30 ἀλλ' οὐκ ἔσεσθαι ἑκόντες εἶναι προδόται. — Loco autem illo III. 133 ὁ δὲ φὰς ὑγιέα ποιήσειν ἐξορκοῖ μιν ἦ μέν οἱ ἀντυπουργήσειν ἐκείνην τοῦτο, τὸ ἂν αὐτῆς δεηθῇ, δεήσεσθαι δὲ οὐδενὸς τῶν κ. τ. λ. ex antecedenti ἐξορκοῖ ad δεήσεσθαι audiendum esse videtur ἔφη.

Satis constat, si multæ enuntiationes explicativæ uno loco occurrant, ut ceteros scriptores, ita Herodotum, postquam ab ὡς vel ὅτι initium factum est, ad infinitivum in iis, quæ sequuntur, transire [2]). Et quidem futuri infinitivus his locis occurrit I. 2 ὑποκρίνασθαι, ὡς οὐδὲ ἐκεῖνοι Ἰοῦς τῆς Ἀργείης ἔδοσάν σφι δίκας τῆς ἁρπαγῆς· οὐδὲ ὦν αὐτοὶ δώσειν ἐκείνοισι. II. 139 οὐκ ὦν ποιήσειν ταῦτα. 141 post ὡς causale θαρρύνειν, ως οὐδὲν πείσεται ἄχαρι — —. αὐτὸς

καὶ αὐτὸς Πρίαμος συνοίκεε τῇ Ἑλένῃ, ἀποδοῦναι ἄν: credo ipsum Priamum Helenam redditurum fuisse. — His autem locis ἐλπίζω adeo in timendi significationem abiit, ut cum μὴ particula conjungeretur I. 77 οὐδαμὰ ἐλπίσας – μή κοτε – — Κῦρος ἐλάσῃ ἐπὶ Σάρδις et VIII. 53 οὔτ' ἂν ἤλπισε, μή κοτέ τις κατὰ ταῦτα ἀποβαίη ἀνθρώπων.

[1]) ἐπίδοξος cum inf. aor. I. 89 τάδε τοι ἐξ αὐτῶν ἐπίδοξα γενέσθαι.

[2]) Cfr Kr. I. 65. 11. 6. — Kühn. § 550. Anm. 3. — Madv. § 159. Anm. 4. — Herodotea exempla, quæ huc pertinent, collegimus et in ordinem disposuimus: De modis atque temporibus, pagg. 27—29.

γάρ οἱ πέμψειν [1]) τιμωρούς. 162 ὑποκρίνεσθαι, ὡς ταῦτα πάλαι παρασκευάζεται ποιέειν, καὶ αὐτῷ οὐ μέμψεσθαι Ἀπρίην· παρέσεσθαί γὰρ καὶ αὐτὸς καὶ ἄλλους ἄξειν. — VII. 203 εἶναι δὲ θνητὸν οὐδένα οὐδὲ ἔσεσθαι, τῷ κ. τ. λ. VIII. 61. — ἐδήλου λόγῳ, ὡς εἴη καὶ πόλις καὶ γῆ — —· οὐδαμοὺς γὰρ Ἑλλήνων αὐτοὺς ἐπιόντας ἀνακρούσεσθαι. 108 τροφήν τε ἕξειν σφέας τὸν ἐπέτεον αἰεὶ τῶν Ἑλλήνων καρπόν. 111 καὶ τούτων τῶν θεῶν ἐπηβόλους ἐόντας Ἀνδρίους οὐ δώσειν χρήματα. IX. 93 αὐτοὶ γάρ ἐπορμῆσαι τοὺς λύκους, οὐ πρότερόν τε παύσεσθαι τιμωρέοντες — —. τούτων δε τελεομένων αὐτοὶ δώσειν Εὐηνίῳ κ. τ. λ. — Huc etiam referendus videtur locus ille IV. 137 — ἦν γνώμη — Ἱστιαίου δὲ τοῦ Μιλησίου ἐναντίη ταύτῃ, λέγοντος, ὡς νῦν μὲν διὰ Δαρεῖον ἕκαστος τυραννεύει πόλιος, τῆς Δαρείου δὲ δυνάμιος καταιρεθείσης οὔτε αὐτὸς Μιλησίων οἷός τε ἔσεσθαι ἄρχειν οὔτε ἄλλον οὐδένα οὐδαμῶν· βουλήσεσθαι γὰρ κ. τ. λ.; quo loco lectionem librorum ἔσται in ἔσεσθαι auctore Reizio editores omnes præter Gaisfordium et Schweighäuserum commutaverunt. Et quum proxime sequatur accusativus ἄλλον, ad quem intelligatur ἔσεσθαι necesse est, tutius videtur ἔσεσθαι legere, præsertim quum de fide atterius loci, ubi post enuntiationem explicativam ab ὡς incipientem sequitur accusativus omisso infinitivo VII. 162 δῆλα γὰρ ὡς ἐν τῷ ἐνιαυτῷ ἐστι τὸ ἔαρ δοκιμώτατον, τῆς δὲ τῶν Ἑλλήνων στρατιῆς τὴν ἑωυτοῦ στρατιήν editores vulgo dubitent. Neque vero nominativus ille αὐτὸς ad genitivum λέγοντος relatus aliquid habebit, quod offendat, si, quot vocabula interposita sint, considerabimus [2]). — Anacoluthice autem Herodotus post particulam ὅτι, nullo interposito verbo finito, mox ad futuri infinitivum transiit I. 207 εἶπον μὲν καὶ πρότερόν τοι, ὅτι, ἐπεί με Ζεὺς ἔδωκέ τοι, τὸ ἂν ὁρέω σφάλμα ἐὸν οἴκῳ τῷ σῷ, κατὰ δύναμιν ἀποτρέψειν, ubi ὅτι positum videtur eam potissimum ob rem, ut indicet, ad utram sententiam referatur enuntiatio temporalis [3]).

Nonnumquam fit, ut infinitivus ad nullum verbum antecedens pertineat sed ex antecedenti jubendi, petendi, suadendi vocabulo repetendum sit dicendi ver-

---

[1]) Steinius tamen πέμψει legit.

[2]) Quamquam enim constat, ea vocabula, quæ ad infinitivum verbi εἶναι posita ad genetivum vel dativum quendam enuntiationis regentis referuntur, illius vocabuli, quod respiciunt, casu, potissimum uti (cfr Kr. I. 55. 2. 5. Madv. § 158. b. Kühn. § 475. 6. Her. I. 176 τῶν δὲ νῦν Λυκίων φαμένων Ξανθίων εἶναι I. 36. II. 19. III. 75. IV. 16. Xen. Cyr. VI. 1. 34 ἐπὶ τῷ κρείττονι τοῦ ἔρωτος φάσκοντι εἶναι, tamen nonnulli loci occurrunt, ubi anacoluthice post casum obliquum apud infinitivum nominativus occurrit cfr Kühn. § 475. 6 Anm. 4, ubi hic ipse locus affertur.

[3]) Cfr Melander: De Anacoluthis Herodoteis pagg. 55, 56.

bum, ut post κελεύω intelligitur λέγω, φημί: I. 170 ἐκέλευε πλώειν — κτίζειν — — καὶ οὕτω — σφέας — εὐδαιμονήσειν IV. 15 — Πυθίην σφέας κελεύειν πείθεσθαι τῷ φάσματι, πειθομένοισι δὲ ἄμεινον συνοίσεσθαι. V. 82 — ἐκέλευε — — ἱδρύσασθαι καί σφι ἱδρυσαμένοισι ἄμεινον συνοίσεσθαι. VII. 239 τὸν κηρὸν κνᾶν κελεύουσα καὶ εὑρήσειν σφέας γράμματα ἐν τῷ ξύλῳ IX. 109 ἐκέλευσε αὐτὴν αἰτῆσαι ὅ τι βούλεται — —· πάντα γὰρ τεύξεσθαι αἰτήσασαν. — Eodem modo V. 125 — — ἐς οὐδετέρην στέλλειν ἔφερε ἡ γνώμη, ἐν Λέρῳ δὲ — ἡσυχίην ἄγειν, ἢν ἐκπέσῃ ἐκ τῆς Μιλήτου· ἔπειτεν δε ἐκ ταύτης ὁρμεόμενον κατελεύσεσθαι ἐς τὴν Μίλητον [1]). — VI. 52 ὑποθέσθαι — τοῦτον τὸν Πανίτην τάδε τοῖσι Λακεδαιμονίοισι, φυλάξαι τὴν γειναμένην, ὁκότερον τῶν παίδων πρότερον λούει καὶ σιτίζει· καὶ ἢν μὲν κατὰ ταὐτὰ φαίνηται αἰεὶ ποιεῦσα, τοὺς δὲ πᾶν ἕξειν — —, ἢν δε πλανᾶται — δῆλά σφι ἔσεσθαι — — ἐπ' ἄλλην τέ σφεας τράπεσθαι ὁδόν. — Cfr VIII. 19 παραίνεέ τε προειπεῖν — — πῦρ ἀνακαίειν· κομιδῆς δὲ πέρι τὴν ὤρην αὐτῷ μελήσειν, ubi tamen μελήσειν rectius fortasse ad antecedens ἔλεγε refertur. Cfr etiam IX. 41 καὶ ταχέως σφέας παραδώσειν τὴν ἐλευθερίην post (γνώμη ἦν) ὡς χρεὼν εἴη.

Sunt autem etiam nonnulla verba, quæ quum et jubendi et delarandi vim habere possint, uno loco utramque conjungant, ut primum infinitivus præsentis vel aoristi deinde inf. futuri sequatur, ut jam ad vaticinandi verba attulimus. Cfr etiam IV. 113 σημαίνουσα δύο γενέσθαι καὶ αὐτὴ ἑτέρην ἄξειν. VII. 149 προειπεῖν τοῖσι ἀγγέλοισι ἀπαλλάσσεσθαι, εἰ δὲ μή, περιέψεσθαι ὡς πολεμίους. II. 115 αὐτὸν δέ σε — — προαγορεύω — μετορμίζεσθαι, εἰ δὲ μή, ἅτε πολεμίους περιέψεσθαι.

In enuntiationibus orationis obliquæ secundariis quamquam persæpe infinitivus occurrit [2]), tamen perrarus est futuri infinitivi usus; occurrit in enuntiationibus relativis, in significatione consecutiva IX. 93 — δώσειν δόσιν τοιαύτην, τὴν πολλούς μιν μακαριέειν ἔχοντα, in finali III. 135 ὁλκάδα οἱ ἔφη συμβαλέεσθαι, τὴν ἅμα οἱ συμπλώσεσθαι. — Post ὥστε fut. inf. I. 189 ἐπηπείλησε οὕτω δή μιν ἀσθενέα ποιήσειν, ὥστε καὶ γυναῖκάς μιν τὸ γόνυ οὐ βρεχούσας διαβήσεσθαι, ubi διαβήσεσθαι διαβήσονται orationis rectæ videtur respondere [3]). At

---

[1]) Kr. in commentariis hujus loci κατελεύσεσθαι non ab ἔφερε γνώμη sed ab εἶπε quodam, quod ex ἔφ. γν. repetendum est, pendere. Contra Abichtius: "Die Infinitive ἡσυχίην ἔχειν und κατελεύσεσθαι sind abhängig von dem aus γνώμη zu ergänzenden ἐκέλευσε." Sed apparere videtur futurum κατελεύσεσθαι non bene ad jubendi vel suadendi verbum referri.

[2]) Cfr De modis atque temporibus pagg. 85—96.

[3]) Cfr I. 199 οὐκ οὕτω μέγα τί οἱ δώσεις, ὥς μιν λάμψεαι.

contra IV. 136 *τὸν δὲ πρότερον ἐόντα ὑμέων δεσπότην ἡμεῖς παραστησόμεθα οὕτω, ὥστε ἐπὶ μηδαμοὺς ἔτι ἀνθρώπους στρατεύσασθαι* emendatio Madvigii [1]) *στρατεύσεσθαι* legentis plane supervacanea est, quum perrarus sit in enuntiationibus consecutivis futuri infinitivi usus, at contra post futurum verbi regentis *ὥστε* cum infinitivo aoristi vel præsentis sæpe occurrat [2]). — VIII. 57 Steinius legit *ἤν κως δύνῃ ἀναγνῶσαι Εὐρυβιάδην μεταβουλεύσασθαι, ὥστε αὐτοῦ μενέειν*, sed quum plurimi libri *μένειν* præbeant, haud scio, an inf. præsentis hoc loco præferendus sit [3]).

II. Illos autem futuri infinitivos, qui ad declarandi et sentiendi verba vel omnino in oratione obliqua occurrunt, ii sequantur infinitivi, quos post verbum *μέλλω* invenimus. Quo de verbo quum scripturus essem, diu multumque dubitavi, utrum, quum totam illam de futuri modis expositionem perfecissem, tum demum verbum *μέλλω* ut circumscriptum quoddam futurum tractarem, an hoc ipso loco, quum de infinitivo futuri quæreretur, de infinitivis post verbum *μέλλω* exponerem. Quum autem apud Herodotum post *μέλλω* longe frequentissimus sit futuri infinitivi usus, ad futuri infinitivum statui illud, quod de *μέλλω* dicturus essem, referre, præsertim quum non omnibus sane locis *μέλλω* ita adhibeatur, ut ad futurum quodam modo circumscribendum usurpatum existimari possit.

Atque ut primum de singulis infinitivi temporibus ad verbum *μέλλω* usurpatis nonnihil commemoremus, ut apud Homerum et ceteros fere Græcorum scriptores, ita apud Herodotum infinitivi et præsentis et futuri et aoristi occurrunt, sed, ut jam supra dictum est, futuri infinitivus multo frequentissimus est (80 fere locis); præsentis autem infinitivus, quamquam non tam sæpe, quam apud posteriores scriptores, usurpatur, tamen non raro (35 fere locis) occurrit. Contra infinitivus aoristi perraro invenitur, et haud scio, an præter *γενέσθαι* — I. 34. II. 39. V. 92γ (ubi tamen Steinius *γίνεσθαι* legit). VII. 148. — nullus aoristus occurrat; nam IV. 146. VIII. 40, ubi Steinius *καταχρήσασθαι,*

---

[1]) Adversaria Critica I. p. 304; Ab. quoque et Die. (1872) *στρατεύσεσθαι* legunt. Sed, si Steinio fides habenda est, in libris aoristus legitur. Ceterum perrarus est post *ὥστε* usus fut. infinitivi; Xen. Cyr. V. 5. 30. autem, quem locum Kühner laudat § 584. a. α), credo legendum esse *εἴ τις τὴν γυναῖκα τὴν σὴν οὕτω θεραπεύσειεν, ὥστε φιλεῖν αὐτὴν μᾶλλον ποιήσειεν* (pro *ποιήσειν*) *ἑαυτὸν ἢ σέ* — —.

[2]) Cfr I. 9 — *μηχανήσομαι οὕτω, ὥστε μηδὲ μαθεῖν μιν ὀφθεῖσαν ὑπὸ σεῦ.* 116 *ἐγὼ ταῦτα ποιήσω, ὥστε σὲ καὶ τὸν παῖδα τὸν σὸν μηδὲν ἐπιμέμφεσθαι.* VI. 109 — *διασείσειν ὥστε μηδίσαι.* VIII. 19 — — *μελήσειν* — *ὥστε* — *ἀπικέσθαι.* 57 *οὔτε* — *κατέχειν δυνήσεται ὥστε μὴ οὐ διασκεδασθῆναι τὴν στρατιήν.*

[3]) Ab. et Kr. *μένειν.* Die (1866) *μενέειν*, (1872) *μένεειν* (= *μενέειν* an = *μένειν*?).

ποιήσασθαι legit, neque libri consentiunt aoristum esse legendum, et propter formarum similitudinem difficile est aoristum defendere; quam ob rem recte, credo, ceteri editores futurum legunt. — Si autem quæritur, quidnam inter infinitivos præsentis et futuri potissimum intersit discriminis, recte Krüger docet difficile esse aliquid pro certo affirmare. — Quod enim vir ille doctissimus statuit, præsentis infinitivum *tum* potius usurpari [1]), "wo eine positiv bevorstehende, *unmittelbare Verwirklichung* oder ein *dauernder Zustand* zu bezeichnen ist", futuri autem, "wo etwas, das sich eben nur *voraussehen* oder berechnen läszt, wie vorzüglich in allgemeinen Sätzen; daher ist besonders dieser zu übersetzen: *von dem sich erwarten, berechnen läszt, dasz"*; — ad multos locos illud quidem referri potest, ut VII. 197 ubi primum *θύεσθαι* bis occurrit de rebus iteratis *οὐκ ἔστι ὅκως ἔξεισι, πρὶν ἢ θύεσθαι μέλλῃ* et *πολλοὶ — — τῶν μελλόντων θύεσθαι,* postea vero de Athamante *μελλόντων μιν θύειν* et I. 118 *σῶστρα τοῦ παιδὸς μέλλω θύειν:* at contra I. 132 *μέλλοντες θύειν: quum (quotiescunque) immolaturi sunt.* Neque satis causæ esse videtur, cur statuamus præsentis infinitivum usurpari de iis, vel quæ quis mox facturus sit, vel quæ brevi eventura sint, futurum autem de iis, quæ ad tempus magis remotum pertineant [2]). Illud fortasse dignum est, quod afferatur, infinitivum præsentis maxime adhiberi eorum verborum, quæ in præsenti significationem ad futurum prope accedentem habeant, ut *γίνεσθαι* III. 16. 43. 65. V. 24. 92γ (idem fere, quod *ἔσεσθαι*, quod I. 46. 175. III. 65. V. 98. VI. 27. VII. 161. 194 — *διαφυγὼν ἔσεσθαι* —. 219. 233. VIII. 2. 76. 96. 104. IX. 9. 100. 101; præsens *εἶναι* non nisi I. 120) et verborum, quæ motum quendam significant — quorum infinitivi præsentis etiam alia post verba occurrunt, ubi futurum exspectares — ut *στρατεύεσθαι* III. 25. IV. 97. V. 44. 86. VII. 10α. — *πορεύεσθαι* VII. 26. — *διαβαίνειν* VII. 172. 174; *ἐκβαίνειν* VII. 231. — *ἄγειν* I. 53. IV. 79 (*ἐς χεῖρας ἄγεσθαι* — VII. 8 *ἐς χεῖρας ἄξεσθαι*). VI. 85. Ceterum observari potest infinitivum præsentis sæpissime usurpari post participium verbi *μέλλειν,* post imperfectum futuri infinitivum semper fere adhiberi [3]).

---

[1]) I. 53. 8. 3.

[2]) Cfr I. 169 *εἰδέναι τὰ ἐκεῖνοι μέλλοιεν ποιέειν* et I. 21 *εἰδὼς τὰ Ἀλυάττης μέλλοι ποιήσειν,* III. 155 *τὰ ἔμελλον ποιήσειν,* V. 74. — *μελλόντων συνάπτειν μάχην* VI. 108, *συνάψειν* IV. 80. V. 75.

[3]) post *μέλλων* præs. inf. I. 53. 91. 132. III. 43. 65. 168. IV. 79. 97. V. 24. 92γ. VI. 108. VII. 26. 165. 172. 174. 197. 221. — post *ἔμελλον* non nisi III. 25. 57.

Atque ipsius verbi μέλλω significationem si respiciemus, apud Herodotum tum eam reperiemus, quæ apud Atticos scriptores frequentissima est, ut de eo, quod quis facturus sit vel quod futurum sit, usurpetur, tum illam, quæ Homerico scribendi usui magis propria est, ut significet, aut quæ a deo aliquo vel ipso fato constituta sint, aut quæ cum indole et moribus alicujus conveniant [1]). Sed hæc, quam posteriorem dixi, significatio Homerica non longe abest ab illa, quam grammatici recte dicunt apud Atticos occurrere de eo, quod ut fiat exspectetur vel quod futurum esse aliquis speret [2]). In qua significatione verbum μέλλω prope accedit ad potentialem illum futuri indicativi usum in enuntiationibus relativis, quæ consecutivam vel finalem vim habent [3]). Ceterum quum verbum μέλλω a grammaticis vulgo ad futurum referatur et pro periphrastico quodam futuro habeatur, etiam observandum est hoc verbum usurpari posse ad eas formas, quibus futurum careat, quasi circumscribendas, ita ut in præterito ἔμελλον ποιήσειν non modo ad μέλλω ποιήσειν sed etiam ad ποιήσω respondeat. Itemque μέλλοιμι ποιήσειν et μέλλων ποιήσειν haud scio an nonnullis locis potius ad ποιήσω quam ad μέλλω ποιήσειν referenda sint, quum futuri optativus apud Herodotum perraro occurrat, participii autem futuri usus certis quibusdam terminis quasi circumscriptus sit, quos non facile transgrediatur; quos quidem in iis, quæ sequentur, afferemus. Sed jam in infinitivis, qui post μέλλω occurrunt, afferendis ita agemus, ut singula tempora et modos verbi μέλλω percurramus, quæ cum infinitivo conjungantur.

1. *Præsentis Indicativus μέλλω: in animo habeo, decrevi, in eo est, ut:* μέλλω ποιήσειν, ɔ: *facturus sum* a) cum inf. *præs.* I. 118 σῶστρα γὰρ τοῦ παιδὸς μέλλω θύειν. IV. 97 ἐπὶ γῆν μέλλεις στρατεύεσθαι. VII. 10α μέλλεις ἐπ' ἄνδρας στρατεύεσθαι. — b) *aor.* VII. 148 ἐπειρησομένους, ὥς σφι μέλλει ἄριστον ποιεῦσι γενέσθαι, quo tamen loco haud scio an ex uno codice μέλλοι

---

[1]) Cfr Kr. II. 53. 8. 3 et 4 et commentationem nostram "De temporum infinitivi usu Homerico", pagg. 56—61.

[2]) Kr. I. 53. 8 genauer: *es steht bevor, zu erwarten, dasz.* Cfr Anm. 3. — Curtius § 105 de μέλλω: Bezeichnet wird damit: 1) die unmittelbar vorstehende Handlung. — 2) ein der Natur der Sache nach *zu erwartendes Ereignisz* — —. In dieser Bedeutung steht regelmässig der Inf. Fut. — Koch § 102. 2. Anm. μέλλω ποιεῖν heisst nicht blos: *ich stehe im Begriff zu thun* sondern auch: *es steht zu erwarten, dasz ich thue, ich soll oder musz thun.*

[3]) Cfr Koch § 117. 3 b. Wird durch den consecutiven Relativsatz bezeichnet, dasz etwas im Folge einer *Fähigheit* oder *Beschaffenheit* sich erwarten läszt oder *eintreten kann*, so steht der Indic. Fut. als Modus der Erwartung.

legendum sit. — c) *fut.* VII. 8β μέλλω ζεύξας τὸν Ἑλλήσποντον ἐλᾶν στρατὸν — — ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα. 157 — πυνθάνεαι, ὅτι Πέρσης ἀνὴρ μέλλει — — — στρατηλατήσειν —. IX. 17 πρόδηλα γὰρ ὅτι ἡμέας οὗτοι οἱ ἄνθρωποι μέλλουσι προόπτῳ θανάτῳ δώσειν. — Mutata paulum significatione de eo, quod ut fiat, exspectari possit, ut prope absit ab illo Homerico B. 116 οὕτω που Διὶ μέλλει ὑπερμενέι φίλον εἶναι [1]) es *wird*, *mag*; I. 120 συμβουλεύσατέ μοι, τὰ μέλλει ἀσφαλέστατα εἶναι, quamquam hoc loco etiam antecedens illa: *quæ tutissima futura sunt*, optimam reddit sententiam, et VII. 9γ σοὶ δὲ δὴ μέλλει τις, ὦ βασιλεῦ, ἀντιώσεσθαι —;

2. *Imperfectum* autem verbi μέλλω et in primariis et in secundariis enuntiationibus multo sæpius quam indicativum præsentis invenimus, et semper fere cum infinitivo futuri conjunctum. Et nonnullis locis ea, quæ apud Homerum usitatissima est, significatio occurrit de iis, quæ aut ab aliquo deo aut ipso fato aut, ut ita dicam, rerum ordine constituta sunt II. 120 ἀλλὰ Ἕκτωρ καὶ πρεσβύτερος καὶ ἀνὴρ ἐκείνου μᾶλλον ἐὼν ἔμελλε αὐτὴν Πριάμου ἀποθανόντος παραλάμψεσθαι. VII. 194 τότε δὲ ἐς τοὺς Ἕλληνας διαπλώσας ἔμελλε οὐ τὸ δεύτερον διαφυγὼν ἔσεσθαι et fortasse etiam VIII. 96 τοῦτο δὲ ἔμελλε ἀπελάσαντος βασιλέος ἔσεσθαι et IX. 141 καὶ ἐν Μυκάλῃ ἔμελλε ὡσαύτως ἔσεσθαι. Post particulam εἰ VII. 143 οὐκ ἂν οὕτω μιν δοκέειν ἠπίως χρησθῆναι, ἀλλὰ ὧδε· Ὦ σχετλίη Σαλαμὶς — — εἴ πέρ γε ἔμελλον οἱ οἰκήτορες ἀμφ' αὐτῇ τελευτήσειν. — Ex hac significatione facilis est transitus ad alteram illam Homericam, de iis, quæ cum natura rerum quarundam aut cum indole et moribus hominis cujusdam conveniant, quam significationem jam diximus ad illam de iis, quæ exspectari possint, prope accedere. Hac significatione quum utitur verbum μέλλω, nonnumquam sententiæ adjuncta est particula quædam causalis vel conclusiva ut ἅτε, δή, δῆθεν, γάρ. — II. 43 εἴγε παρ' Ἑλλήνων ἔλαβον οὔνομά τευ δαίμονος, τούτων οὐκ ἥκιστα ἀλλὰ μάλιστα ἔμελλον μνήμην ἕξειν [2]). VII. 23 ἅτε γὰρ τοῦ τε ἄνω στόματος καὶ τοῦ κάτω τὰ αὐτὰ μέτρα ποιευμένων ἔμελλέ σφι τοιοῦτο ἀποβήσεσθαι. 139 οὗτοι γὰρ ἐπὶ ὁκότερα τῶν πρηγμάτων ἐτράποντο, ταῦτα ῥέψειν ἔμελλε. VIII. 6 καὶ ἔμελλον δῆθεν ἐκφεύξεσθαι [3]). 86 ἅτε γὰρ τῶν μὲν Ἑλλήνων σὺν κόσμῳ ναυμαχεόντων — — — ἔμελλε τοιοῦτό σφι συνοίσεσθαι, οἷόν περ ἀπέβη.

---

[1]) Cfr Kr. II. 53. 8. An. 1 et 2. — τὰ δὲ μέλλετ' ἀκουέμεν —. Μέλλει μέν πού τις καὶ φίλτερον ἄνδρα ὀλέσσαι. — Cfr commentationem nostram "De Temporum infinitivi usu Homerico" p. 57.

[2]) St. ἔμελλον μνήμην ἕξειν "muszten sich natürlich erinnern."

[3]) Cfr ea, quæ ad hunc locum disputat Abichtius.

IX. 98 *ἢ γὰρ δὴ λαθόντα τὰ ῥήματα τοὺς βαρβάρους ἔμελλε τοὺς Ἴωνας πείσειν, ἢ ἔπειτεν ἀνενειχθέντα ἐς τοὺς βαρβάρους ποιήσειν ἀπίστους.* 116 *ταῦτα λέγων εὐπετέως ἔμελλε ἀναπείσειν Ξέρξεα δοῦναι* — —. In enuntiationibus explicativis post *ὡς* III. 146 *εὖ ἐξεπιστάμενος, ὡς παθόντες οἱ Πέρσαι κακῶς προσεμπικρανέεσθαι ἔμελλον τοῖσι Σαμίοισι,* post *ὅτι* VIII. 141 *εὖ ἐπιστάμενοι, ὅτι ἔμελλον Λακεδαιμόνιοι πεύσεσθαι ἥκοντα παρὰ τοῦ βαρβάρου ἄγγελον ἐπ' ὁμολογίῃ, πυθόμενοί τε πέμψειν κατὰ τάχος ἀγγέλους.* In enuntiatione relativa I. 60 *ταύτην τὴν γυναῖκα σκευάσαντες πανοπλίῃ, ἐς ἅρμα ἐσβιβάσαντες καὶ προδέξαντες σχῆμα, οἷόν τι ἔμελλε εὐπρεπέστατον φανέεσθαι ἔχουσαν* — —.

Sequantur jam illi loci, ubi *ἔμελλον* de eo, quod vel quis facturus esset vel quod futurum esset, usurpatum est, quibus locis haud scio an jure dici possit *ἔμελλον ποιήσειν* non solum præteritum efficere præsentis *μέλλω ποιήσειν* sed etiam futuri *ποιήσω*. Quamquam quum sæpe fiat, ut non multum intersit inter has locutiones (*μέλλω ποιήσειν* — *ποιήσω*, *facturus sum* — *faciam*), dificile est omnibus locis dijudicare, utrum ad hanc an illam propius accedat *ἔμελλον* cum infinitivo conjunctum, præsertim quum in latina quoque lingua *facturus eram, essem* et ad *faciam* et ad *facturus sum* referri possit. — Occurrit autem hæc significatio in enuntiationibus primariis II. 163 *ἐν τε δὴ Μωμέμφι πόλι ἐγένοντο ἀμφότεροι, καὶ πειρήσεσθαι ἔμελλον ἀλλήλων.* V. 74 *Ἀθηναῖοι δὲ* — — *Βοιωτῶν μὲν καὶ Χαλκιδέων ἐσύστερον ἔμελλον μνήμην ποιήσεσθαι* —. VII. 193 *ἐνθεῦτεν γὰρ ἔμελλον ὑδρευσάμενοι ἐς τὸ πέλαγος ἀπήσειν* —. 206 *μετὰ δὲ* — — *ἔμελλον ὁρτάσαντες* — — *κατὰ τάχος βωθήσειν πανδημεί.* VIII. 40 *ἐπὶ γὰρ τοῖσι κατήκουσι πρήγμασι βουλὴν ἔμελλον ποιήσεσθαι* — —. Observandum est II. 120 *οὐ μὲν οὐδὲ ἡ βασιληίη ἐς Ἀλέξανδρον περιήιε* [1]), ubi *περιήιε* pro *ἔμελλε περιιέναι* usurpatum videtur, quamquam ceteris locis imperfectum verbi *ἰέναι* nullam habet futuri significationem. — In enuntiationibus explicativis post *ὡς* VII. 161 *ἐξήρκεε ἡμῖν* — — *ἡσυχίην ἄγειν ἐπισταμένοισι, ὡς ὁ Λάκων ἱκανός τοι ἔμελλε ἔσεσθαι καὶ ὑπὲρ ἀμφοτέρων ἀπολογεόμενος,* — post *ὅτι* *præs.* III. 25 *οὔτε λόγον ἑωυτῷ δοὺς ὅτι ἐς τὰ ἔσχατα γῆς ἔμελλε στρατεύεσθαι.* — *fut.* III. 1 *εὖ γὰρ ἠπίστατο, ὅτι οὐκ ὡς γυναῖκά μιν ἔμελλε Καμβύσης ἕξειν, ἀλλ' ὡς παλλακήν.* VII. 57 *εὐσύμβλητον ὦν τῇδε τοῦτο ἐγένετο, ὅτι ἔμελλε μὲν ἐλᾶν στρατιὴν ἐς τὴν Ἑλλάδα Ξέρξης* — — — *ὀπίσω δὲ περὶ ἑωυτοῦ τρέχων ἥξειν,* ubi haud scio, an *ἔμελλε* ad *ἥξειν* relatum illud significet, quod fato constitutum sit. — In enuntiationibus temporalibus post *ἐπεί præs.*

[1]) Stein. *περιήιε* ɔ: reditura erat.

III. 57 ἐπεὶ οἱ Λακεδαιμόνιοι αὐτοὺς ἀπολείπειν ἔμελλον, καὶ αὐτοὶ ἀπέπλεον ἐς Σίφνον. — *fut.* IV. 146 ἐπεὶ ὦν ἔμελλόν σφεας καταχρήσεσθαι, παραιτήσαντο αἱ γυναῖκες —. post ὡς VI. 29 — ὡς καταιρεόμενος ὑπ' αὐτοῦ ἔμελλε συγκεντηθήσεσθαι — — καταμηνύει ἑωυτόν. VII. 8 Ξέρξης — ὡς ἔμελλε ἐς χεῖρας ἄξεσθαι τὸ στράτευμα — — σύλλογον — ἐποιέετο —. post ὅτε VII. 144 Ἑτέρη Θεμιστοκλέι γνώμη — ἠρίστευσε, ὅτε — — ἔμελλον λάξεσθαι —. post πρότερον ἤ VIII. 7 οὐκ ἐν νόῳ ἔχοντες ταύτης τῆς ἡμέρης ἐπιθήσεσθαι, οὐδὲ πρότερον ἢ τὸ σύνθημά σφι ἔμελλε φανήσεσθαι παρὰ τῶν περιπλεόντων —. post ὅτι causale VII. 128 ἐπεθύμησε πλώσας θηήσασθαι τὴν ἐκβολὴν τοῦ Πηνειοῦ, ὅτι τὴν ἄνω ὁδὸν ἔμελλε ἐλᾶν — —. — In enuntiationibus relativis III. 155 Εἰ μέν τοι ὑπερετίθεα τὰ ἔμελλον ποιήσειν —. V. 98 — ἐξευρὼν βούλευμα, ἀπ' οὗ Ἴωσι μὲν οὐδεμία ἔμελλε ὠφέλεια ἔσεσθαι. — 106 ἐμὲ βουλεῦσαι πρῆγμα, ἐκ τοῦ σοί τι ἢ μέγα ἢ σμικρὸν ἔμελλε λυπηρὸν ἀνασχήσειν. VIII. 135 ἕπεσθαί οἱ — ἄνδρας τρεῖς — — ὡς ἀπογραψομένους, τὰ θεσπιέειν ἔμελλε. — IX. 66 εὖ ἐξεπιστάμενος, τὰ ἔμελλε ἀποβήσεσθαι ἀπὸ τῆς μάχης. 109 — πόλις τε ἐδίδου καὶ χρυσὸν — καὶ στρατόν, τοῦ ἔμελλε οὐδεὶς ἄρξειν ἀλλ' ἢ ἐκείνη. — post εἰ III. 146 — φθονήσας μᾶλλον Συλοσῶντι, εἰ ἀπονητὶ ἔμελλε ἀπολάμψεσθαι ἀκέραιον τὴν πόλιν.

3. *Conjunctivus præsentis* non occurrit nisi post conjunctiones temporales ad res iteratas, quæ ad futurum tempus pertinent, indicandas. Cujus constructionis caûsa in eo posita videtur, quod futuri indicativo non satis indicetur de rebus iteratis agi, præsentis autem aut aoristi conjunctivo res ad futurum tempus non satis referatur. Occurrit autem post ἐπεὰν cum *inf. præs.* VII. 209 ἐπεὰν μέλλωσι κινδυνεύειν τῇ ψυχῇ, τότε τὰς κεφαλὰς κοσμέονται. — Cum *inf. fut.* III. 72 ψεύδονται τότε, ἐπεάν τι μέλλωσι — — κερδήσεσθαι. VIII. 104 ἐπεὰν τοῖσι ἀμφικτίοσι — — μέλλῃ τι ἐντὸς χρόνου ἔσεσθαι χαλεπόν, τότε ἡ ἱρείη — — φύει πώγωνα μέγαν, quem tamen locum editores statuunt ex I. 175 huc non recte relatum esse. — post εὖτ' ἂν VI. 27 φιλέει — προσημαίνειν, εὖτ' ἂν μέλλῃ μεγάλα κακὰ ἢ πόλι ἢ ἔθνεϊ ἔσεσθαι. — post πρίν VII. 197 ἢν δὲ ἐσέλθῃ, οὐκ ἔστι ὅκως ἔξεισι, πρὶν ἢ θύσεσθαι μέλλῃ.

4. *Optativus præsentis* verbi μέλλω potissimum usurpatur in enuntiationibus explicativis ab ὡς vel ὅτι incipientibus et in interrogationibus obliquis vel in sententiis relativis, quæ ad interrogationes obliquas proxime accedant. Quod jam de imperfecto ἔμελλον dictum est, id etiam ad μέλλοιμι referri potest, neque a vero abhorrere videmur, si statuerimus, si ex optativo ad indicativum transitus fieret, futurum indicativi plurimis locis æque bene ac fortasse melius quam

μέλλω usurpari posse, utpote quum non admodum frequens sit præsentis indicativi verbi *μέλλω* apud Herodotum usus. Sunt autem non pauci loci, ubi *μέλλοιμι* ad Homericam significationem, de eo, quod a deo quodam vel fato constitutum sit, prope accedat; et quidem ii potissimum, ubi de vaticiniis et oraculis quæstio est. Occurrit autem optativus a) post *ὡς* explicativum cum *inf. fut.* I. 79 *μαθών, ὡς — — μέλλοι Κροῖσος διασκεδᾶν τὸν στρατὸν —*. 210 — *ὁ δαίμων προέφαινε, ὡς αὐτὸς μὲν τελευτήσειν — μέλλοι — —*. II. 133 — *ἐλθεῖν μαντήιον, ὡς μέλλοι ἓξ ἔτεα βιοὺς — — τελευτήσειν.* — IV. 135 *προφάσιος δὲ τῆσδε δηλαδὴ [ὡς] — — αὐτὸς ἐπιθήσεσθαι μέλλοι* (ubi *ὡς*, quod in libris non invenitur, addendum videtur). V. 92*δ* *ἐπισταμένη, ὡς, εἰ — — ἀπικοίατο, πάντα ἐρευνήσειν μέλλοιεν.* — cum *inf. præsentis* V. 86 *σφέας δὲ Αἰγινῆται λέγουσι πυθομένους τοὺς Ἀθηναίους, ὡς μέλλοιεν ἐπὶ σφέας στρατεύεσθαι, ἑτοίμους Ἀργείους ποιέεσθαι.* — b) post *ὅτι* explicativum *fut.* I. 108 *ἐσήμαινον, ὅτι μέλλοι ὁ τῆς θυγατρὸς — γόνος βασιλεύσειν ἀντὶ ἐκείνου.* III. 43 *ἔμαθε, ὅτι — — ἀδύνατον εἴη — —, καὶ ὅτι οὐκ εὖ τελευτήσειν μέλλοι Πολυκράτης — —*. V. 19 *συνεὶς ὁ Ἀμύντης, ὅτι νεώτερα πρήγματα πρήξειν μέλλοι Ἀλέξανδρος.* VIII. 65 *οὕτω δὲ αὐτοὺς μαθεῖν, ὅτι τὸ ναυτικὸν τὸ Ξέρξεω ἀπολέεσθαι μέλλοι.* — c) in interrogationibus obliquis — a pronomine interrogativo incipiente *fut.* I. 158 *εἰρώτεον — — ὁκοῖόν τι ποιέοντες θεοῖσι μέλλοιεν χαριεῖσθαι,* a relativo pronomine incipientibus *inf. præs.* I. 164 *ἔφη εἰδέναι μὲν εὖ, τὰ ἐκεῖνοι μέλλοιεν ποιέειν.* III. 16 *πυθόμενος ἐκ μαντηίου, τὰ περὶ ἑωυτὸν ἀποθανόντα μέλλοι γίνεσθαι —*. — *fut.* I. 21 *εἰδώς, τὰ Ἀλυάττης μέλλοι ποιήσειν.* — d) post *ὅτι causale præs.* VIII. 70 *ἀρρώδεον, ὅτι — — — — ναυμαχέειν μέλλοιεν* sq. fut. ind. — *fut.* II. 133 — — *ἀντιμεμφόμενον, ὅτι — — — αὐτὸς — μέλλοι τελευτήσειν.* — e) post *εἰ*, *aor.* II. 39 *καταρέονται δὲ τάδε λέγοντες τῇσι κεφαλῇσι, εἴ τι μέλλοι — — κακὸν γενέσθαι, ἐς κεφαλὴν ταύτην τραπέσθαι.* — *fut.* I. 24 *καὶ τοῖσι ἐσελθεῖν γὰρ ἡδονήν, εἰ μέλλοιεν ἀκούσεσθαι τοῦ ἀρίστου ἀνθρώπων ἀοιδοῦ.* III. 72 *εἰ δὲ μηδὲν κερδήσεσθαι μέλλοιεν, ὁμοίως ἂν ὅ τε ἀληθιζόμενος ψευδὴς εἴη καὶ ὁ ψευδόμενος ἀληθής —*. Mirum sane est, quod optativus occurrit ad præsens relatus post *ὅκως* I. 175 *τοῖσι ὅκως τι μέλλοι ἀνεπιτήδεον ἔσεσθαι, αὐτοῖσί τε καὶ τοῖσι περιοίκοισι, ἡ ἱρείη τῆς Ἀθηναίης πώγωνα μέγαν ἴσχει,* sed ita fortasse defendi potest, si statuimus Herodotum in enuntiatione secundaria id magis respicere, quod post enuntiationem primariam sequitur *τρίς σφι τοῦτο ἐγένετο* [1]).

---

[1]) Quod statuunt editores hanc narrationem non recte iteratam esse VIII. 104, equidem potius statuerim ab VIII. 104 locum illum huc translatum esse, præsertim quum valde du-

5. *Infinitivus præsentis* non occurrit nisi tribus locis, qui omnes præsentis infinitivo utuntur. V. 44 *τὸν χρόνον δὲ τοῦτον, ὡς λέγουσι Συβαρῖται, σφέας τε αὐτοὺς καὶ Τῆλυν τὸν ἑωυτῶν βασιλέα ἐπὶ Κρότωνα μέλλειν στρατεύεσθαι* et VII. 18 — *ἐδόκεε Ἀρτάβανος τὸ ὄνειρον* — — *ἐκκαίειν αὐτοῦ μέλλειν τοὺς ὀφθαλμούς*, et in enuntiatione temporali orationis obliquæ III. 87 *ὡς δὲ* — — *ἀπίεσθαι μέλλειν τοὺς ἵππους, τὸν Οἰβάρεα* — — *προσενεῖκαι* —.

6. *Participium præsentis verbi μέλλω* apud Herodotum sæpe reperimus. Ac si quæritur, quænam omnino inter *μέλλων* et participium futuri intercedat ratio, hoc apparere videtur, *μέλλων* magis ad futurum tempus significandum valere, futuri participium autem plurimis locis, ubi neque apposita sit particula *ὡς* neque ad sentiendi verbum prædicati loco referatur, magis ad finem vel consecutionem indicandam usurpari. Neque vero negari potest etiam participium verbi *μέλλειν* ad Homericas illas significationes, quas jam sæpe commemoravimus, nonnumquam proxime accedere. — Jam vero exponendum est, quibus potissimum modis apud Herodotum participium *μέλλων* usurpetur. a) Primum igitur occurrit cum articulo ad substantivum relatum vel ipsum pro substantivo usurpatum et quidem sæpissime cum infinitivis *γίνεσθαι* vel *ἔσεσθαι* conjunctum de iis, quæ fato constituta sint, sed etiam non raro cum aliis infinitivis ad futurum tempus indicandum *α*) cum inf. *præsentis* I. 53 *Τοῖσι δὲ ἄγειν μέλλουσι* — — *ἐνετέλλετο ὁ Κροῖσος* —. III. 43 — *ἐκκομίσαι ἀδύνατον εἴη ἀνθρώπῳ ἄνθρωπον ἐκ τοῦ μέλλοντος γίνεσθαι πρήγματος.* 65 *τὸ μέλλον γίνεσθαι ἀποτράπειν.* V. 24 *εὖ προορέων τὸ μέλλον γίνεσθαι.* 92γ *τὸν μέλλοντα Ἠετίωνι γίνεσθαι* (St., cet. *γενέσθαι*) *γόνον διαφθεῖραι.* VII. 26 *ἐνθαῦτα εἴρητο συλλέγεσθαι τὸν μέλλοντα ἅμα Ξέρξῃ πορεύεσθαι στρατόν.* 221 *εἴπαντα ἐκ τῶν ἱρῶν τὰ μέλλοντά σφι ἐκβαίνειν.* — *β*) inf. *aor.* I. 34 *τὴν ἀλήθειαν ἔφαινε τῶν μελλόντων γενέσθαι κακῶν κατὰ τὸν παῖδα.* V. 92γ? — *γ*) *inf. fut.* I. 45 — *αἴτιος* — *θεῶν κού τις, ὅς μοι καὶ πάλαι προεσήμαινε τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι.* III. 65 *τοῦ μέλλοντος ἔσεσθαι ἁμαρτὼν* —. VI. 98 *τοῦτο μέν κου τέρας ἀνθρώποισι τῶν μελλόντων ἔσεσθαι κακῶν ἔφηνε ὁ θεός.* VII. 197 *πολλοὶ ἤδη τῶν μελλόντων τούτων θύσεσθαι.* 219 *ἔφρασε τὸν μέλλοντα ἔσεσθαι ἅμα ἠοῖ σφι θάνατον.* 223 *ἐπιστάμενοι τὸν μέλλοντά σφι ἔσεσθαι θάνατον.* VIII. 2 — *ἔφασαν* — *λύσειν τὸ μέλλον ἔσεσθαι στράτευμα.* 76 *ἐν γὰρ δὴ πόρῳ τῆς ναυμαχίης τῆς μελλούσης ἔσεσθαι ἐκέετο ἡ νῆσος.* IX. 9 *τῇ προτεραίῃ τῆς ὑστάτης καταστάσιος*

---

bium mihi videatur, possitne optativus *μέλλοι* hic legi. Etiam illud *ἴσχει* insolitum videtur. Præterea si jam I. 175 narratum esset, vix opus esse videretur narrationem VIII. 104 iterare.

μελλούσης ἔσεσθαι. 100 — — *τῆς ἡμέρης συμπιπτούσης τοῦ τε ἐν Πλαταιῇσι καὶ τοῦ ἐν Μυκάλῃ μέλλοντος ἔσεσθαι τρώματος φήμη τοῖσι Ἕλλησι τοῖσι ταύτῃ ἐσαπίκετο*. — b) Apud *πυνθάνομαι* duobus locis ad prædicatum efficiendum cum *præs*. I. 27 *ἐπύθοντό σε μέλλοντα ἐπὶ σφίσι ναυπηγέεσθαι* —. VII. 172 *ἐπείτε γὰρ ἐπύθοντο τάχιστα μέλλοντα διαβαίνειν τὸν Π.* — c) Ad nomen quoddam vel pronomen relatum et quidem in temporali significatione cum *inf. præs*. I. 132 *οὔτε — οὔτε πῦρ ἀνακαίουσι μέλλοντες θύειν* (quotiescunque immolaturi sunt). IV. 79 *μέλλοντι δέ οἱ ἐς χεῖρας ἄγεσθαι τὴν τελετὴν ἐγένετο φάσμα μέγιστον*. 168 *τῷ βασιλέϊ — τὰς παρθένους μελλούσας συνοικέειν ἐπιδεικνύουσι*. — *fut*. III. 132 — *τοὺς Αἰγυπτίους ἰητροὺς — μέλλοντας ἀνασκολοπιεῖσθαι* — — *ἐρρύσατο*. — Fortasse etiam V. 72 *ὡς ἀνέβη ἐς τὴν ἀκρόπολιν μέλλων δὴ αὐτὴν κατασχήσειν, ἤιε* — —. In causali significatione positum videtur II. 120 *ἀποδοῦναι ἂν — μέλλοντά γε δὴ — ἀπαλλαγήσεσθαι*. Observandi sunt duo loci I. 91 *τὸν δὲ — χρῆν εὖ μέλλοντα βουλεύεσθαι, ἐπείρεσθαι* — et VIII. 109 *ταῦτα ἔλεγε ἀποθήκην μέλλων ποιήσεσθαι ἐς τὸν Πέρσην*. His tamen quattuor locis, quos postremos attuli, finalis quædam significatio participiis adjici potest, qualem habet participium futuri ad verba motum significantia. — d) Ad tempus indicandum *in genitivo absoluto*, ubi futurum participii non facile invenias, nisi addita particula *ὡς* *præs*. IV. 97 *μελλόντων δὲ τῶν Ἰώνων λύειν καὶ ποιέειν τὰ κελευόμενα, Κώης — — ἔλεξε Δαρείῳ τάδε* —. VI. 85 *μελλόντων δὲ ἄγειν τῶν Αἰγινητέων τὸν Λ. εἶπε* — —. 108 *μελλόντων δὲ συνάπτειν μάχην* —. VII. 174 *βασιλέος — μέλλοντος διαβαίνειν* —. 197 *μελλόντων μιν θύειν*. — *fut*. II. 151 *μελλόντων κατασπείσειν ὁ ἀρχιρεὺς ἐξήνεικέ σφι φιάλας χρυσέας*. IV. 43 *μέλλοντος αὐτοῦ — — ἀνασκολοπιεῖσθαι —, ἡ μήτηρ — — παραιτήσατο* —. 80 *μελλόντων δὲ αὐτῶν συνάψειν, ἔπεμψε* —. V. 75 *Μελλόντων δὲ συνάψειν τὰ στρατόπεδα ἐς μάχην, Κορίνθιοι* — —.

III. Jam quum illos futuri infinitivos, qui post dicendi et sentiendi verba et qui post *μέλλω* occurrunt, attulimus, reliquum est, ut illos locos afferamus, ubi post alia verba infinitivus occurrit [1]), qui quidem loci non multi sunt. — Et primum quidem sunt nonnulla verba et locutiones, quæ quum a significatione verbi *μέλλω* non longe absint, ut illud verbum, cum infinitivo futuri conjungantur. — *ἐν νόῳ ἔχειν* I. 10 *ἐ. ν. ἔχων τίσεσθαι τὸν Κανδαύλεα*. 86 *ἐ. ν. ἔχων εἴτε δὴ ἀκροθίνια ταῦτα καταγιεῖν θεῷ ὅτεῳ δὴ* —. VIII. 7 *αὐτοὶ οὐκ*

---

[1]) Cfr Madv. § 171. a. Anm. 3. — Krüg. § 53. 7. 11. II. § 53. 7. 5. — Kühner § 389 An. 8.

ἐ. ν. ἔχοντες — — — ἐπιθήσεσθαι. 8 ἐ. ν. μὲν εἶχε — — αὐτομολήσειν. IX. 93 — — ἐ ν. ἔχων ἀντικαταστήσειν ἄλλα πριάμενος. — ἐπέχω I. 80 τῷ δή τι καὶ ἐπεῖχε ἐλλάμψεσθαι ὁ Λυδός. — νοέομαι (ἐννοέομαι Ab.) VII. 206 ἐνένωντο καὶ αἱ οἱ ἕτερα τοιαῦτα ποιήσειν. — διανοέομοι VII. 207 οὗτοι μὲν δὴ οὕτω διενένωντο ποιήσειν. — ἐπινοέω III. 31 ὅτι οὐκ ἐωθότα ἐπενόεε ποιήσειν. 134 πάντα, ὅσα περ αὐτὸς ἐπινοέω ποιήσειν, εἴρηκας [1]. — Cum his verbis similitudine quadam significationis conjunctum est παρασκευάζεσθαι, quod cum futuri infinitivo conjungitur VIII. 97, si recte legitur: εὖ ἠπιστέατο, ὡς ἐκ παντὸς νόου παρεσκεύασται μένων πολεμήσειν [2]). — Huc etiam referendum videtur verbum ἀναβάλλομαι cum. fut. inf. V. 49 ἀναβάλλομαί τοι ἐς τρίτην ἡμέρην ὑποκρινέεσθαι et VI. 86β ταῦτα ὦν ὑμῖν ἀναβάλλομαι κυρώσειν ἐς τέταρτον μῆνα ἀπὸ τοῦδε, ubi futurum usurpatum videtur ad tempus magis remotum indicandum. — Insolitus est futuri infinitivi usus post βούλομαι IV. 111 βουλόμενοι ἐξ αὐτέων παῖδας ἐκγενήσεσθαι, quo loco haud scio an per dittographiam quandam γενήσεσθαι pro γενέσθαι scriptum sit [3]). — Post ἐπιβουλεύω VI. 137 ἐπιβουλεύοντας ἐπιχειρήσειν, ubi tamen St. ἐπιχείρησιν legit. — Ad verba dicendi propius accedit συντίθεσθαι IX. 7β συνθέμενοί τε ἡμῖν τὸν Πέρσην ἀντιώσεσθαι [4]). Cfr ἐπιλέγεσθαι VII. 49β. 52 ὁμολογίην ποιέεσθαι IV. 201.

